JC.17.Pl.5.

37
26 C
22

MAG 2123

F. THOMÆ M. MAMACHII

ORDINIS PRÆDICATORUM

THEOLOGI CASANATENSIS

DE ANIMABUS JUSTORUM
IN SINU ABRAHÆ, ANTE CHRISTI MORTEM,
EXPERTIBUS BEATÆ VISIONIS DEI

LIBER SECUNDUS


TOMUS SECUNDUS



ROMÆ MDCCLXVI.
EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

EXCUDEBAT MARCUS PALEARINI

PUBLICA AUCTORITATE



LIBER SECUNDUS

ARGUMENTA CADONICI, EJUSQUE PATRONORUM EX MONUMENTIS PATRUM, JUDÆORUM, ETHNICORUM, EXQUE RATIONE DUCTA, QUAM INANIA SINT, QUAMQUE NON SOLUM CUM ECCLESIÆ CATHOLICÆ DOCTRINA DE SANCTIS IN SINU ABRAHÆ ANTE CHRISTUM EXPERTIBUS VISIONIS DEI; VERUM ETIAM CUM PATRUM EORUMDEM, CUM JUDÆORUM, CUM ETHNICORUM SINCERA SENTENTIA, CUMQUE MOMENTIS RECTÆ RATIONIS PUGNENT, OSTENDITUR.

ETSI fore pleroſque intelligo, qui librum hunc alterum de Sanctorum ante Chriſti tempora in ſinu Abrahæ ſtatu, ſupervacaneum, ideoque inutilem futurum putent, propterea quod ex multis Cadonici, ejuſque Patronorum argumentis, quæ, ubi tempus, ratioque monuit, opportune diſpulimus libro ſuperiore, ſatis explorate cognitum eſſe cuique, & perſpectum poſſit, quam parum ceteris, quibus illi confidunt, immo quam nihil inſit virium, ac firmitatis; quum tamen ea ſit quorumdam hujuſce ætatis Scriptorum, eorum præſertim, qui novis rebus ſtudeant, conſuetudo, ut ſi quid negligas nugarum, quas tibi objecerint, ſatis ſibi eſſe reſponſum negent, crebriſque conqueſtionibus, litteris, nunciis perſuadere conentur imperitæ plebi, vexatos eſſe injuria ſe, exagitatos, oppreſſos, fidemque proinde implorent Theologorum; malui equidem multis ſine cauſſa Librum hunc alterum ſcripſiſſe videri, quam, ſi ſcribere prætermiſiſſem, atque imprudentem quemquam circumveniri, ac decipi paſſus eſſem, fructum non integrum caperem deſiderii, & laboris mei. Quamquam non is fui, qui

qui ratiunculas (ſi tamen hoc ſunt illæ appellandæ nomine, quibus perpetua ſit cum ratione luctatio), qui ratiunculas, inquam, eorum omnes perſequi, refellereque ſtatuerim; quas, cum nihil gravis, nihil ſolidi, nihil nexi, nihil cohærentis contineant, ne ipſi quidem ullius eſſe momenti arbitrarentur. Nam ſi has etiam (quarum cum alias ſæpe, tum in Adnotat. 2. a pag. hujuſce operis *652.* ad *662.* ſpecimen nonnullum dedi) colligere, evolvere, confutare agreſſus eſſem; haud ſcio, pluſne laboris fruſtra ſuſcepiſſem mihi, an lectoribus moleſtiæ attuliſſem. Itaque præcipuas ſelegi, quibus & maxime Cadoniciani confiderent, & quamvis difficultas revera ineſſet nulla, at ineſſe tamen videretur ſpecies quædam, & tamquam tenuis umbra difficultatis. Eſt autem in his illa, qua ſeſe in primis Cadonicus gloriando effert, quæque ex variis Auguſtini locis, Auguſtino licet repugnante, concluditur. Sed cum hanc item fallacia niti cerneret; quam ſe ſatis diu tueri non poſſe animadverterat, finxit fuiſſe ſibi *reſervatam benignitate*, & quaſi quodam inſtinctu Dei. Hanc autem primam omnium petere, atque expugnare conſtitui. Hac enim, quam eſſe ceteris firmiorem jactat, everſa, proſpexeram plane fore, ut reliquæ una ſimul omnes conciderent.

CAPUT PRIMUM

De S. P. N. Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo.

I. QUam hujus diſcipulis, atque huic etiam ipſi Cadonicus fecerit inſignem injuriam. II. Ejuſdem doctrinam internoſcere cupienti opus eſt S. Thoma Aquinate interprete. III. Ex ejus Epiſtola ad Evodium locus proponitur, in quo poſt novos Lutheranos, & Calvinianos pleroſque omnes Cadonicus collocavit præſidium opinionis novæ ſuæ. IV. Eſt is locus ſapienter, & vere

vere explicatus a S. Thoma. V. Id quod multis, iiſque clariſſimis S. ipſius P. N. & Epiſcopi teſtimoniis demonſtratur.

MAxima virtute S. Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, admirabili ingenio, ſummo ſtudio ſacrarum ſcripturarum, incredibili in omni doctrinæ genere facultate, quam gloriam (dicendo, diſputando, ſcribendo, recte inſtitutis populis, expugnatis hæreſibus, editis religionis, diſciplinæque tuendæ cauſſa innumerabilibus prope libris,) adeptus eſt, eamdem ita propagavit poſteritati, ut non imminuta diuturnitate, ſed aucta, atque amplificata eſſe videatur. Nam ejus & veritas doctrinæ, & rerum ſapienter, ſancte, egregie geſtarum memoria ſemper magna omnium gentium, atque ordinum, imprimiſque illuſtrium Scriptorum, Antiſtitum, Synodorum, Pontificum denique Maximorum conſenſione celebrata eſt; neque ulla fuit ætas, quæ de illius laudibus conticeſceret. Qua ex re illud eſt commodi conſequutum, ut quoque tempore, qui cupidi eſſent pernoſcendi veri, Auguſtini diſcipuli non magis videri, quam eſſe vellent; atque in id maxime vigilias, labores, curaſque omnes ſuas conferendas arbitrarentur. Sed quæ hoſtis generis humani malignitas eſt, nihil ut tam ſit verum, tam ſanctum, tam religione munitum, quod ſi minus aperte mendacio, at clam ſaltem callida imitatione, fictæque ſimulationis ſpecie reddere ſimile falſi, violare, expugnare, atque evertere non conetur; factum hinc eſt, ut quemadmodum olim, qui hoſtis ejuſdem inflatu, ſeſe doctrinis novis, ac peregrinis dediderant, Scripturarum, quibus nihil eſt ſanctius, auctoritate abuſi ſunt; ita poſt triceſimum ſeculi Eccleſiæ quinti annum (quo quidem anno Auguſtinus præmia virtutis, ac meritorum conſequuturus extremum clauſit vitæ hujus mortalis diem) quicumque ſpe ſe ina-

ni aluerunt novitate opinionum inveniendæ laudis, nominiſque ſui ad ſempiternam memoriam temporis propagandi, nulla re tutius tueri ſe poſſe putarunt, quam ſi tertio quoque verbo, unum ſe Auguſtinum doctorem ſequi, *totumque illum pro ipſis eſſe* fidenter dicerent: Quo in genere quinto ſeculo (exiſtiment licet Huſſerius, Janſenius, Maguinus, quod lubet) inſignis temeritas quorumdam fuit, quibus hæſiſſe Prædeſtinatianorum nomen [1] accepimus. Nec minus ſec. IX. Frudegardi Monachi reprehendenda fuit, Auguſtino certe injurioſa, in re maxima de religione, volubilitas, & inconſtantia, qui Frudegardus ad Paſchaſium Radbertum ſcripſit: „ CREDIDISSE ANTEA ſe, in Euchariſtiæ Sacramento carnem eſſe vere viventis, & ſanguinem, in quo vita æterna eſt ... ſed profiteri ſe, poſtea in libro tertio de Doctrina Chriſtiana Beati Auguſtini legiſſe, quod tropica eſſet locutio, ut corpus Chriſti, & ſanguis eſſe dicatur. Quod ſi figurata locutio eſt, & ſchema potius, quam veritas, neſcire ſe, qualiter illud ſumere deberet [2] „. Iiſdem in erratis ſeculo XI. Berengarianorum fuit opinio, Chriſtum in Euchariſtia præſentem eſſe negantium, de quibus eſt in *Parte* VII. *Tractationis de Corpore & Sanguine Domini* ab Durando Troarnenſi Abbate ſcriptum [3]: „ Injuſtam non deſinunt calumniam concinnare; ſicut in hac S. Auguſtini, quam propoſuimus, ſententia noſcuntur facere, quam idcirco „ gra-

1 Confer Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. ſec.* V. *cap.* III. *art.* XI. *p.* 64. *ſeq. edit. Lucenſis an.* 1751. Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ad an. 415. oſtendit, qui præcipuus error Prædeſtinatianorum eſſet, & cujuſnam illi præcipue auctoritate gloriarentur: » *Prædeſtinatorum, inquit*, hæreſis hoc tempore cœpit ſerpere, qui » ideo prædeſtinati vocantur, quia de prædeſtinatione, & divina gratia diſpu» tantes, aſſerebant, quod nec pie viventibus proſit bonorum operum labor, ſi » a Deo ad mortem prædeſtinati fuerint; nec impiis obſint, quod improbe vi» vant, ſi a Deo prædeſtinati fuerint ad vitam, quæ aſſertio & bonos a bonis » avocabat, & malos ad mala provocabat. Hæc hæreſis ex libris Auguſtini MALE » INTELLECTIS initium ſumſiſſe dicitur ».

2 Vide Paſchaſii Radberti Epiſt. *ad Frudegardum p.* 1610. *ed. opp. Pariſ. an.* 1618.

3 *Pag.* 433. *tom.* XVIII. *Bibliothecæ Patrum: edit. Lugd. an.* 1677. Confer etiam Hugonis Lingonenſis *Tractatum de Corpore & Sanguine Chriſti contra Berengarium ibid. p.* 418. Et Guitmundi Epiſcopi Averſani *lib.* II. *de Verit. Corp. & Sang. Chriſti: ibid. p.* 450. *ſeqq.*

„ gratius amplectuntur, quam cetera illius de divino „ Sacramento documenta, quia dicit, *flagitium, vel facinus videtur jubere*. Sed horum perfidia ſtudioſius repudiata, quid memoratus Doctor dixerit, vel quid „ in ſuis his dictis ſenſerit, perſcrutantes fideliter expendamus „. Quarto vero ac decimo ſeculo, contra Johan. Wicleſum majorum gentium hæreticum *ſuum* eſſe *Auguſtinum* jactantem graviter a Tho. Waldenſi [1] in hanc ſententiam ſcriptum eſt: *Auguſtinum dicis tuum, & inde ſectatores tui te cognominant Johannem Auguſtini. Ipſe contra te diſputat*. Neque impudentia minor Lutheri, atque Calvini ſexto ac decimo Eccleſiæ ſeculo in Auguſtino ſibi ipſis vindicando fuit; quorum quidem alter in libro pleno ſceleris, & impietatis, quem de *Servo Arbitrio* inſcripſit, Eraſmum exagitans: *Auguſtinus*, inquit, *quem præteris, meus totus eſt* [2]; alter vero in IV. Inſtitutionum libro [3] de Euchariſtia diſputans: *Ne ex Auguſtino quidem* con-

1 *Th. Wald. De Sacram. cap.* XVI. *p.* 108. *to.* II. *opp. edit. Veneta an.* 1758. Idem de Doctrina Wicleſianorum agens *Doctr.* II. *p.* 10. *tom. ejuſd.* » Erubeſcit, *inquit*, » hæreſis impudica nuditatem ſuam, ideo conſulit Sanctos Viros, ut ſub ſimplici » veſte Patrum lupum poſſit abſcondere, & nedum abſcondere, ſed per antiqui- » tatem, & probitatem teſtium ſe comparare Catholicis, quemadmodum ami- » cus ille Job typum gerens hæretici: *Senes*, inquit, *& antiqui ſunt in nobis mul- » to vetuſtiores, quam Patres tui*. Super quo textu XII. *Moral. cap.* XVIII. (*to.* I. *p.* 405. *edit. Pariſ. an.* 1705.) » Gregorius dicit: *quod omnes hæretici a Sancta Uni- » verſali Eccleſia ſint egreſſi, teſtatur Johannes, qui ait:* ex nobis prodierunt, ſed » non erant ex nobis. *Sed ut ea, quæ aſſerunt, commendare ſtultis mentibus homi- » num quaſi de* ANTIQUITATE *poſſint*, ANTIQUOS PATRES SE HABERE » TESTANTUR, *atque ipſos doctores Eccleſiæ ſuæ profeſſionis magiſtros dicunt*. » CUMQUE PRÆSENTES PRÆDICATORES DESPICIUNT, (attendat Cado- » nicus) *de antiquorum Patrum magiſterio falſa præſumtione gloriantur, ut ea quæ » ipſi dicunt, etiam* ANTIQUOS PATRES TENUISSE *fateantur, quatenus hoc, » quod* RECTE ADSTRUERE NON VALENT, QUASI EX ILLORUM *aucto- » ritate confirment*. Hæc Gregorius... Nonne AUGUSTINUS ſenſit, hanc in- » juriam irrogari ſibi, dum vixit? Reſpiciatur liber Retractationum » (*lib.* I. *cap.* IX. *num* III. *tom.* I. *opp. edit. Antuerp.*) » ejus, ubi dicit, Pelagium hæreti- » cum poſuiſſe in libro ſuo quoddam dictum ejus de libero arbitrio, & purgat ſe » ibi de ſenſu hæretico. Petilianus item in reſponſionibus ſuis allegat pro ſe Au- » guſtinum in materia de Baptiſmo. Et Auguſtinus librum edidit contra quædam » Capitula ſibi falſo imputata in materia de Prædeſtinatione. Credibile eſt. Quod » ſi in CARNE NUNC VIVERET, MULTO GROSSIOREM LIBRUM JAM » SCRIBERET CONTRA INNUMERA CAPITULA SIBI FALSO IMPUTATA » PER ISTUM ». Hæc Waldenſis adverſus Wicleſum.

2 *Pag.* 436. *tom.* II. *opp. edit. Wittemberg. an.* 1562.

3 *Cap.* XVII. §. XXVII. *p.* 373. *tom.* IX. *opp. edit. Amſtelod. an.* 1667.

congeram, inquit, *quæcumque ad rem facerent*, *ſed contentus ero paucis oſtendere*, *ſine controverſia totum eſſe noſtrum*. Atque horum ut capita quædam doctrinæ, ita in Auguſtino per calumniam adſciſcendo patrono ſibi, exempla fuiſſe ſequutos Michaelem Bajum [1], Cornelium Janſenium Iprenſem [2] Epiſcopum, recentioreque memoria Paſchaſium Queſnelum conſtat, quorum ea communis vox fuit, ſua ſi eſſent exploſa dogmata, eſſe item Auguſtini de gratia, de prædeſtinatione, de redemtione denique generis humani ſententiam ruituram. Illud ſupererat, ut hoc demum tempore Cadonicus oriretur, qui poſt Lutheranos, Calvinianoſque novos, contra Catholicarum omnium Eccleſiarum Synodos, Catechiſmos, Profeſſiones fidei ſcriberet: pios Veteris Teſtamenti homines, qui ante Chriſtum deceſſerant, in Abrahæ ſinu fuiſſe beatos aſpectu Dei, in eaque re in Scholaſticos (ita ut Bajus, Janſeniuſque fecerant) insultans ſequi ſe Auguſtinum ducem, & auctorem gloriaretur.

§. I.

Quam gravem non Auguſtini diſcipulis modo, ſed ipſi etiam Auguſtino Cadonicus injuriam fecerit.

Atque Cadonicus unum ſe omnium id in operibus Auguſtini deprehendiſſe confirmans, quod ante ſe nemo umquam mortalium ſuſpicatus ſit, inſignem conflat ſum-

1 Michael Bajus *lib. de Peccato Orig. cap. 1. ſeqq. p. 1. ſeqq.* & libris duobus de *Meritis cap. 11I. ſeqq. p. 28 ſeqq. & lib. 1. de Juſt Primi Homin. cap. 1. ſeqq. p. 49. ſeqq. & lib. 1I de Virtutibus Impiorum cap. 1. ſeqq. p. 61. ſeqq. & libro de Libero Arbitrio cap. 1. ſeqq. p 74. ſeqq. & lib. 1. ſeq. de Juſtitia, & Juſtificatione cap. 1I. ſeqq. p. 90. ſeqq.* & in Reſp ad S. Pii Conſtitutionem, ſeu potius, in Confuratione ejuſdem Conſtitutionis *P. 1I. opp edit. Colon. an. 1696. p. 79. ſeqq.* paſſim Auguſtinum ſe ducem, ac magiſtrum ſequi jactitat. Quinetiam dum ei tanto Doctori ſeſe aſſentiri pronunciat, adjungere ſe velle fidem negat ſermonibus Scholaſticorum, quo nomine rectas de doctrinæ quibuſdam capitibus refellit, expugnareque conatur ſententias.

2 Idem paſſim, quaſi adverſus Scholaſticos agat, facere conſuevit adverſus Eccleſiæ doctrinam in opere ſuo Janſenius, quod opus *Auguſtinum* inſcripſit, ſumma, eaque nullo modo ferenda tanti Doctoris injuria.

ſummis ingeniis, exquiſitaque doctrina viris, qui jam inde a quinto ad hoc uſque ſeculum claruerunt, eique Doctori unice adhæſerunt, injuriam. Quid enim tam eſt injurium, quam te (dum te ipſum effers, *reſervatumque* ſcribis fuiſſe *devotioni tuæ*, hanc ut doctrinam *exſuſcitares*) tacitum confiteri, non modo orthodoxos hujuſce temporis univerſos, qui abs te vehementer diſſideant; ſed Eucherium quoque Lugdunenſem, ſed Remigium Remenſem, ſed Cæſarium Arelatenſem, ſed Caſſiodorum, ſed Fulgentium, Primaſium, Julianum, Hidelfonſum, Iſidorum, Gregorium Magnum P. M., Ambroſium Anſpertum, Thomam Aquinatem [1]; fateri te, inquam, hos tam illuſtres viros, etſi Auguſtinum tanti fecerint, quanti neminem Doctorum ſuperiorum, ætatemque in ejus libris legendis, interque ſe conferendis contriverint, in eam tamen incidiſſe, quæ & falſa ſit, & Auguſtino ipſi inimica, ſententiam? Quod autem Cadonicus in Præfatione operis poſtremi ſui animadvertit, præiviſſe ſibi Nicetam, & Fevardentium, cum a vero alienum, ut alio loco oſtendimus [2], eſt; tum nihil continet juſtæ excuſationis. Non enim eſſe videtur ignoſcendum ei, qui ſe unum (poſt Nicetam ſequiorum temporum Scriptorem græcum, qui Auguſtini ne nomen quidem fortaſſe audierat; & poſt Fevardentium, qui ſexto denique ac decimo ſeculo claruit) glorietur vidiſſe verum; tacituſque innuat, Patres, qui propius ætatem Auguſtini attigiſſent, ac tantum ſtudii, diligentiæ, laboris in inveſtiganda, cognoſcenda, tuenda, propaganda illius doctrina conſumpſiſſent, in hac re ſaltem nihil intellexiſſe, lapſos fuiſſe, erraſſe, erroremque ſuum orthodoxæ plebi ad credendum propoſuiſſe.

Sed multo eſt ea injuria ferenda minus, quam Auguſtino ipſi Cadonicus intulit. Eſt enim & gravior, & ſane mul-

1 Horum deſcripſi ſententias *p.* 441. *ſeqq.*
2 Vide *p.* 87. *ſeq. hujus operis & p.* 451. *ſeqq. ſeqq.*

multiplex. Principio illius ipſum dogmatis reum conſtituit, quod & rejectum ante ab Sacerdotibus Sancti ejuſdem Doctoris Collegis quibuſque fuerat; & rejiciebatur dum ipſe viveret, & nunc item omnium Chriſti Eccleſiarum conſenſu rejicitur. Ac Sacerdotum quidem ejus, qua Auguſtinus floruit, ætatis, eorumque etiam, qui ante claruerant, teſtimonia perplura, eaque perſpicua, aperta, certiſſima, Sancti ejus Doctoris adverſus Pelagianos [1] diſputantis exemplum imitatus, deſcripſi [2], ex quibus perſpicitur, quam plena, quamque firma omnium fuerit de communi doctrina conſenſio. Quod autem iis teſtimoniis noctes obducere Cadonicus quibuſdam aliquorum Patrum obſcuris, implicatiſque locis conetur, parvi refert. Conatus ſimile quidpiam v. Eccleſiæ ſeculo Julianus [3] fuit adverſus commune Eccleſiæ de peccato originali dogma, cujus quidem Juliani repreſſa deinceps fuit ab Auguſtino temeritas. Conati perinde antea fuerant, deincepſque fuerunt alii oppugnatores capitum aliorum doctrinæ de Religione, ne deſciviſſe a majorum placitis [4] viderentur. Quod ad Eccleſiarum nunc omnium concentum, in eamque, quam nos tuemur, ſententiam probandam conſpirationem attinet, id ſcilicet, dum fide agit bona, ne Cadonicus quidem negat. Ultro namque fatetur, quod nunc ipſe in cœtum orthodoxorum ſtudet invehere, *rem eſſe novam* [5], at

novam

1 *Lib.* I. *contra Julianum cap.* III. *ſeqq. p.* 319. *ſeqq. tom.* X. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. & *lib. de Dono Perſeverantiæ cap.* XIX. *ſeqq. p.* 562. *tom. ejuſd.* & *lib.* V. *operis Imperfecti contra Julian. cap.* VI. *ſeqq. p.* 952. *ſeqq. tom. ejuſd.* & alibi, quibus in locis teſtimonia aliquot Patrum deſcribit, quibus traditionem dogmatum quorumdam Catholicorum adverſus eos hæreticos ſtatuit.

2 *Lib.* I. *hujus operis cap.* VI. §. II. *ſeqq. p.* 567. *ſeqq.*

3 Vide *lib.* I. *hujus operis cap.* VI. §. II. *p.* 568. *ſeq.*

4 Ariani namque Dionyſii Alexandrini, aliorumque quorumdam PP. auctoritate abutebantur. Eutychiani deinceps teſtimoniis ſe niti ajebant Athanaſii, Julii Romani Pontificis, Gregorii Neocæſarienſis, Cyrilli Alexandrini, Procli Conſtantinopolitani. Inde Photiani SS. Epiphanii, Baſilii, Maximi, Johannis Damaſceni locis ſatis ſeſe munitos eſſe arbitrabantur. Hoc idem poſtmodum Wicleſiani, Lutherani, Calviniani fecerunt, qui hæreſes aliquot ſuas auctoritate Ambroſii, Auguſtini &c. confirmare conati ſunt.

5 Cadonicus *lib. de Divi Auguſtini, qua videtur, ſententia cap.* XXI. *p.* 195 *edit. an.* 1763.

novam hoc ſeculo [1]. Sed *nova* quo tandem modo eſſet hoc ſeculo; niſi ei repugnaret omnium Chriſti Eccleſiarum conſenſio? Atque omnes Eccleſias ei novæ rei oppoſitam tenere, docere, prædicare ſententiam, ex Catechiſmis earum, ex Synodis, ex Decretis Apoſtolicæ Sedis, ex Profeſſionibus fidei libro hujuſce operis. I. demoſtratum eſt [2]. Quæ autem injuria irrogari Auguſtino poteſt atrocior ea, quam Auguſtinus ab Juliano irrogatam Chry-

an. 1763. » Temporis, *inquit*, haud eſſe me amicus commonuit, ut iſto primum » opere, cujus plurimam partem jam tunc abſolveram, in publicum prodire tentarem, NE REI NOVITAS turbas excitaret ».

1 Cadonicus *ibid. cap.* xx. *p.* 159. » Ea, *inquit*, prius referre præſtat, quæ mihi » objecta fuerunt, cum primum hanc propoſui quæſtionem, magnam profecto, » & HOC SECULO NOVAM ». Novam ſcilicet apud Catholicos. Nam apud Proteſtantes nova non eſt, ut oſtendi *lib.* 1. *cap.* III. *hujuſ. operis* §. XI. *p.* 175. *ſeqq.* Verum quidem eſt, Cadonicum id argumentum, quod ex novitate ad ejus opinionem refellendam petitur, extenuare conati, atque adeo animadvertere, conferri in *Scholaſticos* oportere communis ſententiæ in Eccleſiam invectæ culpam. Sed hanc nos accuſationem & falſam, & a cupidis rerum, novarum ſæpe uſurpatam diſpulimus *lib.* 1. *hujus operis cap.* IV. §. II. *p.* 399. *ſeqq.* & §. V. *p.* 451. *ſeqq.* & §. VI. *p.* 495. *ſeqq.* & *p.* 501. *ſeqq.* Prævidit id quoque Cadonicus. Quare quod ratione evinci ab ſe diffidebat poſſe, ſperavit aſſequi ſe poſſe, ſi fingeret, non omnino communem, ſed *frequentiorem in Scholis* eſſe, contrariam ſibi ſententiam. Atque in Epiſtola Dedicatoria, quaſi Catholici omnes, qui contra ipſum ſentiunt, inepti eſſent, hebetes, tardi, bardi: » *argumentum*, inquit, de quo agitur, licet gra» viſſimum, FELICIA SIBI TANTUM POSCIT INGENIA, quæ rerum inti» ma penetralia ſedulo, & ſine contentione perquirant, objecta patienter com» metiantur, ſelectam antiquitatem ſuſpiciant » (*quaſi vero Eccleſiæ nihil inveſtigent, & ab antiquitate receſſerint*) » Scripturarum Sanctarum obvium ſenſum diligenter » cuſtodiant, pura ſecernere noverint ab impuris » (*id ſcilicet denegatum omnibus Eccleſiis hactenus eſt, unique Cadonico* divina, *ut ipſe, ait*, benignitate reſervatum) » ac denique in ſolida, cognitaque veritate conquieſcere ... Tota controver» ſia in eo circumſcribitur, ut SOBRIE inquiramus tempus, quo ad hanc viſio» nem evecti fuerunt, ſcilicet utrum ſtatim a morte corporis ſui, an vero poſt » Chriſti Domini paſſionem conſummatam. Primum ARRIDET MIHI DUCE » SANCTO AUGUSTINO; ſecundum FREQUENTIUS IN SCHOLIS EST ». Verum indicet, non aliquas, ſed unam, ſi poteſt Scholam, quæ id *ſecundum* non teneat, ut certam doctrinam Eccleſiæ. Si autem indicare non poteſt, uti certe non poteſt, quæ illudendorum lectorum hæc illius eſt ratio, ut etſi *frequentius* id quidem *ſecundum* in Scholis eſt, eſſe tamen Scholam aliquam arbitretur, quæ idipſum *ſecundum* non tueatur? At novit profecto Cadonicus, ut paulo ante oſtendimus, *novitatem* opinionis ſuæ ſenſui univerſarum Chriſti Eccleſiarum contrariæ, omnibuſque his Eccleſiis ſeipſum opponit: ID MIHI ARRIDET: inquiens, jactanſque, *ſequi ſe Auguſtinum ducem*. Qua etiam ratione ſtatuit, Auguſtinum præferri omnibus Eccleſiis oportere. Sed Auguſtinus ſi viveret, diceret de ſe ipſo, quod de Johan. Chryſoſtomo dixit: *Si vere tale aliquid* in meis libris *inveniſſet* Cadonicus, & *quod ipſe ſentit, me ſentire claruiſſet, numquam me unum tot, & talibus* Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, Pontificibus Maximis *præferri in ea cauſſa* paterer, *de qua numquam fides Chriſtiana, & Eccleſia Catholica variavit: ſed* ABSIT, *ut ego aliud ſaperem &c.* Vide *lib.* 1. *hujus operis p.* 569.

2 *Cap.* III. *ſeqq. p.* 222. *ſeqq.*

Chryſoſtomo ſic eſt execratus, ut ſcriberet [1]: *ita ne verba S. Johannis audes tamquam e contrario tot, taliumque ſententiis COLLEGARUM ejus opponere, eumque ab illorum* CONCORDISSIMA SOCIETATE SEJUNGERE, ET EIS ADVERSARIUM CONSTITUERE? ABSIT, ABSIT HOC MALUM DE TANTO VIRO CREDERE, AUT DICERE &c. Quod ſi injurius maxime eſſet Auguſtino, concedente Cadonico, is, qui dogma de viſione beata Sanctis non differenda &c. a tot ſeculis in cœtu Catholicorum a quibuſdam etiam Epiſcopis impune vexatum, & ſeculo tandem quarto, ac decimo ab Sede Apoſtolica definitum, deincepſque ab Synodis Florentina, & Tridentina firmatum; ſi injurius, inquam, Auguſtino eſſet is, qui id genus dogmatis fuiſſe eidem Auguſtino probatum negaret; propterea quod indignum ſit facinus, prodromum illum, ſeu præcurſorem Lutheri, atque Calvini [2] hæreticorum facere, qui hæretici ſeculo demum ſexto, ac decimo extitere: cur perinde injurius eidem Auguſtino non erit is, qui Auguſtinum ipſum ei ſententiæ adverſari ſcribat, quam univerſa Eccleſia ubique gentium teneat, doceat, credendamque proponat Chriſtianæ plebi; idque ſcribens, Sanctum illum doctorem *prodromum*, præcurſoremque Buceri, & Pſeudo-Eccleſiarum Genevenſis, Hollandicarum, ac Veſtfriſiacarum, recentiumque etiam Lutheranarum conſtituat,

1 Vide *lib.* 1. *hujus operis p.* 568. *ſeq.*

2 Cadonicus *Dialogo* 1. *p.* 16. *edit. Roboret. an.* 1753. » Fa aſſai male, *inquit*, il » P. Lettore a concedere, che quel gran Padre ſia ſtato una volta in queſto errore » (*della dilazion della viſione fino al dì del giudizio*) » il qual errore non può eſſere » nè mite, nè più mite, ſe ſappiamo anche dal Tournely, che LUTERO, e » CALVINO ſuonano ſulle medeſime corde, ed inſegnano altrettanto delle ani- » me de giuſti, concedendo bensì, che avranno la viſione di Dio; ma non pri- » ma della reſurrezione della carne. Vorremo noi dire, che coſtoro abbiano opi- » nato mitemente, o più mitemente in ciò? Mi RACCAPRICCIO IN VEDE- » RE, CHE SANTO AGOSTINO VIENE A FASCIO CON DUE NOMI CO- » SI' ESECRANDI ». Quaſi vero ipſe, qui Auguſtino magiſtro, ac duce gloriatur. NON SUONI ſulle MEDESIME CORDE, nec velit AUGUSTINUM id DOCUISSE, delle ANIME DE' GIUSTI PRIMA DI CRISTO, quod docent novi Calviniani, ac Lutherani, quodque iidem doceri ab ſe jactant adverſus Eccleſiæ Romanæ fidem.

ſtituat, qui inane dogma, quod Cadonicus hoc *ſeculo* eſſe fatetur novum, contra Eccleſiæ Romanæ fidem ſeſe tueri gloriantur? An horrendum, Cadonico fatente, erit, Auguſtinum in ea re, quæ tamdiu poſt ejus ætatem finita fuerit, præcurſorem Lutheri, & Calvini fuiſſe dicere; in oppugnanda vero ſententia Catholicorum, quam jamdiu Eccleſiarum firmavit conſenſio [1], præcurſorem novorum Lutheranorum, & Pſeudo-Eccleſiarum Genevenſis, Hollandicarum, atque Veſtfriſiacarum facere, horrendum nullo modo erit? Age vero, quotus quiſque Catholicorum eſt, cui liceat impune ſtatuere: Eccleſiam horum temporum univerſam ab doctrina veteris Eccleſiæ deſciviſſe; idque nunc tenere, docere, tueri, prædicare, & catechiſmis, decretis, profeſſionibus fidei non Epiſcopis modo, Clericis reliquis, Laicis jam ætate provectis, ſed etiam Neophytis, Puſilliſque ſuis ad credendum proponere, quod majores noſtri aut falſum, aut indifferens eſſe judicaviſſent? Hæreticorum hæc omnium de Eccleſia ſui temporis tam licenter ſtatuendi & fuit & eſt inſania longe diſtans a moribus, & fide othodoxo-

1 Epiſcopos, Eccleſiaſque Occidentis, atque Orientis in noſtram ſententiam conſpiraſſe demonſtravimus *cap.* 111. *ſeqq. hujuſce operis*. Dicere proinde jure adverſus Cadonicum poſſumus, quod Auguſtinus, poſteaquam de aliquorum ſuperiorum, ſuique etiam temporis Antiſtitum teſtimoniis egit, adverſus Julianum dixit 1. *libro c.* v. *nu.*20. *p.* 335. *to.*x. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. » Tu interim habes in » conſpectu non ſolum Occidentis, verum etiam Orientis Epiſcopos. Nam qui no- » bis deeſſe videbantur » (mihi vero ne viſi quidem ſunt defuiſſe) » plures Orientis » invenimus. Omnes uno eodemque modo credunt „: Sanctos Vet. Teſtamenti Patres in inferis conſtitiſſe, ibique expectaſſe liberatorem Chriſtum, qui eos illuminaret. » Si hoc qui dicit, Manichæus abs te dicitur (vel *plaudens Ma-* » *nichæis*) iſtos aſpice, iſtis erubeſce, iſtis parce, vel tibi potius, ne rector, & » habitator illorum tibi forte non parcat... Ne illorum efficiaris inimicus. Sed » quomodo non efficieris, ſi in iſto (dogmate inani) permanſeris? Quanto ergo » magis, ut his accedas, ab illo recedes? Tantum ne apud te poterunt » Rabbini Hebræorum novi, Bucerus, Camero, Helmenorſtius, Dallæus, Eccleſiæque falſæ Genevenſis, Hollandicæ, ac Weſtfriſiacæ, nam his modo noſti dogma iſtud tuum placere » ut a ſolis ortu uſque ad occaſum tot, ac tantos fidei doctores, » & defenſores antiquos, & noſtræ ætati contiguos, dormientes, & manen- » tes non SOLUM DESERERE, verum etiam Manichæos (vel *veluti plaudentes* » *Manichæis*) audeas appellare?... Sed quid muſſites, novi. Dic jam, dic, au- » diamus. In tuo opere, de quo nunc agimus: *S. Johannes, inquis, Conſtantino-* » *politanus &c.* » Cadonicus vero præter S. Auguſtinum, S. Johannem etiam nobis objicit. Quam falſo, & oſtenſum jam eſt, & oſtendetur magis magiſque dum tempus monuerit.

rum. Quod ſi eadem Eccleſiæ hujuſce temporis doctrina eſt, ut eſt revera, atque majorum doctrina fuit, proptereaque numquam *de ea variatum eſt*; dari profecto ſine injuria Auguſtini ſumma non poterit, *aliud ipſum ſapuiſſe in ea cauſſa, de qua numquam fides Chriſtiana, & Eccleſia Catholica variavit*. Nam quod injurium maxime Auguſtinus Chryſoſtomo putavit eſſe, id ne quiſquam dicet, dignum in Auguſtino fuiſſe laude?

Deinde quæ cauſſa fuit, cur Cadonicus in hanc opinionem inciderit? Eum ſi rogemus: vindicandi, dicet, Auguſtini cauſſa [1] ab errore Millenariorum, qui differendam Sanctis ad judicii diem viſionem Dei arbitrabantur. Non enim eſſe ferendum, ut tantus Doctor erroris illius patronus habeatur, qui error ab Synodo Florentina adverſus Photianos, deincepſque a Tridentina adverſus Lutherum, atque Calvinum damnatus eſt. Quid igitur? An levis ei viſa injuria eſt: Auguſtinum, ut Luthero, atque Calvino eriperet, in Buceri, novorumque Lutheranorum, atque Calvinianorum caſtra conjicere, quorum item commentum refellit omnium Chriſti Eccleſiarum conſenſio? At non eſt id commentum condemnatum ab ulla œcumenica Synodo. Quaſi vero Eccleſiæ ubique terrarum diffuſæ, Pontificumque Maximorum, qui ei præſunt, quique communem ſententiam ſuis Conſtitutionibus Dogmaticis, Profeſſionibus fidei, Catechiſmis propoſuerunt, incerta in re doctrinæ ſit auctoritas; liceatque Cadonico, quod Eccleſiæ omnes, Pontificeſque Maximi ad tenendum, atque profitendum tradant, rejicere; quod vero ſit ab Synodis definitum, non item. Si autem definitio œcumenicæ Synodi Cadonicum movet; auctoritas contra omnium Chriſti Eccleſiarum non movet; atque id propterea curat, ut Auguſtinum ab errore

1 Hujus rei cauſſa, *in Vindiciis*, *in Dialogis*, inque poſtremo ſuo opere de *D. Aurelii Auguſtini, quæ videtur ſententia*, Cadonicus ſuſceptam ab ſe ſcribit fuiſſe opinionis novæ ſuæ defenſionem.

rore reprobato auctoritate œcumenicæ Synodi liberet; contra vero non modo a commento novorum Lutheranorum, Calvinianorumque non liberet, ſed in eo etiam, invitis quibuſque Catholicis cœtibus, ipſum S. Doctorem perſtitiſſe pugnet; quid eſt, quod non eum perinde ab errore vindicet contrario ſententiæ definitæ judicio Synodorum Lugdunenſis, & Florentinæ [1], quæ ſententia eſt de Animabus juſtorum poſt Chriſti mortem, quibus nihil luendum ſuperſit, in cælum ſtatim euntibus? Cadonicus namque capite *ſexto ac decimo vindiciarum* [2]: „ Auguſti-
„ ni loca, *inquit*, de viſione Dei Eccleſia explicavit in
„ Conciliis Lugdunenſi II. & Florentino, & Tridenti-
„ no, quod dubium alicubi apud Auguſtinum reman-
„ ſerat, animas Sanctorum poſt mortem in cælos ele-
„ vando, ubi Dei viſione fruerentur, ſed non dixit,
„ quod QUÆSTIONI de LOCO, in qua AMBIGUUS
„ ALIQUANDO VIDETUR SANCTUS PATER, et-
„ iam error de ſtatu commiſceretur, quia eas hac viſione
„ orbatas crederet, ubicumque reciperentur „. An ab uno errore vindicandus Auguſtinus ſic fuit, ut auctor videretur commenti, quod hæreticis noſtrorum temporum probaretur; ab alio ita non fuit, ut jam is non error eſſet ab Cadonico appellandus, ſed *quæſtio*? Alii certe perplures Theologi liberare ab hoc item altero errore Auguſtinum ſtuduerunt, quod & nos in VI. Antiquitatum Chriſtianarum volumine fecimus, idque, ut nobis perſuademus, exitu ſane ſecundo. Sed contra viſum novo vindici Auguſtini Cadonico eſt; fortaſſe quod S. Doctoris, ita ut dicit, in ea re *dubitationem* novo ſuo dogmati præſidio eſſe poſſe exiſtimarit. Ita is quidem accuſa-

1 Synodus Lugdun. an. 1274. *p.* 695. *tom* VII. *Concilior. edit. Pariſ. an.* 1714. Synodus Florentina an. 1439. *in Decret. Union Græcor p* 422. *tom.* IV. *Conciliorum edit. Pariſ. an.* 1714. Idipſum declararunt Pontifices Apoſtolicæ Sedis, imprimiſque ii, quorum nos ſeriem dedimus libro ſuperiore *p.* 501. *ſeqq.* Conſuli autem omnino volo, quæ celebri ſua Conſtitutione complexus eſt Benedictus XII. quæque nos *in p.*212. *hujus operis not* 1. tranſtulimus.

2 *Pag.* 258. *edit. Cremon. an.* 1747.

cuſator, non vindex Auguſtini erit, qui novæ ſuæ opinioni ſervire Auguſtinum mavult, quam ipſum Auguſtinum ab erroris invidia liberare, cujus erroris oppoſitum dogma a tot Synodis œcumenicis definitum ſit. Nam Auguſtini de *Sede Beatorum dubitatione* conceſſa, id ſe forſitan commodi Cadonicus ſperavit conſequuturum, ut magnus idem Doctor, qui ne pro certo quidem Piorum Vet.Teſtamenti animas tranſlatas a Chriſto in cælum fuiſſe judicaſſet; judicarit quoque, multo minus fuiſſe beatitatis earum rationem immutatam; cumque illæ nunc viſione fruantur Dei, eâdem ipſas fuiſſe ante Chriſtum potitas, judicaſſe videatur. Quod ſi ita eſt, jam, ut dixi, non vindicis id quidem Auguſtini erit, ſed ejus, qui facere, ut Auguſtinus novis commentis ſerviat, conetur; injuria ſane gravi conflata & Aquilæ Doctorum, qualis idem Auguſtinus fuit; & Catholicis omnibus, adverſus quos jamdiu a Proteſtantibus id genus commentorum defenditur. Atque conſtitutum ab Cadonico fuiſſe Auguſtinum ad novam illam opinionem invitum pertrahere, ex eo etiam intelligi plane poteſt, quod etſi Cadonicus idem certo non noverat, perſcriptus ne ab S. Doctore ſermo CXXXVII. fuiſſet, quo ſententia orthodoxorum ſatis perſpicue adſeritur; nihilo ſecius, ut ſe tam magno nomine tegeret, Auguſtinum ipſum non tam auctorem opinionis ejuſdem novæ, quam reum revera citare decreviſſet [1].

Po-

1 Cadonicus *cap.* V. *p.* 56. *Vindiciarum*. » Cum in editione Auguſtini, *inquit*, » qua tunc utebar, deeſſet *ſermo* CCLIX. editionem novam operum ejuſdem, quæ » Cremonæ nondum erat, emi, tum ut deſiderio meo in hac re (*contra Tournelii ſententiam*) ſatisfacerem, tum ETIAM UT VIDEREM, NUM SERMO » CXXXVII. de tempore; quem unum pro ſe citat Divus Thomas, & cum eo ceteri Scholaſtici (*falſum id quidem, ut poſt videbimus*) ut animas SS. Patriarcharum, ante Chriſti paſſionem, in doloribus conſtituat, cauſſa deſumta a reatu » originalis peccati ipſis adhuc incumbente, quoad excluſionem a vita gloriæ; a » clariſſimis & diligentiſſimis Monachis Maurinis Auguſtino adjudicaretur, qui » mihi multis, & magni ponderis rationibus ſpurius, & illa mente indignus videbatur; nec inficiari poſſum MAGNA ME SUBITO LÆTITIA PERFUSUM, » CUM ILLORUM DE EO BREVEM QUIDEM SED SATIS RECTAM CENSURAM CONSPEXI, RATIONIBUS ADDUCTIS, QUIBUS AUGUSTINI » NOMEN huic conſarcinato ex variis auctoribus, & minus ſecum cohærenti » ſermoni ABRIPIEBATUR, illum in Appendicem rejiciendo ».

Poſtremo illud ſumi ab Cadonico video, tam fuiſſe certum, ac definitum Auguſtini etiam ætate dogma de oblata Sanctis, ſtatim atque deceſſerint, viſione Dei; ut qui negaſſet, aut dubitaſſet, in hæreticis haberetur, pellereturque e cœtu Catholicorum [1]. Qua ex re illud omnino eſt conſequens, Auguſtinum, ſi aut id dogma negaſſet, aut anceps in eo verſatus eſſet, fuiſſe futurum hæreticum, expellique debuiſſe ex Catholicorum cœtu. Atqui ſublatum id dogma, aut in dubium revocatum ab Auguſtino non fuiſſe, adeoque S. Doctorem ab ejus erroris invidia liberari vere, ac ſolide poſſe Cadonicus negat; ni prius oſtendatur, atque concedatur, probatam eidem S. Doctori fuiſſe opinionem de Sanctis Vet. Teſt. ante Chriſti mortem jam beatis aſpectu Dei [2]. Atque id ille in Dialogo II. negat.

1 Cadonicus *ibid. cap.* II. *p.* 29. » Sed numquid & illud, *inquit*, HAUD DA» MNANDUM Hieronymo videretur, & veluti eruditionis cauſſam non exce» dens, ſi juſtis ſeparatis animabus Dei viſio, & conſortium, quantum animæ li» cet a corpore ſejunctæ » (quaſi vero parum videre Deum animæ a corpore ſejunctæ liceat, corpori autem conjunctæ animæ videre plus liceat: Quam nollem, ut quiſquam ſuſpicaretur, Cadonicum, qui *organica* corpora Angelis tribuat, *corporei* nonnihil tribuere item Deo, quod non mente, ſed oculis corporis poſſit percipi) » ſtatim a morte ejuſdem corporis, immo uſque ad carnis reſurrectionem » denegaretur? Audiamus illum iterum contra Vigilantium diſputantem, ejuſque » audaciam contundentem, quia Apoſtolos ſub cuſtodia detineri uſque ad judicii » diem dixerat, Dei quidem viſione, & conſortio orbatos, ſed tamen in refri» gerio, & in aliqua felicitate, quia, ut prænotatum eſt, ipſos in fortunatorum » inſulis, & in campis elyſiis recludebat: *tu*, inquit Hieronymus, *Apoſtolis vincula* » *injicies, ut uſque ad diem judicii teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo,* » *de quibus ſcriptum eſt*, ſequuntur agnum quocumque ierit »? Non quæro, de aſpectu ne, ſeu de viſione Dei Hieronymus hoc loco adverſus Vigilantium diſſerat. Viſionis certe naturæ Dei S. Doctor non meminit. *Agni* meminit, ſeu Chriſti, quocum Millenarii etiam fatebantur eſſe Sanctorum animas, etiamſi negarent eas intueri Deum; & cum quo tamen *Agno Domino ſuo* eas verſari Vigilantius inficiabatur, eaſque, teſte Hieronymo, ajebat eſſe in *vinculis*. Fac tamen Hieronymus hæreſeos Vigilantium propterea arguat, quod Deum nunc a Sanctis non videri diceret, quid hinc Cadonicus concludit? Concludit, nempe Hieronymi ætate, atque adeo etiam Auguſtini cognitum orthodoxis omnibus, definitumque dogma fuiſſe, ſanctos ſtatim poſt mortem intueri Deum, ac Vigilantium propterea quod id negaviſſet, fuiſſe ex Eccleſia pulſum. Qua ex re ſequitur, non modo Johan. XXII. a quo errorem hunc Vigilantio attributum fuiſſe probatum, ſed poſtea *retractatum*, Cadonicus ſcribit in poſtremo ſuo opere *de Divi Aurelii Auguſtini, quæ videtur, ſententia p.* 1. non modo, inquam, Johannem XXII. antequam ſententiam *retractaſſet*, fuiſſe hæreticum *formalem*, ut ajunt, ut qui definito dogmati repugnaſſet; ſed talem etiam Auguſtinum fuiſſe futurum, ni ſtatim atque e corpore exceſſerint, ſanctos beatitatem conſequi, cenſuiſſet.

2 Cadonicus *in* II *Dialogo* italice perſcripto *pag.* 27. » Per dare, *inquit*, un » VERO, E NON APPARENTE, E FIACCO RIMEDIO, DICE IL SIGNOR » CA-

gat. Quod ſi ita eſt, jam auctore Cadonico, niſi demonſtretur, Auguſtinum opinionem hanc novam probaſſe; erit omnino actum de Auguſtini ejuſdem fide. Cumque a ſeculo v. ad hæc uſque tempora nullus Patrum, nullus Doctorum omnium gentium, atque ordinum ſuſpicatus fuerit, fuiſſe id opinionis genus Auguſtino probatum, id erit conſequens, ut quoad non extitit Cadonicus, qui inter Catholicos Scriptores primus omnium vidit *il vero, e non apparente, e fiacco rimedio*, Auguſtinus ſpecie quadam *inani*, non *veritate* Catholicus haberi debuerit. Cumque Lutherani, Calvinianique novi id ſe, quod poſtmodum venit in mentem Cadonico, in Auguſtini libris deprehendiſſe exiſtimarint, hi quidem certe omnium primi; non autem Primaſius, non Gregorius

„ CADONICI, NON VI ESSERE ALTRO MEZZO DA QUELLO IN FUORI DI RICONOSCERE NEGLI SCRITTI DEL SANTO PADRE ADOTTATA UN' OPINIONE, CHE A CHI NON HA LETTI I PADRI DELLA CHIESA, E SI CONTENTA DELLA SENTENZA DE DOTTORI POSTERIORI, E DEGLI SCOLASTICI, PARE ASSAI SINGOLARE, ma che a buon conto non È NE ERETICA, NÈ SCANDALOSA. Egli prova, eſſere queſta ſtata di S. Agoſtino, ſenza pretendere per allora di difenderla da qualche taccia, che ſembraſſe a taluno poter meritare, ma col ſolo fine di ridurre a ſpiegazione cattolica quei teſti, che dagli eretici ſi pretendono contrarj al noſtro dogma della pronta retribuzione, e della non ritardata beatitudine alle anime de' Giuſti, le quali paſſano all' altra vita. Mi pare, che quando la opinione attribuita non ſia nè ſcandaloſa, nè eretica, e porti queſto vantaggio, non ſi dovrebbe penare molto per accordargliela. Ma qual è deſſa? ELLA È LA BEATITUDINE ESSENZIALE DE' SANTI DELL' ANTICO TESTAMENTO ELEVATI ALLA VISIONE DI DIO UNO, E TRINO, SICCOME EGLI È, PRIMA, CHE CHRISTO DOPO LA SUA PASSIONE DISCENDESSE ALL' INFERNO &c. „ Jam Cadonicus: 1. *Remedium* negat eſſe ullum VERUM, ET NON APPARENS, NEC DEBILE Auguſtinum ab hæreſi vindicandi, præterquam ADOPTIONEM ab eo factam Cadonicianæ OPINIONIS. 2. Sanctorum Patrum ſententias, ab ſententiis Scriptorum poſteriorum, & Scholaſticorum eſſe alienas. Quæ res eodem revolvitur ac ſi dicas: *Eccleſiam*, quæ tempore Patrum Sanctorum viguit, in re doctrinæ ab Eccleſia poſteriorum temporum diſſidere. Scriptores enim poſteriorum temporum eamdem omnes doctrinam tenentes, quam exhibent doctrinam, niſi doctrinam Eccleſiæ? Non enim in unam convenirent omnes, nemine contra pugnante, ſententiam, ni ea ſententia Eccleſiæ tunc vigentis eſſet, cum ipſi ſcriberent. Confer Gregorii Magni locum *pag. hujus operis* 683. quo loco S. Pontifex hæreticorum mores deſcribens: *ut ea*, inquit, *quæ aſſerunt*, COMMENDARE STULTIS MENTIBUS *hominum*, *quaſi de* ANTIQUITATE *poſſint*, ANTIQUOS PATRES SE HABERE TESTANTUR, *atque ipſos* DOCTORES ECCLESIÆ *ſuæ profeſſionis* MAGISTROS *dicunt*, *cumque* PRÆSENTES PRÆDICATORES DESPICIUNT, *de* ANTIQUORUM PATRUM MAGISTERIO *falſa præſumtione gloriantur*. 3. Judicem ſe Cadonicus conſtituit controverſiarum de religione, definitque opinionem illam ſuam, neque *hæreticam* eſſe, neque *ſcandaloſam*, adeoque defendi ipſam impune poſſe.

rius Magnus, non S. Thomas, non Benedictus XII. non ulli denique Catholicorum *veram*, & non *apparentem*, ac *debilem* vindicandi Auguſtini rationem animadverterint. Cumque, eodem Cadonico teſte, ſola novi commenti defenſio ſit *verum* Auguſtini ab hæreſi liberandi *remedium*; ſi neque a Proteſtantibus illis, neque a Cadonico ipſo, neque ab alio quopiam oſtenſum ſit, Auguſtinum aſſenſum ei commento fuiſſe; hæreat in *formalis* hæreſeos luto Auguſtinus, neceſſe ſit. Oſtenſum autem id ab Cadonico, Proteſtantibuſque novis non eſt; immo vero ne oſtendi quidem poteſt, ut in ſequentibus paragraphis demonſtrabimus. Non ergo liberari Auguſtinus ab hæreſi *formali*, quam vocant, poterit. Hærebit igitur Auguſtinus, Cadonico auctore, in hæreſeos Lutheri, & Calvini luto. Quod ſi hoc ſummum potuiſſet Cadonicus conſequi, ut S. Doctor aſſenſionem a novo illo opinionis genere cohibuerit, in eoque dubius, ancepſque verſatus fuerit; nihil hinc tamen aliud vi exculpere Cadonicus poſſet, quam Sanctum ipſum Doctorem dubium item fuiſſe in quæſtione de non differenda Sanctis viſione Dei verſatum. Nam ſi hæ quæſtiones duæ ita junctæ, colligatæque ſunt, ut, ni una concedatur ab Auguſtino, neganda ei omnino ſit altera; ſi dubitavit Auguſtinus de una, de altera item dubitarit neceſſe eſt. Hæreticus vero fuit, ſi dubitavit. Dubius enim in fide hæreticus eſt. Fidei autem dogma de non differenda beata *viſione Sanctis ex hac vita migrantibus*, teſte Cadonico, definitum jam inde ab Auguſtini temporibus fuerat, adeo ut qui ſecus crediddiſſet, hæreticus etiam tunc haberetur. Hæc ſunt portenta conſectariorum per ſeſe ex Cadonici decretis fluentium. Hunc vero, qui oſcitans eas ſententias ſtatuat, ex quibus hæc tam abſurda ſequantur, quotus quiſque erit, qui, ſine graviſſima Auguſtini injuria, vindicem Auguſtini habendum putet?

§. II.

§. II.

Auguſtini doctrinam internoſcere cupienti opus eſt Thoma Aquinate interprete.

Diſcipulus Auguſtini, ſectator perpetuus, ac vindex unus eſt omnium maxime Thomas Aquinas, quem hac item in cauſſa ſi Cadonicus ſibi interpretem adſciviſſet, non ſolum in tot novas, inanes, alienas ſententias non incidiſſet; ſed etiam conſuluiſſet rationi ſtudiorum, & exiſtimationi ſuæ. Nam veritas, integritas, ſanctitas doctrinæ Thomæ a viris eruditione, innocentia vitæ, dignitate præſtantibus; ab Eccleſia ſive in Synodis œcumenicis congregata, ſive ubique terrarum diffuſa, docentibus Pontificibus Maximis, remque voce, ſcriptiſque Apoſtolicis litteris, confirmantibus, omnium ordinum conſenſu, variarumque gentium linguis, privatim, publiceque ſermonibus, precationibus, eulogiis celebrata eſt, & eo eſt etiam celebrata nomine, quod plane ſit Auguſtiniana [1].

Atque

[1] Longum eſt de omnibus dicere. Horum permultos nominant Hieronymus Vielmius, Nunnius, Petrus Cabrera, Hunnæus, ut eſt animadverſum a Franciſco Silvio *in Apologia pro S. Thoma p.* 98. *ſeq. tom.* V. *opp. edit. Veneta an.* 1726. Confer etiam Natalem Alexandrum *Panegyric. de S. Thoma in Append. Hiſt. Eccl. tom.* VIII. *p.* 649. *ſeq. edit. Lucenſis an.* 1752.

Ad Sanctos viros quod attinet, numerandi in iis ſunt S. Ignatius S. J. Inſtitutor, S. Philippus Nerius, S. Thereſia: ſed uno teſtimonio S. Caroli Borromæi contentus ero, quod mox in textu deſcribam.

Johannes Roffenſis Epiſcopus vir in religione orthodoxa tuenda fortiſſimus in *Præfat. ad lib.* IV. *contra Œcolamp. pag.* 990. *opp. edit. Wircemb. an.* 1597. *Thomas Aquinas*, inquit, *vir item SS. qui tum propter Scripturarum notitiam, in quibus mirabiliter exercuit ſeſe, tum propter innumeros in ſacra Theologia nodos ab eo deſectos, merito Theologia flos appellatur*. Stephanus Epiſcopus Pariſienſis *una cum ſacra facultate Sorbona ann.* 1325. initio *Tabula Aurea Bergomenſis, ſeu Indicis opp. Sancti Thoma: edit. Roman. ann.* 1571. de eodem ſcribit hoc modo: *Nos attendentes, quod* SACROSANCTA ROMANA ECCLESIA, MATER OMNIUM FIDELIUM, ET MAGISTRA FIDEI, ET VERITATIS IN FIRMISSIMA PETRI CHRISTI VICARII CONFESSIONE FUNDATA, AD QUAM VELUT AD UNIVERSALEM REGULAM CATHOLICÆ VERITATIS PERTINET APPROBATIO DOCTRINARUM, DECLARATIO DUBIORUM, DETERMINATIO TENENDORUM, ET CONFUTATIO ERRORUM, præfatum Doctorem eximium, & Venerabilem, CUJUS DOCTRINA FULGET ECCLESIA UT SOLE LUNA, *nuper Sanctorum Confeſſorum Catalogo adſcri-*

Atque virorum quidem eruditione illuſtrium etſi perplures nominare poſſem, duorum tamen afferam teſtimonia, ne longior ſim, quam oportet. Horum eſt alter Æneas Sylvius Piccolomineus, qui poſt Pontificatu Maximo potitus, Pii ſibi indidit Secundi nomen. Is in Hiſtoria *rerum Friderici III. Imperatoris pag. 96. ſeq. edit. Vindobonenſis an.* 1762. ubi de direpto, incenſoque oppido Aquino egit: „ Quæ res, *inquit*, NOBILE ILLUD „ INGENIUM, ET DIVINAM QUODAMMODO „ MENTEM Sanctiſſimi viri Thomæ Aquinatis in lucem „ prodire fecit... Nam parentes ejus nobili loco nati... „ hunc puerum apud Caſſinenſe Monaſterium commen-

tttt „ da-

adſcribendum decrevit; diligenti diſcuſſione, & examinatione habita ſuper vita ſancta, & doctrina clara ipſius, ipſumque, quoad vitam puram, & doctrinam ſalubrem, orbi terræ dignum, & commendabilem prædicavit, cupimus glorioſum Deum in Sanctis ſuis apud fidelium devotionem in terris glorioſius exaltari... præſertim cum fuerit UNIVERSALIS ECCLESIÆ LUMEN PRÆFULGIDUM, GEMMA RADIANS CLERICORUM, FONS DOCTORUM, UNIVERSITATIS NOSTRÆ PARISIENSIS SPECULUM CLARISSIMUM, ET CANDELABRUM INSIGNE, AC LUCENS, PER QUOD OMNES, QUI VIAS VITÆ, ET SCHOLAS DOCTRINÆ SANÆ INGREDIUNTUR, LUMEN VIDENT CLARITATIS VITÆ, FAMÆ CLARÆ, ET SCIENTIÆ LUCIDÆ, VELUT STELLA SPLENDIDA, ET MATUTINA REFULGENS &c. Ad Synodos Œcumenicas in primis quod attinet, confer Joh Gallii Orationem ad S. Tridentinam Synodum *p.* 464 *huj. vol. ſeq. not.* 1. Vide *Collect. Orationum edit. Lovan. an.* 1567. *p.* 421. Ex hac Oratione locum mox afferam, qui plane demonſtrat, quanti Synodi priores, ipſaque Tridentina fecerint doctrinam Thomæ. Venio ad Pontifices Maximos.

Johannes XXII *in ea Oratione*, quam habuit, dum Sanctorum faſtis S. Thomam Aquinatem adſcripſit, *tom.* II. *Bullar. Ord. Præd. p.* 103. *not.* 21. *edit. Rom. an.* 1730. „ Iſte glorioſus Doctor, *inquit*, poſt Apoſtolos, & Doctores primos plus „ illuminavit Eccleſiam Dei, & tot fecit miracula, quot ſcripſit articulos „. Benedictus item XIV. P. M. in Allocutione *ad PP. Prædicatores congregatos in Comitiis Generalibus Romæ pro eligendo ſupremo Ordinis capite die* 11I. *Julii an.* 1756. *p.* 10. *Actor. Capituli General. Ord. Præd. edit. Rom. an.* 1756. „ Quod ſi forte, „ *inquit*, reliqua familiæ veſtræ ornamenta, & in Eccleſiam Catholicam promerita, ex animo noſtro excidere umquam potuiſſent; hoc tamen profitemur, „ nullo umquam tempore evenire potuiſſe, ut e memoria noſtra dilaberetur „ THEOLOGORUM PRINCEPS, SCHOLARUM ANGELUS, ECCLESIÆ „ DOCTOR, præclarum Ordinis veſtri ſidus S. Thomas Aquinas, cujus DO„ CTRINÆ COMPLURES ROMANI PONTIFICES PRÆDECESSORES NO„ STRI PERHONORIFICA DEDERUNT TESTIMONIA, quemadmodum „ etiam nos ipſi in libris, quos de variis argumentis conſcripſimus, poſtquam „ Angelici Doctoris ſententiam diligenter ſcrutando percepimus, atque ſuſpexi„ mus, ADMIRABUNDI SEMPER, atque lubentes eidem adhæſimus, atque „ ſubſcripſimus, candide profitentes, ſi quid boni in iiſdem libris reperitur, id „ minime nobis, ſed tanto Præceptori totum eſſe adſcribendum „. Verum id *boni* noluit in ſuis libris eſſe Cadonicus, ut qui doctrinam hac de re S. Thomæ ex inſtituto refellere ſit conatus.

S. Tho-

„ darunt , in quo ille dum pueritiæ rudimenta deponit , „ religionis zelum induit , & ordinem tandem Dominici profeſſus , ea edidit opera , quæ Philoſophi noſtri „ temporis , Theologique ferme omnes & ADMIRANTUR , & in primis ediſcere curant . Atque ita bo„ nitas magni Dei ex magno ſæpe malo maximum elicit „ bonum ; & Aquinum CHRISTIANÆ RELIGIONI „ numquam tantum vigens utilitatis contuliſſet , QUANTUM PROFUIT exciſum „ . Alter eſt Franciſcus Vargas vir peritia utriuſque juris excellens , qui ab Hiſpaniarum Rege Tridentum primum ad Synodum Oecumenicam , inde Romam Orator miſſus , incredibilem ſibi do-

S. Thomam adhuc mortalem vitam agentem *theſaurum litteralis ſcientiæ per Dei gratiam fuiſſe aſſequutum* , an. 1251. ſcripſit Alexander IV. Pont. Max. cujus extant *litteræ tom.* 1. *Bullar. Dominicani p.* 298. Seculo XIV hoc eſt an. 1323. Johannes XXII. ut ex ejus Diplomate , quod refertur *tom.* II. *ejuſd. Bullarii p.* 159. liquet : „ In ſacræ Scripturæ pagina , *inquit* , tam ſupra Novum , quam Vetus Teſtamentum ſcripta , plurimaque alia opera in Dei laudem , fideique dilatationem , eruditionemque ſtudentium clara , cum ſciens eſſet (*S. Thomas*) ; famoſa , cum cognitus , non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit „ . Anno 1344. Clemens VI. *Bullar. ejuſd. tom.* II. *p.* 226. „ Attendentes , *inquit* , quod Ordo (*Prædicatorum*) illum prælucidum , ac fructuoſum palmitem , B. videlicet Thomam de Aquino Confeſſorem , ac Doctorem egregium , ex cujus ſapientiæ , & doctrinæ ſcriptis , & traditis univerſalis Eccleſia multiplici ſpiritalis ubertatis fructus odore reficitur inceſſanter , produxit &c. „ Urbanus V. an. 1368. *Bullar. ejuſd. tom eod. p.* 258. „ S. Thomas tamquam Doctor egregius per ſua profunda , & ſalutifera documenta univerſalem illuſtravit Eccleſiam . . . ſua facundia fœcunda cæleſtis irrigui gratia influente Scripturarum ænigmata reſeravit , ſolvit nodos , obſcura dilucidavit , dubiaque declaravit „ . Sec. XV. Nicolaus V. *Conſtitut. ad Conventum Toloſanum Ord. Præd. an.* 1451. *Bullar. ejuſd. tom.* III. *p.* 97. „ Ex *S. Thomæ* doctrina , *inquit* , tota univerſalis illuminatur Eccleſia „ . Alexander VI. *Conſtitut. Etſi cunctæ an.* 1498. *Bullar. ejuſd. tom.* IV. *p.* 122. „ S. Thomam de Aquino , *inquit* , eo celebriori memoria convenit venerari , quo ipſe , quaſi lucerna præfulgens in univerſo Chriſtianum orbem illuſtrat „ . Sec. XVI. an. 1564. Pius IV. *Conſtit. Salvatoris ad Patres Salmanticenſes Ord. Præd.* 15. *April. an* 1564: *tom.* V. *Bullar. ejuſd. p.* 97. „ Ut inſignis Academia Salmantina . . . ad tanti Doctoris (S. Thomæ) ex cujus ſacra doctrina , quanti fructus Eccleſiæ Dei pervenerint , & quotidie perveniunt , nullus eſt fere , qui neſciat , ſanctiſſimos mores imitandos , aſſequendamque doctrinam , avidius accendatur „ . S. Pius V. *in Conſtitut. Mirabilis Deus an.* 1565. *tom. eod.* V. *p.* 155. „ CERTISSIMA CHRISTIANÆ REGULA DOCTRINÆ , qua S. Doctor (Thomas Aquinas) Apoſtolicam Eccleſiam INFINITIS CONFUTATIS HÆRESIBUS , illuſtravit „ . Et rurſus : „ Omnipotentis Dei providentia factum eſt , ut Angelici Doctoris vi , & VERITATE DOCTRINÆ . . . multæ , quæ deinceps exortæ ſunt , hæreſes confuſæ , & convictæ diſſiparentur , quod & antea ſæpe , & liquido nuper in ſacris Tridentini Concilii decretis apparuit . . . cujus meritis orbis terrarum a peſtiferis quotidie erroribus liberatur „ . Confer ejuſdem *Conſtit. in Eminenti &c. data* 29. *Julii an.* 1570. *tom. eod.* V. *Bullarii Dominicani p.* 245. quo loco : „ Nos atten- „ den-

doctrinæ, eruditioniſque laudem comparavit. Hujus extat præclara de *Epiſcoporum juriſdictione, & Pontificis Maximi auctoritate Romæ an.* 1563. typis excuſa tractatio, in cujus *Confirmatione* 1I. *pag.* 85. Sanctum Thomam *in omnibus difficultatibus ſuperandis tamquam fortiſſimum quemdam Herculem* ab ſe adhibitum ſcribit. Nam eum *in omnibus adeo fuiſſe ſemper diligentem veritatis exploratorem, ut nihil abditum, nihil remotum, nihil obſcurum eſſe permiſerit, ſed expoſita, promta, ipſa denique luce clariora omnia fecerit. Adhortari autem* ſe *omnes ad virum illum cognoſcendum, qui non magis Theologis, quam Juriſperitis eſt neceſſarius, qui ſi eum legiſſent, intellexiſ-*

tttt 2

ſent-

„ dentes, *inquit*, S. Thomæ doctrinam Theologicam ab Eccleſia Catholica rece- „ ptam aliis magis tutam, & ſecuram exiſtere „. At Cadonicus contra ſtatuit. Adi etiam Conſtitutionem Sixti V. quæ incipit *Triumphantis* an. 1588. datam *Tom. eod.* v. *Bullar. p.* 457. Seculo XVII. Clemens VIII. in litteris incipientibus *In quo: ad Deputatos Civit. Neapol. an.* 1603. S. Thomam vocat: *Divinæ voluntatis Angelicum Interpretem . . . cujus doctrinæ tantum fuit tributum, ut Chriſtianæ eruditionis ſuæ divinum etiam illud habuerit teſtimonium*: bene de me Thoma ſcripſiſti. In aliis item litteris ad Neapolitanos Cives *ibid. p.* 612. *admirabilem* ejuſdem *S. Doctoris doctrinam* prædicat, cujus doctrinæ *teſtem eſſe* ait *ingentem librorum numerum, quos* idem S. Doctor *breviſſimo tempore in omni fere diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate*, SINE ULLO PRORSUS ERRORE CONSCRIPSIT. Poſtremo in litteris ad Proregem Neapolitanorum: *ibid. p.* 610. *divinum S. Doctoris eloquium*, & CÆLESTEM DOCTRINAM celebrat. Halce litteras afferunt Bollandiani *tom. Act. SS.* 1. *menſis Martii*, *pag.* 741. *edit. Antuerp. an.* 1668. Paulus V. *Conſtit. incip. Splendidiſſimi &c. an.* 1607. *to.* v. *ejuſd. Bullar. Dominicani p.* 657. „ Splendidiſſimi, *inquit*, Catholicæ fidei Athletæ B. Thomæ Aqui- „ natis ſcriptorum clipeo militans Eccleſia hæreticorum tela feliciter eludit „. Et in litteris *Cum ſicut* an. 1614. *ibid. p.* 699. S. Thomam *Eccleſiæ Catholicæ defenſorem, & hæreticorum expugnatorem vocat*. Horum ſimilia ſcribunt Innoc. XI. *Conſtitut. Inſcrutabili: an.* 1681. *Bullar. Dominicani tom.* VI. *p.* 360. *& Conſtit. Exponi nobis: an.* 1686. *ibid. p.* 369. Clemens XI. *Conſtit. Cum ſicut: an.* 1704. *tom.* VI. *Bullar. Dominic. p.* 449. Innocentius XIII. *Conſtit. incip. Æternæ ſapientiæ: an.* 1721. *ibid. p.* 523. Benedictus XIII. *Conſtitut. incip. Exponi nobis: an.* 1730 *ibid. pag.* 701: Clemens XII. *Conſtitut. incip. Exponi &c. an.* 1732. *ibid. p.* 738. & in litteris, quarum eſt initium: *Verbo Dei an.* 1733. *ibid. p.* 736. in quibus „ Deceſſores, *inquit*, „ noſtri Romani Pontifices Sanctum Chriſti Confeſſorem Thomam Aquinatem „ Ord. Præd & Eccleſiæ Doctorem . . . juſtis laudibus in ſuis diplomatibus proſe- „ quuti OMNES UNO EUM ORE APPROBANTES, in Sanctis Eccleſiæ faſtis „ JUXTA AC MAGNOS ECCLESIÆ DOCTORES GREGORIUM, AMBRO- „ SIUM, AUGUSTINUM, & HIERONYMUM Thomam quoque ut vitæ pro- „ bitate, & SANCTIORIS THEOLOGIÆ SCIENTIA venerabilem, MIRA- „ QUE ERUDITIONE ECCLESIAM DEI CLARIFICANTEM, & ſancta ope- „ ratione fœcundantem coli voluerunt. Itaque TANTI VIRI DOCTRINAM IN „ CONCILIIS ETIAM ŒCUMENICIS CELEBRATAM debitis præconiis, Rei- „ publicæ cauſſa, nos quoque ornare cupientes &c. „ Benedictus XIV. in Litteris Apoſtolicis, quibus Privilegia *Collegii Dionyſiani extra muros Granatæ Urbis in Hiſ-*

ſentque , Deus bone ! quantum ignorantiæ , quantumque turpis erroris e libris ſuis , atque animis eximere potuiſſent . His adjungam Carolum Borromæum Sanctiſſimum , dignitateque Eminentiſſimum virum , qui in Epiſtola ad Andream S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Batorium (*vide pag. hujus operis* 463. *not*. 4.) „ Finem faciam , *inquit* , ſi
„ illud addidero , ut THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
„ OPERAM OMNINO NAVES „ . Arrigat aures Cadonicus , qui tam fidenter rejicit ſententias omnium Scholaſticorum . „ Eſt enim (*Theologia Scholaſtica*) NE-
„ CESSARIA iis , qui accuratam SACRÆ DOCTRI-
„ NÆ SCIENTIAM CONSEQUI STUDENT NOSTRIS
„ PRÆ-

Hiſpania conſtituti auget , *& confirmat* , quarum eſt litterarum initium : *Saluberrimam* &c. *p*. 48. *Actor. Capit General. Ord. Præd an*. 1756. *edit. Rom. ejuſd. anni* , ſic habet : » Doctrinæ S. Thomæ Aquinatis DIVINÆ VOLUNTATIS INTER-
» PRETIS . . . . . tantum fuit tributum , ut Chriſtianæ eruditionis ſuæ Divinum
» etiam illud habeat teſtimonium , ſicut pie teſtatur hiſtoria : *bene de me Thoma*
» *ſcripſiſti* : atque ejuſdem quidem DOCTRINÆ teſtis eſt ingens librorum nume-
» rus , quos ille breviſſimo tempore in omni fere diſciplinarum genere , ſingulari
» ordine , ac mira perſpicuitate SINE ULLO PRORSUS ERRORE conſcripſit ,
» in quibus conſcribendis interdum Sanctos Apoſtolos Petrum , & Paulum collo-
» quentes , locoſque illi quoſdam Dei juſſu enarrantes habuit ; & quos deinde
» conſcriptos expreſſa Chriſti voce comprobatos audivit . Quandoquidem omni-
„ potentis Dei providentia factum eſt , ut Angelici Doctoris VI , AC VERITATE
„ DOCTRINÆ , non ſolum innumeræ , quæ vel ipſius ætate , vel antea graſſatæ
„ ſunt , ſed multæ etiam , quæ deinceps exortæ ſunt , hæreſes confuſæ , & convictæ
„ diſſiparentur . Ea propter cum tanti Doctoris opera SOLE CLARIORA , SINE
„ ULLO PRORSUS ERRORE CONSCRIPTA , quibus Eccleſiam Chriſti mira
„ eruditione clarificavit , inoffenſo pede decurri poſſint ; nos , qui peculiari pie-
„ tate , ac veneratione eumdem Angelicum Doctorem ſemper proſecuti ſumus ,
„ quemadmodum Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri MAGNO ETIAM IN
„ HONORE IPSIUS DOCTRINAM HABENTES MERITIS quoque laudi-
„ bus cumularunt , noſtris itidem Apoſtolicis vocibus collaudantes , ſtatutum
„ ejuſmodi Collegii Dionyſiani &c. approbamus , & confirmamus , nec non Apo-
„ ſtolici præſidii munimine roboramus , ita ut deinceps nemo ex Magiſtris , ſive
„ Lectoribus ejuſdem Collegii Dionyſiani ALIAM DOCTRINAM , AC PRÆ-
„ SERTIM IN REBUS THEOLOGICIS , PRÆTER UNICAM S. THOMÆ
„ AQUINATIS DOCTRINAM , in Scholis , & Cathedris dicti Collegii Auditori-
„ bus legere , tradere , explicare umquam poſſit „ . Horum ſunt ſimilia , quæ idem Pontifex complexus eſt litteris , quas anno 1754. pro Schola in oppido Lugo a Thoma Antonio Emaldo inſtituta , in qua doctrina S. Thomæ de moribus traderetur . Extant hæ litteræ in iiſdem Actis *Capit. Gener. Ord. Prædic. p*. 58. *ſeqq*. Vide *p*. 65. Jam omnium Ordinum conſenſione celebrari doctrinam Sancti ejuſdem Doctoris , oſtenſum a Natali Alexandro eſt in Oratione *de S. Thoma pag*. 649. *Append. tom*. VIII. *Hiſt. Eccl. edit. Lucenſis an* 1752. In his autem Ordinibus numerat Natalis Alexander Canonicos Regul. Sancti Salvatoris *P*. II. *Conſtit. cap*. XI. Congregationem Canonicorum Regularium *S. Auguſt. in Capitulo General. Pariſiis celebrato in Abbatia S. Genovefæ an*. 1650. Ordinem Eremitarum Auguſtinianorum
P. V.

„ PRÆSERTIM TEMPORIBUS, QUIBUS EAM HÆ„ RETICI REPROBARE OMNI RATIONE TEN„ TANT. Hac de cauſſa oportebit te habere domi do„ ctorem doctrina, atque moribus gravem D. THO„ MÆ SECTATOREM, a quo certis horis Theologiam „ audias quotidie „. Quanti autem S. Thomæ doctrinam Synodi Oecumenicæ, imprimiſque Tridentina, fecerint, cum ex S. Pii V. & Clementis XII. Pontificum Maximorum locupletiſſimis teſtimoniis, quæ deſcripſimus notatione ſuperiore; tum etiam ex Gallii, exque Cardinalis Valerii illuſtribus locis conſtat, quæ ſunt a nobis tranſlata *in notat. 3. pag. 463.* & in *not. 3. pag. 464. hujuſce operis*, cum de auctoritate ageremus Scholaſticorum. Atque Gallius quidem Patres ipſos Tridentinæ Synodi in unum

P. v. Conſtitut. cap. II. Ordinem Redempt. Captivor. *In Compend. Regul. & Conſtitut. v. de Doctrina tit.* v. Ordinem Minimorum S. Franciſci a Paula *in Capitulo Generali Barcinon. an.* 1661. *ſeſſ. ult.* Ordinem Carmelitar. Excalceator. *P.* II. *Conſtitut. cap.* IV. Societatem Jeſu *P.* IV. *Conſtitut. cap.* XIV. §. I *& in Congreg. v. General. Decr.* LV. *num.* I. Ordinem Clericorum Regularium Barnabitarum *Manual. Regul. Diſcipl.*, quibus addere licet Ordines S. Pauli I. Eremitæ, Clericorum Regularium Minorum &c.

De Academiis nihil attinet dicere. Res enim nota eſt, quantum Pariſienſis, Lovanienſis, Salmanticenſis, Toloſana, Duacenſis, Colonienſis &c. S. Doctori tribuendum putent. Omnium autem gentium de doctrina Thomæ monumenta commemorare longum ſane opus, plenumque laboris eſſet. Quis enim complecti paucis poterit, quæ Itali, Galli, Germani, Hiſpani, Britanni in ejus laudem ſcripſerunt? Hoc dicam breve: ejus opera in Græcam, Armenicam, Hebraicam linguas utilitatis cauſſa fuiſſe converſa.

Jam vero de ſermonibus, ſeu orationibus publice in Eccleſia cum alias ſæpe, tum etiam coram Emis S. R. E. Cardinalibus recitatis, ſi agere vellem, pene infinitus eſſem. Ad Preces, Benedictioneſque quod attinet, conſtat, illud in *Oratione* ad *d.* VII. *menſis Martii* Eccleſiam precari, ut quæ Thomas *mira eruditione* docuit fideles poſſint *intellectu conſpicere*. Rurſum in *benedictionibus*, quæ extant in Pontificali Romano Leonis X. P. M. temporibus edito, deincepſque typis excuſo Lugduni an. 1542. *p.* 242. *& Venetiis an.* 1543 *p.* 255. ſic legitur: „ Benedicat, & cuſto„ diat vos omnipotens Deus, qui per B. Thomam Aquinatem.... DIVINA SA„ PIENTIA ILLUSTRATUM Eccleſiam Sanctam hæreſibus purgare, & crimini„ bus, AC LUCE VERITATIS, ET DOCTRINÆ INTEGRITATE ILLUMI„ NARE eſt dignatus. R. Amen. Et qui ejus DOCTRINAM IN VERITATE, „ ET CARITATE FUNDATAM nullis permiſit adverſantium telis peſſumdari, „ ipſe vos in recta fide, & perſeverantia, & in ſua voluntate dignetur confirma„ re. R. Amen. &c. „ Quæ quidem benedictiones ante Clementis VIII. tempora recitari in templis Chriſtianorum ab Antiſtitibus ſacrorum publice conſuerant: quamquam brevitatis ſervandæ, tædiique tollendi cauſſa, ne quo afficerentur, qui frequentes ad ſacram Synaxim concurrebant, ita ſublatæ e Pontificali libro hæ quoque benedictiones cum permultiis aliis fuerunt, quin fuerit quidquam de earum ſanctitate, auctoritateque detractum.

unum congregatos locum alloquens: „ Nulla, *inquit*, ab „ ejus felici tranſitu concilia ſine ſacro Doctore celebrata „ ſunt. Ut enim de ceteris ſileam, quod AUDIMUS, „ QUOD VIDEMUS, quod MANIBUS NOSTRIS „ CONTRECTAMUS, QUIDNI APERTA VOCE AD „ EJUS LAUDEM TESTEMUR? VESTRA COMITIA „ PERPENDITE. Ex plurimo, eoque honorabili Do„ ctorum cœtu, quotus quiſque conſultor accedit, qui „ D. Thomæ auctoritate veluti ſplendente gemma ſuam „ ſententiam non exornet? AT IN CONSULTISSI„ MO PATRUM RECESSU DOCTOR HIC SEN„ TENTIAM ROGATUS FREQUENTISSIME CEN„ SET, AD QUEM UT AD LYDIUM LAPIDEM, SI„ QUID AMBIGUITATIS, AUT CONTROVERSIÆ „ FUERIT EXORTUM, COMMUNIBUS VOTIS RE„ FERENDUM EXISTIMETIS, ET QUI EUM PLA„ CITI SUI PATRONUM OBTINUERIT, INCER„ TAM JUDICIORUM ALEAM NON SIT HABI„ TURUS, QUIN SECUNDUM EUM SENTENTIA „ FERENDA SIT. Atque adeo graviſſimæ veſtræ au„ ctoritati gratias agere libeat, quod Doctoris Thomæ „ nomen ubique celeberrimum veſtra in eum obſervan„ tia celebrius poſteritati relinquetis &c. „. Ita ſcilicet Gallius in auguſto conſeſſu Patrum Tridentinorum, quæ nota erant, comperta, explorata omnibus, qui præſto aderant, non tam eleganter, quam vere de Thomæ apud Synodum auctoritate perſequutus eſt. Jam de Pontificibus Maximis, qui Thomæ doctrinæ adverſus profanas hæreſes vim, integritatem, *ab omni prorſus errore* immunitatem voce, ſcriptiſque etiam litteris celebrarunt, ſatis dictum a me fuit adnotatione ſuperiore. Quorum quidem Pontificum locupletiſſima teſtimonia, quibus non minus S. Doctoris Thomæ veritas doctrinæ laudata eſt, quam celebrata ab Cæleſtino, ab Gelaſio I. a Bonifacio II. ab Hormiſda, a Pelagio II. ab Agathone, ab Hadriano I.

driano I. a Nicolao I. a Leone IX. a Gregorio VII. aliiſque, qui poſt ſunt conſequuti, Antiſtitibus Apoſtolicæ Sedis Auguſtini doctrina fuerit, omnino conſuli volo. Neque vero fieri aliter poterat. Quæ namque una, atque eadem doctrina eſt, iiſdem laudibus efferri, celebrarique a veritatis Sede debuerunt.

Nam Thomæ *mira eruditione*, ut eſt in precibus Eccleſiæ publicis, Eccleſiam ipſam *clarificantis, divinaque ſapientia illuſtrantis* veritatem, integritatemque doctrinæ [1], eamdem atque veritatem doctrinæ Auguſtini eſſe, non ſolum S. R. E. Cardinalis de Aguirre his omnino verbis teſtatur [2]: Mira illa Angelicæ mentis claritate quæque „ expoſuit S. Thomas, & abſtruſos Patrum, præſertim „ Auguſtini, ſenſus luce donavit. Quod experientia didi„ ci. Nec dubium alii. Contingit in controverſiis, in„ ſpecta ſola Sancti Auguſtini littera, mentem obrui „ fluctibus difficultatum, nec apparere viam ad emer„ gendum, totam vero PROCELLAM SEDARI, & „ OCCURRERE PORTUM, UBI INTENTE QUÆ„ RITUR, & TANDEM INVENITUR, QUID AN„ GELICUS DOCTOR TRADIDERIT. IPSE ENIM „ MITI, AC SUAVISSIMO INTERPRETATIONIS „ GENERE DIVUM AUGUSTINUM EXPONIT; „ ſed etiam Pontifices Maximi Apoſtolicis Litteris declararunt. Etenim Urbanus V. *in Conſtitutione*, ad Univerſitatem Toloſanam data an. 1368. „ Nos attendentes, „ *inquit*, quanta (S. Thomas.) a Deo ſcientiæ doctrina „ Ordinem FF. Prædicatorum, ac UNIVERSALEM EC„ CLESIAM ILLUSTRAVIT, ac B. AUGUSTINI VE„ STIGIA INSEQUENS, ECCLESIAM EAMDEM DO„ CTRINIS, & SCIENTIIS QUAMPLURIMIS ADOR„ NAVIT... Volumus, & tenore præſentium vobis in„ jungimus, ut dicti B. Thomæ DOCTRINAM TAMQUAM

1 Vide extremam notationem ſuperiorem.
2 *Proleg.* II. *ad to.* III. *Theolog. S. Anſelmi p.* XV. *edit. edit. Rom. an.* 1690.

„ QUAM BENEDICTAM, & CATHOLICAM SE-
„ CTEMINI, EAMQUE STUDEATIS TOTIS VIRI-
„ BUS AMPLIARE „ [1]. Quin etiam Alexander VII. in Litteris ad Lovanienſes ſcriptis an. 1660. „ Non dubitamus, *inquit*, quin vos pro ſingulari ſcientiæ, pietatiſque ſtudio ſanam, & incorruptam, qualem tot „ Apoſtolicæ Sedis declarationes, & Sanctorum Patrum „ traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, „ & adverſus orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis, „ nec non præclariſſimorum ECCLESIÆ DOCTORUM „ AUGUSTINI, & THOMÆ AQUINATIS INCONCUSSA, TUTISSIMAQUE DOGMATA SEQUI „ SEMPER, ut aſſeritis, ac IMPENSE REVERERI VELITIS, quorum profecto ſanctiſſimorum virorum PENES CATHOLICOS UNIVERSOS INGENTIA, & „ OMNEM LAUDEM SUPERGRESSA NOMINA NOVI PRÆCONIS COMMENDATIONE PLANE NON „ EGENT „ [2]. Innocentius quoque XII. in Litteris ad Lovanienſes eoſdem datis ann. 1694. „ Apoſtolica vos, „ *inquit*, primum auctoritate monemus, ut ſublatis „ contentionibus, ſapientiæ, quæ deſurſum, atque pacifica eſt, vacetis, profitentes, ſicut aſſeritis, DOCTRINAM præclariſſimorum Doctorum AUGUSTINI, & „ THOMÆ: quorum ille tantæ ſcientiæ fuit, ut inter „ magiſtros optimos etiam a noſtris prædeceſſoribus haberetur, & cujus doctrinam, ſecundum eorumdem „ Prædeceſſorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat „ Eccleſia; alter vero MIRA ERUDITIONE EAMDEM „ DEI ECCLESIAM CLARIFICAT, & ſancta operatione fœcundat. Hos dum Univerſitas veſtra doctrinæ „ duces ſequuta fuerit, SECURE PUGNABIT CONTRA „ HOSTES ORTHODOXÆ FIDEI &c. [3] „.

Laudi

1 *Bullar. Dominicani tom.* II. *p.* 259.
2 *Bullar. Dominic. tom.* VI. *p.* 192.
3 *Bullar. Dominic. tom.* VII. *p.* 498.

Laudi autem cuiquam dare, quod *inconcuſſa*, atque *tutiſſima Sanctorum Auguſtini, & Thomæ dogmata ſequatur, & revereatur*, quid eſt, niſi ejus utriuſque Doctoris eadem eſſe dogmata confiteri? Neque enim dignus eſt laude is, qui dogmata, quæ aut inter ſe pugnent, aut non cohæreant, conſectetur. Nam pugnantium, vel non cohærentium rerum, alterum quidem fieri poteſt, ut nulla; alterum ſane non poteſt, ut plus una vera ſit. Quamobrem laudare eos, qui pugnantia, aut non cohærentia probent, ac colant; idem eſt omnino, atque eos ornare laude, qui veritatem cum errore, lucem cum tenebris componere conentur. Quum igitur docti, pii, dignitate excellentes viri, ipſique in primis Pontifices Maximi dignos eſſe pronunciarint laude eos, qui *tutiſſima, & inconcuſſa Sanctorum Auguſtini, & Thomæ dogmata ſequuntur, ac reverentur*; eadem ſint omnino eorum Sanctorum duorum dogmata, neceſſe eſt.

Ecquid dices Cadonice? Pontifices ne Maximos de doctrina minus ipſis explorata cenſuiſſe, ſcripſiſſeque, dices? Equidem credo, te nihil umquam tale dicturum. Quid? An plus antiquis Pontificibus, quorum ſeriem dediſti in procemio Operis prioris tui; an iis, inquam, plus fuiſſe tributum ſtatues auctoritatis, quam ſit tributum recentibus; ut illis Auguſtini doctrinam celebrantibus auſcultandum ſit; his vero Thomæ item doctrinæ veritatem, integritatem, ſanctitatem laudantibus, eamdemque, atque Auguſtini, doctrinam eſſe oſtendentibus, non eſſe ſtatues auſcultandum? Ne id quidem eſſe te ſtatuturum, credo. Cavebis enim malo, ne ſtatuas. Quæ igitur cauſſa eſt, cur Auguſtini te, non Thomæ (quaſi contraria ſint) dogmata ſequi profiteare? At S. Paulinus Nolanus, *Chriſtum* in Auguſtino *loquutum*, & Johannes II. *doctrinam Auguſtini, ſecundum Prædeceſſorum ſuorum ſtatuta, Romanam, ſequi, & ſervare Eccleſiam*, tradunt. Quid? An idcirco Thomæ te aſſentiri negabis poſſe, quod ab his

uuuu tam

tam antiquis non fuerit ornatus laude? Quaſi vero laudari tunc is potuerit, quem tamdiu poſt natum novimus. Sed poſtea quam florere unus omnium cœpit maxime, is quoque & vivus, & multo magis ubi functus vita mortali fuit, non a Doctis modo, a Dignitate præſtantibus, a Sanctis; ſed a Pontificibus etiam pari atque Auguſtinus laude celebratus eſt, ut qui *theſaurum litteralis ſcientiæ per Dei gratiam aſſequutus, & catholicæ fidei athleta, divinæque voluntatis interpres effectus, non abſque ſpeciali Dei infuſione, quaſi lucerna præfulgens, ſuis profundis, & ſalutaribus documentis, ſacræ ſuæ, ſanctioris* [1], *admirabilis, cæleſtis doctrinæ vi, excellentia, veritate univerſalem illuſtrarit Eccleſiam, Scripturarum ænigmata reſerarit, ſolverit nodos, obſcura dilucidarit, magno numero libros ſole clariores ſingulari ordine, mira perſpicuitate, ſine ullo prorſus errore conſcripſerit, eoſque conſcriptos expreſſa Chriſti voce comprobatos audiverit, Pontificeſque inde Maximos* ita obligarit ſibi, ut *& ſuo* ipſi, *& totius Eccleſiæ nomine plurimum ei ſe debere* profeſſi ſint; *innumeras* porro, *ſeu infinitas* prope *hæreſes convicerit, confuderit, diſſiparit, & quotidie diſſipet; liberetque a peſtiferis hæreſibus orbem terrarum* [2]; idque obtinuerit, ut qui *ejus tutiſſima, atque inconcuſſa ſequuntur dogmata*, iidem Auguſtini *inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſequantur*. Cum ergo eodem ex fonte, hoc eſt ex Apoſtolica eadem Sede Auguſtini, Thomæque laudes de doctrinæ veritate, integritate, ſanctitate, conjunctione, unitate profectæ ſint; quid eſt, quod Auguſtini doctrinam ab doctrina Thomæ disjungas, atque hanc rejiciendam, illam tibi eſſe probandam arbitrere? Annon vides, ſi diplomatibus Apoſtolicis in eo, quod pertinet ad Thomam, auctoritatem detrahas; exiſtimationem item doctrinæ Auguſtini eſſe, tua opera, funditus perituritu-

1 Benedictus XIII. P. M. *Conſtitut.* „ Cuſtodes „. Data die 7. Martii an. 1727. tom. VI. *Bullarii Dominicani p.* 581.
2 Vide teſtimonia Pontificum, quæ ſupra deſcripſimus *pag.* 697., *ſeqq.*

rituram? Auctoritate namque Sedis Apoſtolicæ Conſtitutionum de re una ſublata, quæ demum iiſdem ſupererit de rebus ceteris auctoritas? Atenim doctrinam Auguſtini Romana ſequitur, Johanne II. teſte, & ſervat Eccleſia. Quis hoc negat? An idcirco non perinde ſequitur, ac ſervat doctrinam Thomæ, quam eamdem, atque Auguſtini, quam *tutiſſimam*, quam *inconcuſſam*, quam *veram*, quam *omni prorſus errore vacantem*, quam *integram*, quam *ſanctam*, quam *ſalutarem*, quam *cæleſtem*, quam *admirabilem*, quam *Eccleſiæ univerſalis illuſtratricem*, quam *ſpeciali infuſione* partam, quam *ſole clariorem* eſſe prædicat? Hoc reſtat, ut quæ *tutiſſima*, quæ *vera*, quæ *integra*, quæ *inconcuſſa*, quæ *omni prorſus errore* libera, quæ *ſancta*, quæ *ſalutaria*, quæ *cæleſtia*, quæ *admirabilia*, quæ *ſpeciali* Dei *infuſione* parta, quæ *clariora ſole*, quæ *Auguſtini* ſint, quæque *univerſalem illuſtrant Eccleſiam*, Romanam Eccleſiam ſequi, ac ſervare inficiere.

At *Concilium Florentinum*, inquis, *auctoritatem Auguſtini adducturum*, *his utitur verbis*: „ Beatus Auguſti„ nus præclariſſimus Doctor Latinorum, quem Sancta „ quinta Synodus recepit, qui & præſtantiſſimus ap„ pellatur „ [1].

Id ne, quod ab Joh. Rhodio diſputante adverſus Marcum Epheſium in Synodo Florentina dictum de Auguſtino eſt, id tu ab univerſa Florentina Synodo dictum cenſes? Quin etiam, quod idem Rhodius (impediturus, ne Schiſmatici,exemplum Photii imitati, Latino Doctori aſſentiri ſe nolle dicerent) *receptum* ab Synodo Epheſina fuiſſe Auguſtinum, hoc eſt in probatis Doctoribus numeratum, ac *præſtantiſſimum* appellatum animadvertit, tanti putas eſſe, ut ipſum quiſque ſibi Auguſtinum ducem eſſe, ac præceptorem [2] in re quavis doctrinæ ſequendum arbitretur? Quod das accipio. Sumam nunc ipſe mihi: ergo tanti habendus

 etiam

1 Synodus Florentina *ſeſſ* VII. *p.* 94. *tom.* IX. *Concilior. edit. Pariſ. an.* 1714.
2 Vide Cadonici *Proœm. Vindiciar. p.* 2. *ſeqq. edit. Cremon. an.* 1747.

etiam Thomas eſt, ut in re quavis doctrinæ ſequi ipſum quiſque Magiſtrum, ac ducem debeat. Non enim ſolum Græci, qui in Synodum Florentinam convenerant, etſi argumentis Thomæ ſuos exagitari, convinci, opprimi graviter tuliſſent, tamen vi veritatis coacti, confeſſi ſunt, eum *σοφώτατον ſapientiſſimum* fuiſſe [1], ſcripſeruntque εἴθε Θωμᾶ μὴ ἦσθα γεγονὼς ἐν τῇ δύσει, ἀλλ' ἐν τῇ ἀνατολῇ, ἵνα ἦσθα ὀρθόδοξος, καὶ ἵνα ἐφρόνεις καὶ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ὀρθῶς, ὡς καὶ περὶ τῶν ἄλλων λέγεις [2]: & οὗτος σοφὸς, πλὴν τοῦ εἶναι λατῖνος, καὶ βαρλααμίτης, μᾶλλον δὲ ὁ βάρλααμ θωμαΐτης, ἦν καὶ λατῖνος, τὰ ἄλλα θαυμάσιος [3]: quique Græcorum ad catholica ſacra acceſſerunt, eum non *minus inter ſanctos doctiſſimum, quam inter doctos ſanctiſſimum* appellarunt [4]; ſed etiam vir maximus Cæſar S. R. E. Card. Baronius de eo in hanc ſententiam loquutus eſt: „ Vix quiſquam enarrare ſufficeret, „ quot vir ſanctiſſimus, atque eruditiſſimus Theologo„ rum præconiis celebretur, quantumque ejus illibatæ „ doctrinæ a ſanctis Patribus IN SANCTO OECU„ MENICO TRIDENTINO CONCILIO FUERIT „ ACCLAMATUM, JUREQUE OB EAM CAUSSAM „ A SANCTISSIMÆ MEMORIÆ PIO V. Rom. Pon„ tifice

1 *Reg. Cod. Pariſ.* 2946. quo continetur 1. 2. *ſumma Theologiæ S. Thomæ græce*. Confer Echardum *tom.* 1. *Scriptor. Ord. Prædicator. ad an.* 1274. *p.* 346. *edit. Pariſ. an.* 1719.

2 *Codex Reg. Pariſ.* 2422. *Utinam*, Thoma, *non in occidente, ſed in oriente natus fuiſſes, ut eſſes orthodoxus, ac de Spiritus Sancti proceſſione ſic recte ſentires, ut de aliis bene dicis*. Nempe veritas extorſit, ut Græcus Scriptor in omnibus Thomam dicere ſane bene confiteretur). Quamquam ei Græco errore Photianorum imbuto id contigit, quod contingere ſolet iis, qui præjudicatis opinionibus feruntur, ut cum omnia Thomæ laudent dogmata; tum illud excipiant, quod ipſis eſt adverſarium. Quæ res ſatis magno eſſe argumento debet, ut Thomæ doctrinam veram, integram, errore quovis liberam agnoſcamus eſſe, cum omnem quique probent, ac laudent, nihilque in ea quiſquam reprehendat, niſi quod præjudicata opinio reprehendendum ſuggeſſerit.

3 „ Sapiens hic, excepto quod eſt Latinus, & Barlaamita, ni potius Barlaamus „ Thomiſta, & Latinus fuit, CETERA ADMIRANDUS EST „. Ita ſcilicet Photianus interpres, qui Thomam hoc uno nomine reprehendit, quod Catholica dogmata de primatu Pont. Max., deque Spiritus S. ex Filio proceſſione defenderit, in ceteris fatetur ſapientem eſſe, & admirandum.

4 Beſſarion Nicænus, qui poſt S. R. E. Cardinalis fuit, Confer Franciſcum Silvium *Opuſc.* IV. *p.* 98. *edit. Venetæ an.* 1729. *tom.* V.

„ tifice inter celebriores Doctores Eccleſiæ fuit adnu-
„ meratus [1] „. Huic præiverat Hieronymus Vielmius is, qui Synodo eidem interfuit, quantumque doctrina, & eruditione poſſet, demonſtravit. Atque is quidem, quod vidit, quodque expertus ipſe per ſeſe fuit, memoriæ hominum prodidit. Sic autem teſtatur: „ Apoſtolica
„ Sedes ſolius Thomæ doctrinam publico edicto pro-
„ bavit, Eccleſiæque ſectandam tradidit, ejuſque no-
„ men, & AUCTORITATEM POSTERIORA CON-
„ CILIA OECUMENICA PERPETUO VENERATA
„ SUNT, ET PAREM CUJUSVIS VETERUM PA-
„ TRUM AUCTORITATI FECERUNT. CERTE IN
„ HAC TRIDENTINA OECUMENICA SYNODO,
„ QUAM, CUM HÆC SCRIBIMUS, FREQUENTIS-
„ SIMAM CELEBRAMUS, NEMO PATRUM ESSE
„ VIDETUR, CUI RELIGIO NON SIT, CUM DE
„ FIDEI DOGMATIBUS AGITUR, A THOMÆ SEN-
„ TENTIA VEL LATUM UNGUEM RECEDERE,
„ AUT AB ILLA PROVOCARE, UT & a VETERIBUS
„ PATRIBUS NIHIL MINUS AQUINAS HABUE-
„ RIT, ET SCHOLASTICI OMNES PRINCIPEM
„ HUNC SUUM RECEPERINT MODIS OMNIBUS
„ ORNATISSIMUM [2] „. Sed juvat, quod paulo ante de Gallio, ſcripſi repetere. Is in conventu ejus Synodi Patrum, ſummo ſilentio, ſummaque omnium voluntate auditus fuit, cum publice e ſuggeſtu diceret: *quod audimus, quod videmus, quod manibus noſtris contrectamus, quidni aperta voce* ad Thomæ *laudem teſtemur? Veſtra comitia perpendite … In conſultiſſimo Patrum receſſu doctor hic ſententiam rogatus frequentiſſime cenſet, ad quem*, UT AD LYDIUM LAPIDEM, SIQUID AMBIGUITATIS, AUT CONTROVERSIÆ FUERIT EXORTUM, COMMUNIBUS VOTIS REFERENDUM EXISTIMATIS, ET

1 *In notis ad Martyrolog. Romanum a d.* VII. *Martii p.* 112. *edit. Rom. an.* 1586
2 *Lib.* 1. *de Scriptis, & Doctrina D. Thomæ Aquinatis p.* 395. *edit. Ven. an.* 1575

ET QUI EUM PLACITI SUI PATRONUM OBTINUERIT, INCERTAM JUDICIORUM ALEAM NON SIT HABITURUS [1]. Quin etiam S. Pius V. P. M. qui *Sancti Thomæ doctrinam Theologicam ab ECCLESIA CATHOLICA RECEPTAM ALIIS MAGIS TUTAM EXISTERE* affirmat, ſic etiam ſtatuit: „ Omnipotentis „ Dei providentia factum eſt, ut Angelici Doctoris „ vi, & veritate doctrinæ multæ, quæ deinceps exor- „ tæ ſunt, hæreſes confuſæ, & convictæ diſſiparen- „ tur, quod & antea ſæpe, & LIQUIDO NUPER „ IN SACRIS CONCILII TRIDENTINI DECRETIS „ APPARUIT „. Itaque cum honos haud minor Thomæ habitus a Conciliis etiam Oecumenicis, veritatis doctrinæ cauſſa, fuerit, quam fuerit habitus Auguſtino; quæ te deinceps movebit ratio, ut pugnare cum Auguſtino Thomam, pugnantiaque fuiſſe ab Synodis, ut etiam a Pontificibus Maximis laudata, concedere cogare, dum Auguſtinum a Thoma disjungis, eumque te ſequi velle dicis, hunc autem contra, nolle; ſperareque te, addis, *futurum*, ut *Thomiſtæ tibi non ſuccenſeant, ſi ſuum doctorem te non ſequi præſentirent* [2]?

At ego, *inquis*, Thomæ doctrina non teneor. Quidni igitur item negas, teneri te Auguſtini? Nam ſi auctoritas nulla eſt, quæ te inducat, ut Thomæ doctrinam probes; nulla perinde erit, quæ moveat, ut Auguſtinum ſequare. Sanctorum enim, Pontificum, ac Synodorum teſtimonia, ſi quid valent, valent autem (ut orthodoxorum neminem fugit) plurimum, hoc certe valent, ut par ſit ejus utriuſque Doctoris veritas, præſtantiaque doctrinæ. Quare ſi teſtimoniis iiſdem, te judice, pro Thomæ dogmatibus vis aut exigua ineſt, aut nulla, exigua quidem certe, aut nulla etiam pro Auguſtini dogmatibus inerit. Itaque tu longis diſputatio-

1 Vide *lib.* 1. *hujuſce operis p.* 464. *ſeq. not.* 3.
2 Cadonicus *in Proœmio Vindiciar. p.* 5.

tationibus Thomam cum Auguſtino committens, idque contendens maxime, atque laborans, ut lectores tui Thomam deſerant, Auguſtinum vero ſequantur, ita temet implicaſti, tuiſque laqueis captus es, ut lectoribus ipſis tuis, nihil eſſe medii, ſed ambos Doctores illos aut ſequendos eſſe, aut omnino deſerendos, etſi nolens, perſuaſiſſe tamen videare. Utrumque autem ſequentur, ſi Thomæ doctrinam ſequuti fuerint: neutrum, ſi tuam. Quid enim vis tibi, cum eos hac in cauſſa a Thomæ dogmate avertere conare? Dicere quidem verbo poteris, te velle quod lubet; at re certe hoc velle videris, ut Auguſtinum non contra Thomam ſolum, ſed contra omnium Catholicorum, hoc eſt contra Eccleſiæ Catholicæ univerſæ doctrinam ſenſiſſe, confiteantur: idque ipſum, quod novi Lutherani, Calvinianique tenent, quodque nunc tibi in mentem venit, tenuiſſe: ejuſque ſententiam, præterquam hæreticis illis, ac denique tibi, cui reſervatum divinitus id fuerit, nemini exploratam tot ſeculis fuiſſe: eamdemque illius ſententiam ut abs te demum, hæreticiſque illis intelligitur, non ut eam Thomas, ceterique Catholici interpretantur, accipi, præferrique ſententiæ univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ oportere. Hoc tam inane, tam alienum, tam abſurdum, tam Auguſtino indignum, tam injurium Eccleſiæ Catholicæ, hoc, quod ferre, niſi acerbiſſime, non poſſet Auguſtinus, ſi viveret, hoc, inquam, Cadonice, eſt, quod reipſa vis tibi, etſi verbo aliud velle videare. Quotus autem quiſque tuorum Lectorum erit, qui Auguſtinum a Thoma, juxta ac ſententia Eccleſiæ Catholicæ poſtulat, explicatum deſerere audeat; ut interpretationes ab Lutheranis, & Calvinianis, poſtque abs te, contra ejuſdem Eccleſiæ ſententiam adhibitas conſectetur?

Quamquam hoc mali ſerpere jam ante annos aliquot cœpiſſe, latiuſque in dies manare video, ut ſint, qui

quod

quod ipſi faciunt, adoleſcentes etiam ut faciant, hortentur: ſcilicet ut Inſtitutiones Theologicas, quas in nugis numerant Scholaſticorum, poſthabeant, ſeſeque totos ad opera Patrum, præcipue autem Auguſtini, in *fonte*, ut ajunt, legenda ſe conferant; iiſque, hoc ſi fecerint, polliceantur ipſos egregios Theologos futuros. Qua in re, maximo ſane & ſuo, & multorum damno, rationem imitantur veterum, recentiumque novitatis cupidorum, qui ætate provectos, adoleſcentes, pueros, mulierculas denique monebant, ut ne ſe fatigari a Paſtoribus tot inſtitutis doctrinæ ſinerent, ſed per ſeſe Scripturas legerent, expenderent, interpretarentur, foreque ſcirent, ut Doctores quoſque Theologiæ peritia aut æquarent, aut etiam ſuperarent.

Atque ut horum incitatione olim perplures viros, mulieresque cujuſvis inſtituti, conditionis, ætatis ſibi perſuaſiſſe accepimus, tantum ſe Scripturarum ſtudio profeciſſe, ut duce nullo in re doctrinæ, præceptoreque egerent, eaque perſuaſione elatos in errores graviſſimos incidiſſe; ita nunc magno cum bonorum omnium dolore, videmus, exiſtere aliquos a cupidis rerum novarum circumventos, atque deceptos, qui ne rudimentis quidem ſint imbuti Theologiæ, hoſque illotis, ut ajunt, manibus ad libros Sanctorum tractandos, evolvendos, expendendos accedere; cumque neque ingenii facultate, neque eruditione, neque doctrina, neque virtute ſint ea, qua illuſtrati, inſtructi, muniti, difficiles, pugnantes, ut apparet, primave ſpecie Eccleſiaſticis dogmatibus adverſos locos perſpicere, explicare, tueri poſſint; implicari ipſos miſere, oneri cedere, errare, neque dare cuiquam ipſorum ſanandorum locum; propterea quod viris maximis (qui ante nos Theologiæ laude floruiſſent, & ſtudium, diligentiam, labores, meditationes omnes diuturnas ſuas in majorum ſcriptis conſiderandis, accommodateque ad Eccleſiæ dogmata exponendis comſumſiſſent) hoc uno nomine, quod

quod Scholaſtici fuiſſent, contemptis, ipſi ſibi tantum ſapere videantur. Contra quorum præpoſteram, perverſamque ſtudiorum rationem, etſi dictum ab aliis eſt; tamen ipſe quoque dicerem, ſi eſſet otium, copioſius. Sed quoniam ſpatii nunc mihi vacui, ac liberi nihil eſt; confido, me eadem de re eſſe alias diligenter acturum, ſed tempori. Confer, quæ ex Cano protuli ſupra p. 50.

Interea hoc etiam atque etiam animadverti volo, quemadmodum Patres ceteros, ita Auguſtinum noſtrum Inſtitutiones Theologicas, quæ quidem extent, non perſcripſiſſe, quibus lectores ad operum ſuorum veram intelligentiam manu veluti ducerent; ſed ut fuit ipſis opportunitas contra ſive ethnicos, ſive iudæos, ſive hæreticos ſcribendi, aut ad quæſtiones ſibi propoſitas reſpondendi oblata, ſcripſiſſe, ac reſpondiſſe, ita tamen ut non explicarent plerumque, qui nexus, quæque colligatio eorum, quæ affirmabant, eſſet cum præceptis, doctrinisque ceteris Religionis. Nam id ad eorum inſtitutum non pertinebat. Qua ex re illud interdum evenit, ut cum dogma quodpiam confirmarent, aliud, quod non minus ad Religionem ſpectaret, oppugnaſſe aliquibus viderentur. Cujus quidem rei Auguſtinus teſtis eſſe poteſt in primis locuples [1]. Quum autem Patres methodum, inſtitutionemque nullam reliquerint, qua nobis ad ſuorum operum lectionem viam veluti ſternerent; inſtitutorem aliquem, ac veluti ducem quæramus neceſſe eſt, qui tuto nos ad cognitionem eorum introducat, quæ illi innumerabilibus prope voluminibus

xxxx de

1 Is *in libro de Gratia Chriſti contra Pelagium, & Celeſtium cap.* XLVII. *p.* 168. *tom.* x. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. de Gratia liberoque arbitrio agens: » Iſta quæ» ſtio, *inquit*, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad » diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei » gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium pute» tur auferri ». Quod ipſum de innumerabilibus prope aliis capitibus Chriſtianæ doctrinæ dici poteſt. Atque hinc factum eſt, ut hæretici jam uſque a multis ſeculis Patrum teſtimoniis abuſi ſint. Ac Neſtoriani quidem eos ſibi Patres aſciſcebant Patronos, qui adverſus Apollinarium ſcripſerant; Euthychiani autem iis, qui Neſtorianos confutatant. Sed omnia horum ſimilia exempla perſequi longum eſt.

de rebus graviſſimis, difficillimiſque perſcriptis complexi ſunt. Non enim per ſe quiſque aptus ad eam rem eſſe poteſt. Ducem autem reperire quem tandem poſſumus, niſi quem ſummo ingenio, quo internoſceret, quæ legebat; maxima doctrina, & eruditione, qua omnia circumſpiceret, compararet, componeret; ſingulari innocentia, virtute, ſanctitate excelluiſſe noverimus, ob quam peculiari quadam ratione adfuiſſe ipſi, præſidioque, ne laberetur, fuiſſe judicemus Deum? Majore vero ingenio; exquiſitiore doctrina, & eruditione; præſtantiore denique virtute invenire Thoma Aquinate quemnam, obſecro, poſſumus? Cujus quidem Thomæ a tot illuſtribus viris, a tot Synodis, a tot Pontificibus Maximis ſermone, litteris Apoſtolicis, formulis etiam publicarum precationum, admirabilem facultatem ingenii, doctrinam veram, tutam, inconcuſſam, ſanctitatemque eximiam probatam, propoſitam aliis & ad ſequendum, & ad imitandum, mirifque laudibus celebratam ſcimus. Atque hunc ſane Thomam ita fuiſſe in Patrum quorumque operibus verſatum, exercitatumque, legendo comperi, ut ejus Theologica ſumma nil aliud, quam ex locis Patrum eorumdem ad verbum etiam exſcriptis conflatum quidpiam, coagmentatumque eſſe videatur. Id quod, ſi vita ſuppetet, ſpero me eſſe aliquando, indicatis iiſdem locis, demonſtraturum. Quid? ſi idem Auguſtini ſententias omnes ſic animo verſavit, conſideravit, comprehendit, ut non modo ipſarum permultis uſus veluti dictatis quibuſdam Magiſtri ſui fuerit; ſed proſpexerit etiam, quibuſnam earum eſſent deinceps abuſuri cupidi novarum rerum, eaſque proinde ſibi objecerit, ac dilucide, apteque & ad S. Doctoris mentem, & ad veræ religionis decreta ſit interpretatus? Equidem earum, quibus ſe Lutherus, Calvinus, Janſenius, Queſneliani etiam in Hexaplis niti ſeſe, atque confidere dixerunt, nullam ſine explicatione rectiſſima, atque veriſſima fuiſſe a Thoma

ma video prætermiſſam. Neque eo dico, quo inani laude celebrare Angelicum Doctorem velim. Eas in numerato habemus ſententias, ſicque Cadonico confirmamus, atque recipimus, eaſdem nos, ſi opus fuerit, deſcripturos.

Quæ cum ita ſint, quotum quemque a præjudicatis opinionibus vacuum, ac liberum eſſe putem, qui cum methodum nullam ab Auguſtino, nullam inſtitutionem relictam ſciat, qua ad Sancti ejuſdem Patris operum intelligentiam introducamur; multa autem eſſe videat iiſdem in operibus, obſcura nobis, quæ declaranda omnino ſint, ne communi orthodoxorum doctrinæ repugnare videantur; tum negare poſſit, ad ea internoſcenda opus eſſe Thoma Aquinate interprete [1], qui pari, atque Auguſtinus laude, doctrinæ cauſſa, ab Sede Apoſtolica cumulatus ſit, qui tanti ab Synodis Oecumenicis habitus fuerit, qui tanto ingenio, tanta doctrina, tanta in Deum pietate, virtuteque claruerit, quique in Auguſtini ſententiis fuerit tamdiu, tanto ſtudio, tanta rerum perſpicientia, comprehenſioneque verſatus; ut circumſpectis omnibus, præter ipſum, nemo ſit, fueritque mortalium, qui numeros in ſe omnes accurati, fidi, veri interpretis Auguſtinianorum dogmatum habeat?

§. III.

Ex Auguſtini Epiſtola ad Evodium locus proponitur, in quo, poſt novos Lutheranos, & Calvinianos pleroſque omnes, Cadonicus collocavit præſidium opinionis novæ ſuæ.

Jam ut loca Auguſtini cetera, quibus abuti cupidi rerum novarum poterant, deſcripta a Thoma, recteque

1 Vide S. Caroli Borromæi locum *p.* 463. *hujus operis not.* 4. & Auguſtini S.R.E. Card. Valerii *pag. ead. not.* 3. & Card. de Aguirre *p.* 703. *hujus vol.*

explicata fuerunt ; ſic item ea animadverſa , deſcripta , atque explicata fuiſſe video, quibus poſt Lutheranos , Calvinianoſque novos eſt abuſus Cadonicus , ut, contra communem omnium Chriſti Eccleſiarum ſententiam , Patres Veteris Teſtamenti in Abrahæ ſinu , ante Chriſti mortem , oſtenderet beatos fuiſſe viſione Dei .

Horum eſt prior is locus , quem ex Epiſtola S. P. N. Auguſtini CLXIV. al. XCIX. proferunt [1] , quo loco S. Antiſtes „ quis audeat dicere, *inquit*, non ibi (*in ſinu Abrahæ*) „ fuiſſe Patriarchas , & Prophetas , quibus in Scriptura „ Dei juſtitiæ , pietatiſque tam inſigne teſtimonium perhibetur ? Quid his ergo præſtiterit, qui dolores ſolvit inferni , in quibus illi non fuerint , nondum intelligo : præſertim quia ne ipſos quidem inferos uſpiam „ Scripturarum in bono potui reperire . Quod ſi nuſquam „ in divinis auctoritatibus legitur , non utique ſinus ille „ Abrahæ , ideſt ſecretæ cujuſdam quietis habitatio , „ aliqua pars inferorum eſſe credenda eſt . Quamquam „ in his ipſis tanti Magiſtri verbis , ubi ait , dixiſſe „ Abraham : *inter vos , & nos chaos magnum firmatum eſt* , „ ſatis ut opinor appareat , non eſſe quamdam partem , „ & quaſi membrum inferorum tantæ illius felicitatis „ ſinum . Chaos enim magnum quid eſt, niſi quidam „ hiatus multum ea ſeparans , inter quæ non ſolum eſt, „ verum etiam firmatus eſt ? Quapropter ſi in illum „ Abrahæ ſinum Chriſtum mortuum veniſſe Sancta Scriptura dixiſſet , non nominato inferno , ejuſque doloribus ; miror ſi quiſquam ad inferos eum deſcendiſſe , „ aſſerere auderet . Sed quia evidentia teſtimonia & infernum commemorant , & dolores , nulla cauſſa occurrit , cur illo credatur veniſſe Salvator , niſi ut ab „ ejus doloribus ſalvos faceret : ſed utrum omnes , quos „ in eis invenit , an quoſdam , quos illo beneficio dignos „ judicavit , adhuc requiro : fuiſſe tamen eum apud „ in-

1 *Cap.* III. *num.* 7. *p.* 437. *tom.* II. *edit. Antuerp. an.* 1700.

„ inferos, & in eorum doloribus conſtitutis hoc bene-
„ ficium præſtitiſſe, non dubito. Unde illis juſtis, qui
„ in ſinu Abrahæ erant, cum ille in inferna deſcende-
„ ret, nondum, quid contuliſſet, inveni, a quibus eum
„ SECUNDUM BEATIFICAM PRÆSENTIAM SUÆ
„ DIVINITATIS NUMQUAM VIDEO RECESSISSE.
„ Sicut eodem ipſo die, quo mortuus eſt, promiſit la-
„ troni, quod cum illo in paradiſo fuiſſet futurus,
„ quando ad ſolvendos inferni dolores fuerat deſcenſu-
„ rus. Profecto igitur in paradiſo, atque ſinu Abrahæ,
„ etiam ante jam erat BEATIFICANTE SAPIENTIA,
„ & APUD INFEROS JUDICANTE POTENTIA.
„ Ubi enim non eſt nullo loco obſeſſa Divinitas? Verum-
„ tamen ſecundum creaturam, quam ex quodam tem-
„ pore ſuſcipiendo, manens Deus, homo factus eſt,
„ hoc eſt ſecundum animam eum fuiſſe apud inferos,
„ aperte Scriptura declarat, & per prophetiam præmiſſa,
„ & per Apoſtolicum intellectum ſatis expoſita, qua
„ dictum eſt: *non derelinques animam meam in inferno* „.

Sed Sanctus Thomas, quemadmodum dixi, proſpexerat, fore, ut is Auguſtini locus a cupidis rerum novarum Eccleſiis Chriſti catholicis objiceretur. Itaque committendum non putavit, eumdem ut prætermitteret, neque oſtenderet, qua ratione cum Sancti illius Antiſtitis doctrina reliqua, cumque communi omnium orthodoxorum ſententia conferri, apteque componi poſſet. Quam autem ea in re ſecunde, quamque vere Thomas verſatus fuerit, paulo poſt videro. Hoc nunc breve dico. Quod ille futurum providerat, id re denique contigiſſe. Nam Proteſtantes ii, qui Cadonico ad novam opinionem non pararunt modo, ſed etiam, quibus tandem cumque modis potuerant, muniverunt viam, hoc ipſo Auguſtini loco primi omnium abuſi ſunt. Geverhartus Elmenorſtius [1] in notis ad Gennadii librum *de Eccleſiaſticis*

1 *Not. ad cap.* LXXVIII. *p.* 177. *ſeqq. edit. Hamburgenſis an.* 1614.

ſticis Dogmatibus, poſteaquam animadvertit „ arbitrari „ Gennadium, ex quo peccavit Adam, & clauſus eſt „ illi paradiſus, nullius Sancti animam in cælum aſcen- „ diſſe, ſed omnes in inferno (quem poſteriores limbum „ Patrum dixerunt) fuiſſe detentas, propter quas etiam „ Chriſtus deſcendit ad inferos, ut eas liberaret, & „ compotes ſui faceret „ ubi hoc, inquam, animadvertit Elmenorſtius, addiditque „ hanc eſſe communem opi- „ nionem multorum Patrum Cyrilli Hieroſolymitani, „ Tertulliani, Clementis Alexandrini, Damaſceni, „ Gregentii, Hieronymi, Gregorii Magni, Fulgentii, „ Auctoris operis imperfecti inter opera S. J. Chryſoſto- „ mi, Gaudentii, Nicephori Calliſti, Procopii Gazæi, „ Juliani Toletani, Theodori Abucaræ, Remigii Altiſ- „ ſiodorenſis, Theophili Alexandrini, Epiphanii, Am- „ broſii, Sedulii, Dionyſii Carthuſienſis, Thomæ Aqui- „ natis „ tum demum „ Bullingerus, *inquit*, in Mat- „ thæum Cap.xxv. Johannes Calvinus Inſtitut. libro II. „ cap. XIV. §. IX. Beza in Acta Apoſtolorum cap. II. in „ Epiſt. Petri I. cap. III. & in Epiſt. ad Epheſ. cap. IV. „ ajunt loca Scripturæ MALE A VETERIBUS DE- „ TORTA AD CARCEREM POENALEM PIARUM „ ANIMARUM, CUM ILLÆ ETIAM ANTE CHRI- „ STI ADVENTUM, ET PASSIONEM IN TRAN- „ QUILLITATIS SINU IMMUNES A POENA FUE- „ RINT, EXPECTANDÆ NIMIRUM RESURRE- „ CTIONIS SOLATIA CARPENTES. Illorum aſſer- „ tioni non videtur contradicere Auguſtinus, dum fate- „ tur, ſe adhuc neſcire, quid boni Chriſti deſcenſus „ ad inferos contulerit illis juſtis, qui in ſinu Abrahæ „ erant, a QUIBUS SECUNDUM BEATIFICAM PRÆ- „ SENTIAM SUÆ DIVINITATIS NUMQUAM RE- „ CESSIT „. Deſcribit mox Elmenorſtius integrum illum ex Epiſtola XCIX. ad Evodium ab Cadonico nunc addu- ctum ad rem eamdem confirmandam locum. Qua ex re intel-

intelligitur, hominem e Proteſtantium quidem grege, ante annos 133. quam Cadonicus ipſe priorem ſuum *de Auguſtini Vindiciis* publicaſſet librum, pro opinione, quam modo Cadonicus ipſe tueri cœpit, propagareque ſtudet, pugnaſſe, & pugnando fuiſſe abuſum eodem Auguſtini loco, quo nunc Cadonicus idem abutitur. Abuſi eodem ante Elmenorſtium fuerant Theodorus Beza [1], Joh. Calvinus [2], poſt vero Joh. Pearſonus Britannus ex Secta Epiſcopalium [3], Johannes Chriſtophorus Wagenſeilius [4], Reiſerus [5], Chamierus [6], alii denique multi e Sectis Proteſtantium, qui non ſolum, Calvino aſſenſi, negarunt limbum, ſed etiam Sanctos Vet. Teſt. ante Chriſti mortem fruitos fuiſſe putarunt viſione Dei.

Jam vero, ut Cadonicus *Scholaſticos* limbum concedentes (quaſi commentum aliquod probarint) refellens, Eccleſiarum omnium reipſa oppugnat ſententiam; ita Elmenorſtius [7] „ Scholaſticis, *inquit*, hoc commentum „ valde placuit .... Viderint Pontificii, quemadmo„ dum hæc commenta defendant „. Itaque ſatis [8] conſtat,

1 *Pag.* 374. *hujus operis*, memini me dixiſſe, reperire nequiviſſe me apud Bezam, differendam Sanctis eſſe viſionem Dei ad judicii diem. Hoc idem nunc repeto. Immo ille in Commentariis *in cap.* III. *epiſt.* 1. *Petri v.* 19. *p.* 787. *edit. Pariſ. an.* 1556. Limbum Sanctorum Patrum ab Catholicis conceſſum rejiciens: » Proferatur, *inquit*, teſtimonium aliquod ex Scriptura, ex cujus collatione in» telligamus, carceris nomine locum aliquem deſignari, in quo Beati Spiritus » concluſi fuerint. Hoc certe nuſquam invenietur, ſed e CONTRARIO FIDE» LES EX HAC VITA DEMIGRANTES, FIDE IDIPSUM ADEPTOS, QUOD » NOS SPERAMUS ». Epiſtolam porro Auguſtini XCIX. nominat *ibid. p.* 789. Quid autem eſt adeptos Veteris Teſt. Sanctos *fide* fuiſſe, quod nos *ſperamus*, niſi *adeptos* illos quidem fuiſſe *viſionem Dei*? Nam id nos *ſperamus*.

2 *Lib.* II. *Inſtitutionum cap.* XVI. *num.* IX. *p.* 132. *tom.* IX. *opp. edit. Amſtelod. an.* 1567. ubi limbum oppugnans, quod item facit Cadonicus: » Concludere, *in*» *quit*, in carcere mortuorum animas, puerile eſt. Chriſti autem animam illuc » deſcendere, ut eas manumitteret, quid opus fuit »? (Vide Auguſt. *epiſt.* 99.) Dicatum opus Inſtitutionum a Calvino fuit Franciſco I. Galliarum Regi an. 1536. Itaque anno 211. poſt Calvinum, anno vero 191. poſt Bezam, Cadonicus eorum exemplum imitatus opinionum novarum reum Auguſtinum fecit.

3 Vide *p.* 377. *hujus operis not.* 3.

4 Confer *p.* 377. *ſeq. hujus operis not.* 4.

5 Vide *p.* 378. *hujus operis not.* 1.

6 Confer *p.* 378. *ſeq. hujus operis not.* 2.

7 Elmenorſtius *loco indicato p.* 180. *ſeq.*

8 Cadonicus *in Vindiciis Auguſtinianis cap.* IV. *p.* 47. *edit. Cremon. an.* 1547. Et *Dia-*

ſtat, non ſolum Lutheranorum novorum, Calvinianorumque [1] dogma de tollendo limbo Sanctorum Veteris Teſtamenti Patrum, deque Sanctis iiſdem in ſinu Abrahæ ante Chriſti mortem auctis viſione Dei; ſed etiam inanis ejuſdem dogmatis adverſus *Scholaſticos*, ut ajunt, confirmandi rationem, Cadonico probari, diſplicereque ipſi communem omnium orthodoxorum eidem inani dogmati inimicam, ac repugnantem ſententiam.

§. IV.

Eſt is Auguſtini locus ſapienter, & vere explicatus a Sancto Thoma.

Verum quid demum vult ſibi Cadonicus, dum ſententiæ communi omnium Catholicorum opponit centeſimam ſexageſimam quartam, alias nonageſimam nonam ad Evodium Auguſtini Epiſtolam? Equidem, niſi hoc velit, ut Lectores ſui fateantur, S.Auguſtinum adverſari ei doctrinæ, quam Eccleſia Catholica ubique terrarum tenet, ac profitetur; ipſumque Auguſtinum a pſevdo eccleſiis Genevenſi, Hollandicis, Veſtfriſiacis, ceteriſque

Dialogo II. *p.* 41. *edit. Roboret. an.* 1753. & in Opere *de Divi Aurelii Auguſtini, quæ videtur ſententia &c. cap.* II. quod ſic inſcribitur *Proponuntur opiniones Theologorum circa ſtatum animarum in ſinu Abrahæ. Quid de eis ſenſerit D. Auguſtinus, & quomodo ſententiæ ſuæ non obſit interpretatio D. Thomæ.* Jam hoc concedimus: *interpretationem Thomæ non obeſſe Auguſtini ſententiæ.* Quî enim obeſſe poterit ſententiæ Auguſtini ea interpretatio, quæ conſentanea eſt omnino eidem Auguſtini ſententiæ? At aliud vult Cadonicus *ibid. p.* 3. *ſeqq. edit. Venetæ an.* 1761. Novi id eſſe illi peculiare, ut longe aliud ab eo quod velit, dicat. Capitis III. ejuſdem operis Cadoniciani, hæc eſt inſcriptio: *p.* 9. » Pars Epiſtolarum Evodii ad S Auguſti- » num, & S.Auguſtini ad Evodium, & quomodo manifeſto contextu doctrinarum » Sancti Patris nihil officiat interpretatio Divi Thomæ ». Hoc item Elmenorſtianum eſt. Abutitur item eodem loco ex Epiſtola ad Evodium Cadonicus *in Animadverſionibus in librum P. Faſſonii*, quæ in extremo eſt opere *de S Auguſt. quæ videtur ſententia p.* 290. *ſeqq.* Cadonici, hoc eſt *Elmenorſtii*, *Wagenſeilii*, *Pearſonii &c.* opinionem, ſequuntur, & Auguſtini *epiſt.* 99. confirmare conantur Dathamus, & Anonymus ſex Epiſt. Italicarum Auctor. De Scholaſticis, quæ Cadonicus turbet, videre lector poterit *Vindiciarum pag.* 4. 5. 11. 264. 272. & in Opere de S. *Auguſt.*, *quæ videtur*, *ſententia p.* 3. *ſeq.* 14. 19. 170. *ſeq.* 184. 247. *ſexcentiſque aliis in locis*.

1 Vide *p.* 377. *ſeq. hujus operis*.

que Calvinianis, noviſque Lutheranis ſtare: ac niſi etiam velit, ut iidem Lectores ſui doctrinam, quam Catholica Eccleſia ubique terrarum tenet, profitetur, docet, omnino deſerant; eam vero contra conſectentur, quam Cadonicus ipſe poſt pſevdo eccleſias Genevenſem, Hollandicas, Veſtfriſiacas, ceteraſque Calvinianas, Lutheranaſque novas Auguſtino attribuit; niſi, inquam, hoc Cadonicus velit, quid tandem velit, ne ſuſpicari quidem poſſum. Neque refert, ſi verbo non dicat, ſe velle. Satis enim eſt, ſi reipſa velit. Quis autem erit Catholicorum, qui, quod ille vult, eſſe aut non horribile dictu, aut æquo animo ferendum putet?

Sed fac Auguſtinus ita, ut Cadonicus putat, ſenſerit. Falſum id quidem; at fac tamen habeatur verum. Quid? cenſen' id illum uti rem certam ſenſiſſe, an ut ſimiliorem veri? Nihil, opinor, dicet Cadonicus, ſibi videri minus, quam habitum id rei certæ loco fuiſſe ab Auguſtino. Non enim committet, ut quod ipſe probabile ſolum arbitratur eſſe, id credat fuiſſe Auguſtino certum. Nam certum Auguſtino numquam dicet fuiſſe, quod ne ipſe quidem Cadonicus exiſtimet eſſe certum. Alioqui ſectator Auguſtini tam diligens, quam ſe jactat, non eſſet, ſi, quod certum magiſtro fuiſſe [1] putet, ſibi eſſe incertum profiteatur. Eloquatur nunc jam, certumne Auguſtino fuerit, aſſentiri quemque Eccleſiæ [2] oportere, non modo cum *tota*, ſed etiam cum *quaſi tota* in aliquam ſententiam conſpiret? Certum, Cadonicus dicet,

1 S. Auguſtinus in Epiſtola ad Evodium tam non apparet ea de re, de qua agebat, certus, ut ne certo quidem affirmare voluerit, Sanctos illos Patres in doloribus purgatoriis non fuiſſe, in quibus Adamum conſtituit. *Num. enim 7. p.* 417. *tom.* II. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. » Sed quonam modo, *inquit*, intelligatur, » Abraham, in cujus ſinum pius etiam pauper ille ſuſceptus eſt, in illis fuiſſe do- » loribus, ego quidem non video; EXPLICANT FORTASSE, QUI POSSUNT ». Sic etiam S. Doctor de quæſtionibus aliis ibidem agens (demtis iis, quæ ſunt de Chriſti deſcenſu ad inferos, deque liberatis iis, qui digni reperti fuerant) ita ſe gerit, nihil ut ſtatuere certo velle videatur.

2 *Ibidem num.* VI. *p.*437. de re agens, *de qua Eccleſia* FERE *tota conſentit*, mox addit: QUOD EAM NON INANITER CREDIDISSE CREDENDUM EST, UNDECUMQUE HOC TRADITUM SIT, ETIAMSI CANONICARUM SCRIPTURARUM HINC EXPRESSA NON PROFERATUR AUCTORITAS. Confer, quæ ſcripſi *pag. hujus operis* 147. *ſeqq.*

cet, ſat ſcio. Tam enim non hæſitanter Auguſtinus, tam firmiter, tam conſtanter id ſtatuit, nullum ut relinquat dubitationi locum. Optime. Quæro nunc, ſi harum duarum ſententiarum una conceſſa, altera non poſſit conſiſtere; utram eſſe retinendam Cadonicus cenſeat, eam ne, quam certam Auguſtinus judicaverit, an quam ſolum probabilem, aut ſimiliorem veri? Certam, inquiet. Sane bene. Ergo eam, quam tenet tota, aut etiam quaſi tota Eccleſia, uti certam retinendam, fateatur neceſſe eſt. Ita plane. Nam eſt hæc Auguſtini certa ſententia. Eccleſia autem tota, quod idem eſt, atque orthodoxi quique, ubique gentium tenet, Sanctos Veteris Teſtamenti, ante Chriſti mortem, fuiſſe in inferis, nec proinde fuiſſe beatos aſpectu Dei. Fuit enim id demonſtratum libro ſuperiore. Sanctos igitur Veteris Teſtamenti, ſi modo Auguſtini certam ſententiam ſequamur, ante Chriſti mortem, non fuiſſe beatos aſpectu Dei, ſed in inferis conſtitiſſe, pro re certa confitendum eſt. Eſt vero ſententiæ certæ adverſa opinio nullo modo probabilis. Sententiæ autem ei certæ, quam diximus, adverſa eſt opinio illa de Sanctis aſpectu Dei ante Chriſti mortem beatis. Qui igitur Sanctos ante Chriſti mortem beatos aſpectu Dei fuiſſe cenſet, contra Auguſtini certam ſententiam agit, ſequiturque opinionem nullo modo probabilem.

Quæ res cum ita ſe habeat, quid ſe ſperat conſequuturum Cadonicus, dum Auguſtini eam fuiſſe opinionem ſcribit? An Catholicos ſic fore inſtitutos exiſtimat, ut ubi unius Auguſtini audierint nomen, abjiciant, contra atque Auguſtinus voluerit, quod hactenus cum Eccleſia Chriſti Catholica ſenſerunt; adeo ut certum quod eſſe antea crediderant, id demum ſtatuant eſſe deſiiſſe certum? Id vero a Catholicis ſperare Catholicus quî tandem poterit? Nam Auguſtino etiam probante, certum cuique Catholicorum, definitumque eſſet debet, mortalium nemi-

neminem, quantalibet ſanctitate [1], & doctrina præſtet, eſſe univerſitati Eccleſiæ præferendum.

Sed abſit, abſit, inquam, ut Auguſtinus probabile umquam putarit eſſe, Sanctos Veteris Teſtamenti fuiſſe antea beatos viſione Dei, quam Chriſtus ad inferos deſcendiſſet. Nam ejus, quem Cadoniciani ex Epiſtola ad Evodium adducunt, locus explicatus egregie a Thoma Aquinate fuit *in* III. *Summæ Theologicæ Parte queſt.* LII. *Art.* V. *ad* I. „ Ad primum dicendum, *inquit*, quod Au-
„ guſtinus ibi loquitur contra quoſdam, qui æſtimabant,
„ antiquos juſtos, ante adventum Chriſti, in inferno do-
„ loribus pœnarum fuiſſe ſubjectos [2]. Unde parum ante

 „ ver-

1 Vide Auguſtini de Chryſoſtomo locum a nobis deſcriptum *p.* 568. *ſeq.* Conſulito etiam, quæ de ſe ſcribit Sanctus idem Doctor *epiſt.* CXLIII. *al.* VII. *ad Marcellinum cap.* 1. *ſeq. p.* 351. *ſeq.* S. Thomas 2. 2. *quæſt.* X. *art.* XII. » Magis, *inquit*, » ſtandum eſt AUCTORITATI ECCLESIÆ, quam AUCTORITATI VEL AU- » GUSTINI, VEL HIERONYMI, VEL CUJUSCUMQUE DOCTORIS ». Et *Quodlibeto* II. *quæſt.* IV. *art.* II. » Maximam, *inquit*, auctoritatem habet conſue- » tudo Eccleſiæ, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda, quia & ipſa DOCTRI- » NA CATHOLICORUM DOCTORUM AB ECCLESIA AUCTORITATEM » HABET, unde MAGIS EST STANDUM CONSUETUDINI ECCLESIÆ, » QUAM AUCTORITATI VEL AUGUSTINI, VEL HIERONYMI, VEL CU- » JUSCUMQUE DOCTORIS ».

2 Quales ſunt dolores ſenſus, quibus animæ ignibus purgatoriis vexantur. Atque de his quidem doloribus Auguſtinum agere, ſatis conſtat. Nam pœnis certe purgatoriis inferorum Adamum fuiſſe vexatum ſtatuit, fuiſſeque *quoſdam* ait, qui ex iiſdem cruciatibus ut Adamum, ita Sanctos Vet. Teſtamenti Patres Chriſti beneficio fuiſſe liberatos arbitrarentur. *Ibid. epiſt.* CXLIV. *al.* XCIX. *ad Evodium cap.* III. *num.* VI. *p.* 417. *tom.* II. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700 Atque Adamum quidem, ex Auguſtini ſententia, in purgatorio fuiſſe Cadonicus confitetur *lib. de Divi Auguſt. quæ videtur ſententia cap.* VI. *p.* 34. Igitur cum S. Auguſtinum ſtatim poſt quam de doloribus Adæ egit, ſcribentem: *Addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam Sanctis fuiſſe conceſſum: Abel, Seth, Noe, & domui ejus, Abraham, Iſaac, aliiſque Patriarchis, & Prophetis, ut cum Dominus in infernum veniſſet*, ILLIS DOLORIBUS *ſolverentur*, de doloribus, ſeu de cruciatibus purgatoriis hæc intelligi voluiſſe, Cadonicus item fateatur neceſſe eſt. Ac fuerunt profecto aliqui, pauci quidem, at aliqui tamen, qui cruciatibus ejuſmodi tortos, ad Chriſti uſque deſcenſum ad inferos, Sanctos illos Patres fuiſſe judicarent. Cujus rei extat in Bibliotheca Caſanatenſi Codex *lib. Pontificalis* IX. *ſec.* qui erat Landulphi Epiſcopi Capuani, quo in Codice pictis coloribus exhibetur deſcenſus ad inferos Chriſti Sanctos Patres e flammis educentis. Neque vero dicere Cadoniciani poterunt, *τὸ addunt quidam*, quod Auguſtinus adhibet, de iis intelligi oportere, qui ſinum Abrahæ in inferis ponebant. Nam præterquam quod ſeries verborum Auguſtini (ut oſtendimus, utque Cadonicus, ſibi ut conſtet, fateri debet) de iis eſt intelligenda, qui ajebant in cruciatu purgatorii ut Adamum, ita Sanctos illos Patriarchas fuiſſe; profecto *τὸ quidam addunt*, non poteſt de Doctoribus accipi in inferis Abrahæ ſinum conſtituentibus. Etenim *τὸ quidam* nequit in *omnes* cadere. *Omnes* enim *Doctores*, qui & Auguſtini temporibus, & ante etiam floruerant, ſinum

„ verba inducta præmittit dicens: *addunt quidam, hoc*
„ *beneficium antiquis etiam Sanctis fuiſſe conceſſum, ut*
„ *cum Dominus in infernum veniſſet, a doloribus ſolveren-*
„ *tur. Sed quonam modo intelligatur Abraham, in cujus*
„ *ſinum pauper ille ſuſceptus eſt, in illis fuiſſe doloribus,*
„ *ego quidem non video*. Et ideo cum poſtea ſubdit: *ſe*
„ *nondum inveniſſe, quid deſcenſus Chriſti ad inferos an-*
„ *tiquis juſtis contulerit*, intelligendum eſt quantum ad
„ ad abſolutionem a doloribus pœnarum: contulit ta-
„ men eis quantum ad adeptionem gloriæ, & per con-
„ ſequens ſolvit eorum dolorem, quem patiebantur ex
„ dilatione gloriæ, ex cujus tamen SPE MAGNUM
„ GAUDIUM HABEBANT, ſecundum illud Joh. VIII.
„ *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum*.
„ Et ideo ſcribit: *a quibus eum ſecundum beatificam*
„ *præſentiam ſuæ Divinitatis numquam video receſſiſſe*: in-
„ quantum ſcilicet ante adventum Chriſti erant BEATI
„ IN SPE, LICET NONDUM ESSENT PERFECTE
„ BEATI IN RE „.

At hæc interpretatio Anonymo ſex Epiſtolarum italice pro Cadonico ſcriptarum Auctori non placet. Itaque negat, ſe aſſentiri S. Thomæ poſſe „ quem ego, „ *inquit*,

ſinum ipſum Abrahæ in inferis fuiſſe conſtitutum, anteaquam Chriſtus ad inferna deſcenderet, teſtati ſunt, ut evicimus libro hujus operis primo *cap.* VI. *p.* 552. *ſeqq.* Neſciſſe autem Auguſtinum, omnes, qui ante ſe fuerant, quique ætate florebant ſua, in ea ſententia fuiſſe verſatos, neſciſſe id, inquam, Auguſtinum, dicere, injurium eſt: multoque etiam eſt injurioſius arbitrari, ignoraſſe eum, quod illi ipſi Doctores, quos adverſus Pelagianos laudarat, quorumque auctoritate traditionem confirmarat, hac de re noſtra tradiderant. Sic enim arbitrari, idem eſſet, atque exiſtimare, Auguſtinum ne libros quidem eorum, quorum auctoritate uſus contra Pelagianos fuerat, legiſſe. Atqui hos Doctores undecim fere ubi contra Pelagianos numeravit, non *quoſdam* dixit, ſed *omnes* magiſtros Eccleſiarum dogma de peccato originali concedere. Itaque ſi de iis, qui ſinum Abrahæ, ante Chriſti mortem, in inferis conſtitutum fuiſſe dixerant, in Epiſtola ad Evodium egiſſet, non *quidam addunt*, ſed *omnes* dixiſſet, cum multo plures, quam ipſe adverſus Julianum diſputans numeraverit, multo, inquam, plures, & illi etiam ipſi, quos numeravit, eamdem tenuerint *de ſinu Abrahæ in inferis conſtituto* ſententiam. An contra Pelagianos undecim Doctores nominare, *omnes* nominare eſt: de rebus autem aliis agere, & multo plures, quam undecim, immo omnes afferre Patres, idem erit, ac *quoſdam* ſolummodo afferre? Manet igitur, ut *τὸ quidam addunt* de iis intelligi debeat, qui pauci revera erant, quique in doloribus Purgatorii Sanctos Veteris Teſtamenti Patres fuiſſe, ante Chriſtum, putaverant.

„ *inquit*, ut magiſtrum colo [1] „. *Magiſtrum vocat*, *cujus non vult eſſe diſcipulus* [2]. Addit mox Anonymus, non mirari ſe, ſi ratio, quam ipſe in explicando Auguſtini loco eſt aſſequutus, Thomam fugerit. Suæ autem *non admirationis* hanc affert cauſſam. „ Nam cum ab Augu-
„ ſtino, *inquit*, ſermonem illum de *reſurrectione*, qui
„ eſt in veteribus editionibus *centeſimus triceſimus ſepti-*
„ *mus de tempore*, perſcriptum fuiſſe Thomas arbitrare-
„ tur, quo in ſermone clare legerat: *Chiſtus in inferno*
„ *deſcendens*, *portas inferni*, *& vectes ferreos confregit*,
„ *& omnes juſtos*, *qui originali peccato adſtricti teneban-*
„ *tur*, *abſolvit*, *& Sancti illi lacrimabili oratione Chri-*
„ *ſtum orabant &c.* debebat quidem Sanctus idem Tho-
„ mas locum minus apertum Epiſtolæ ad Evodium ad
„ ſenſum pertrahere, qui in eo Sermone ſonat clariſſi-
„ mus, indeque ita explicare Auguſtini mentem, ut
„ conciliari cum eodem Sermone poſſet „. Sed vide, lector, his tam paucis verbis quam multa peccet Anonymus. Principio *Sermonem* CXXXVII. *de tempore*, qui Auguſtini non eſt, cauſſam fuiſſe, ait, quamobrem Thomas ſic fuerit interpretatus locum Epiſtolæ ad Evodium. Hoc idem ab Cadonico, atque etiam ab Dalhamo dici, paulo ante vidimus. At hariolari id quidem eſt. Ubinam enim Doctor Angelicus, Sanctos Vet. Teſtamenti, ante Chriſtum, in Abrahæ ſinu beatos fuiſſe negavit viſione Dei, fretus auctoritate Sermonis illius CXXXVII.? In argumento illo, inquis Anonyme, quod *ſed contra vocant*. Age modo, expedi; quidquam ne Thomas eo argumento *ſed contra* ſtatuerit. Si neges, captus es. Nam quo demum modo teſtimonio illo nitare, quo nihil ſtatuas? Sin affirmes, quid apud Thomam argumentum *ſed contra* valeat, ignores neceſſe eſt, tu, qui

1 *Epiſt.* I. *pag.* 9.

2 Ita quidem Auctor *Operis Imperfecti in Matthæum* de eo ſcribit, qui dixerat Chriſto: *Magiſter bone*. *Homil.* XLII. *to.* VI. *opp. S. Johan. Chryſoſt. in Append. pag.* CLXXX. *edit. Pariſ. an.* 1724.

qui magiſtro gloriare Thoma. Nemo enim eſt in operibus ejus Doctoris vel mediocriter exercitatus, qui neſciat, Thomam ipſum argumento *ſed contra* objicere ſibi interdum aliquid, quod in *Corpore*, ut vocant, *Articuli* expediat; vel proponere ſummum, non autem ſolvere, ac finire quæſtionem. Cum igitur S. Doctor vim nullam de re ſtatuendi ineſſe argumento *ſed contra* voluerit, cumque ex Sermone illo notho locum tranſtulerit in idem argumentum *ſed contra*, indicio eſt, non tam apud ipſum valuiſſe eumdem locum, ut hoc eſſe quæſtionem ſolvendam, finiendamque putaverit. Quid erat igitur cauſſæ, quamobrem, Anonyme, permotum eo Sermone Thomam fuiſſe ſcriberes, ut locum ex Epiſtola ad Evodium de *Viſione Dei in ſpe* interpretaretur? An S. Thomas in reſpoſione ad 1. argumentum, qua in reſponſione locum ex Epiſtola ad Evodium acceptum explicat, uſus eſt teſtimonio illo ex Serm. 137. de tempore [1]? Quid ais Anonyme? Nihil minus, inquis. An indicavit ſaltem locum illum in Articuli corpore, in quo exponere quod ſentit, confirmareque conſuevit? Negas indicaſſe. Quæ igitur, malum! hariolandi iſta eſt ratio, ut Thomam id pugnes voluiſſe, quod Thomas non ſolum non dixit ſe velle, ſed ne indicavit quidem? Quæro nunc, quo ex opere Auguſtini Thomas conjecerit, ita eſſe locum illum ex Epiſtola ad Evodium explicandum, ut eum in reſponſione ad primum argumentum explicat? Ex Epiſtola, *inquis*, ipſa ad Evodium. Nam id reſponſio eadem Thomæ demonſtrat, nullus ut eſſe tibi tergiverſandi locus poſſit. Epiſtolâ igitur ipsâ ad Evodium epiſtolam ad Evodium Thomas interpretatur. Non ergo Sermone CXXXVII. cujus in ea reſponſione, aut in Articuli corpore Thomas non meminit. Jam hoc Anonyme teneo: te, Cadonicum, Dalhamum, ſocios denique dogmatis omnes tuos, qui Sermon. illum CXXXVII. fraudi

1 Eſt is ſermo nunc *in Editione Operum S. Auguſtini*, quam Monachi Congregationis S. Mauri Pariſiis curarunt, *in Append. num.* 160. *tom.* V. *opp. Auguſt.*

fraudi Thomæ fuiſſe dicitis, aut lapſos errore fuiſſe, quod credo; aut, quod certe non credo, circumvenire lectores veſtros voluiſſe dolis.

Deinde ſac ejus Sermonis Thomas rationem habuerit maximam, quid tum? Quid? ſententiam mutaret, ſi viveret. Cur? Quia, *inquis*, is Sermo non eſt Auguſtini. At ſi Auguſtini non eſt, tamen eſt magnam partem compoſitus ex Gregorii Magni ſententiis, quem Auguſtini imitatorem, admiratorem, laudatorem, (quod Cadonicus [1] confitetur) Doctorem etiam Eccleſiæ [2], Pontificem denique Maximum, atque Sanctiſſimum Auguſtino adverſari dicere, cum ſit invidiæ plenum, non licet; poſtponere [3] autem, multo minus licet. Atque Gregorii quidem ex *Homilia* XXII. [4] ea ſententia eſt, quæ numero I. *ejuſdem Sermonis* CXXXVII. continetur. „ Per hanc (ſolemnitatem) electi, qui QUAMVIS „ IN TRANQUILLITATIS SINU, tamen APUD IN„ FERNI CLAUSTRA TENEBANTUR, AD PARA„ DISI AMOENA REDUCTI SUNT &c. „ Rurſum quod compendio complexus Sermonis Auctor eſt, quodque tibi eodem in Sermone *n.* I. exhibet negotium, eſtque hujuſmodi: „ Chriſtus in inferna deſcendens, portas „ inferni, & vectes ferreos confregit, & omnes juſtos, „ qui

1 Cadonicus *in Proœm. Vindiciar. p.* 2. » Nimius eſſem, *inquit*, ſi Summorum » Pontificum Cæleſtini . . . & Gregorii, cui *Magni* cognomen ob altiſſimam divi» narum rerum ſcientiam obvenit, de tanti Patris (Auguſtini) profunditate præ» clare dicta vellem colligere ».

2 Vide quæ ex J. Mabillonii viri doctiſſimi ſcriptis de Gregorio Magno tranſtuli *in p.* 511. *not.* 3.

3 Uſurpare mihi de Greg. Magno Doctore Eccleſiæ, & Pontifice Maximo, atque Sanctiſſimo liceat, quod Auguſtinus *in* 11. *Operis Imperfecti contr. Julianum* de S. Ambroſio Doctore item Eccleſiæ, & Antiſtite Mediolanenſium agens dixit: *cap* XXXVI. *p.* 721. *tom.* X. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. » *Gregorius* eſt ille, non quicumque de » vulgo, cujus imperitam multitudinem non valentem de tuis diſputationibus » judicare, nimis alta cervice contemnis. *Gregorius* eſt, inquam . . . qui in Ec» cleſiaſticis litteris quis ſit, audi (*Anonyme*) vel lege (*Cadonicum*) doctorem » tuum (*qui Cadonicus Gregorium laudat hujus pag. not* 1.), & NOLI AMARE » SENSUM A SENSU TANTI HUJUS DOCTORIS (*Gregorii*) ALIENUM ».

4 *Num.* VI *tom.* 1. *Operum p.* 1533. *edit. Pariſ. an.* 1705. Vide ejuſdem S. Doctoris *lib.* XII. *in Job cap.* IX. *num.* 13. *p.* 397. *tom. ejuſd.* unde accepimus, quæ leguntur *p.* 532. *hujuſce operis*.

„ qui originali peccato adſtricti tenebantur, abſol-
„ vit &c.„ cujuſnam, quæſo, niſi Gregorii fuſius diſputantis eſt? *lib.* XIII. *in Job* [1]. Nam is „ Cum Re-
„ demptor, *inquit*, noſter *clauſtra inferni* penetrans
„ electorum exinde animas eduxit, nos illo ire non
„ patitur, unde jam alios deſcendendo liberavit. Illi
„ vero, qui ante ejus adventum in hunc mundum ve-
„ nerunt, QUANTAMLIBET juſtitiæ VIRTUTEM
„ HABERENT, ex CORPORIBUS educti IN SINU
„ CÆLESTIS PATRIÆ STATIM RECIPI NULLO
„ MODO POTERANT, quia necdum ille venerat,
„ qui INFERNI CLAUSTRA SUA DESCENSIONE
„ SOLVERET, & JUSTORUM ANIMAS IN PER-
„ PETUA JAM SEDE COLLOCARET... Priores enim
„ Sancti & ſuſtinere adverſa poterant, & tamen e cor-
„ poribus educti ADHUC AB INFERNI LOCIS LI-
„ BERARI NON POTERANT, quia necdum vene-
„ rat, qui illuc ſine culpa deſcenderet, ut eos, QUI
„ IBI TENEBANTUR EX CULPA LIBERARET...
„ Et quia in ipſis quoque INFERNI LOCIS JUSTO-
„ RUM ANIMÆ SINE TORMENTO [2] TENEBAN-
„ TUR,

1 *Cap.* XLIV. *num.* 49. *p.* 411. *tom.* I.

2 Hæc paſſim Cadonicus ἀσυςασίας, *non cohærentiæ*, immo *repugnantiæ* arguit, contrariaque proinde eſſe rectæ rationi jactat, atque hoc nomine Sermon. CXXXVII. Auguſtino adſcriptum rejicit: *in Vindiciis cap.* V. *p.* 56. & in Opere inſcripto *de Divi Aurelii Auguſtini, quæ videtur ſententia, pag.* 8. » Animo verſabit lector, *inquit*, » hanc Divi Thomæ opinionem » (*quid D. Thomæ opinionem? Omnium Catholicorum Doctrinam, Cadonice, debuiſti dicere*) » inniti ſententiæ Divi Auguſtini » propter relata verba ſermonis alias 137. de tempore » (*Falſum doces Cadonice, ut paulo ante oſtendi. Sententia Thomæ, immo omnium orthodoxorum non ſpurio ſermone illo, ſed traditione Eccleſiæ nititur. Nec S. Thomas eum ſermonem commemoravit in corpore Articuli, aut in Reſponſione ad* 1. *Argumentum, ut eo ſe niti oſtenderet, ſed ſolum veluti velitationis gratia in argumento* ſed contra, *quo nihil S. Doctor ſolet ſtatuere*. Rurſum, *Sanctus Thomas, ut facere conſuevit, traditionem* convenire oſtendit, ubi eam, *ut ajunt*, ſuppoſuit, *indeque ſolvit, ſi quæ illi adverſari videntur, argumenta. Eam ob rem Auguſtini locum ex Epiſtola ad Evodium objecit ſibi, explicavitque, non Sermonis* CXXXVII. *ſed ejuſdem Epiſtolæ ad Evodium auctoritate*) » Neceſſarium arbitror, *ſic addis Cadonice*, aperire, quid » de hac concione cenſuerint Clariſſimi Monachi Congregationis S. Mauri.... » Hoc enim ſublato magno revera præjudicio, ſpero Lectores ad cetera ferven- » tiori ſtudio, quietiorique animo progreſſuros » (*Ineptos te quidem Lectores naturum putas, Cadonice, qui quieto animo ad cetera tua ſint progreſſuri, hoc ſermone ſublato, quaſi vero in uno hoc ſermone ſententia communis conſiſtat*) Pergis porro:

» Hunc

„ TUR, ut & PRO ORIGINALI CULPA ADHUC
„ DESCENDERENT, & tamen EX PROPRIIS ACTI-

ZZZZ „ BUS

» Hunc itaque ſermonem primo Lovanienſes ... Maurini poſtea rem penitus timati in Appendice ... collocaverunt, de eo judicium, quod ſequitur, pronunciantes: *Conſarcinatus*, inquiunt, *ex Gregorii M., & Euſebii ſententiis* » (*Mitto Euſebium Emiſſenum. Quid? Lectores tuos Gregorii Magni ſententiam, quæ illa ipſa eſt, quam ex Serm.* CXXXVII. *Thomas in argumentum* ſed contra *tranſtulit, contempturos cenſes, Cadonice, ut hoc obſtaculo* SUBLATO, *ſperes, ad cetera tua eos ferventiori ſtudio, quetiorique animo progreſſuros? Vide, quæſo, pag. hujuſ. operis* 531. *not.* 3. *quæ fuerit, quæque ſit in Eccleſia Catholica tanti Doctoris, atque Pontificis auctoritas*). *Sed aſſerio cetera Monachorum Congr. S. Mauri verba:* » *Et quidem*, ajunt iidem Monachi, *hic plura ſunt anſulis incluſa, quæ minime reperiuntur in Manuſcriptis, quibus detractis, cetera inter ſe aptius cohærent* ». *Cohærent igitur, quæ anſulis incluſa non ſunt. Ita plane. Sic enim Monachi, quos laudas, ſtatuunt. Age modo Cadonice, demonſtra, quid velis tibi.* » Quamvis, » *inquis*, verba a D. Thoma allata memoratis anſulis non includantur ». *Mane Cadonice. Cohærent igitur. Quid ais?* » tamen tantorum virorum judicio, adeo » Auguſtinum non ſapiunt, ut immo incerto auctori ab ipſis dentur ». *Quid? an loca etiam, quæ Maurini ex Gregorio accepta eſſe monent, incerto auctori ab ipſis dantur? Hoc erat tibi Cadonice oſtendendum: incerti illius auctoris inventum, non ex Gregorio acceptum fuiſſe ab incerto illo auctore locum, quem S. Thomas argumento* ſed contra *complexus eſt. Id tamen aut oſcitans facere prætermiſiſti, aut conſulto. Si conſulto, quod non credo, maxima eſt; ſin oſcitans, quod certe credo, etſi non tanta, nonnulla tamen tua eſt culpa.* » At ſatis, *inquis*, illitterato Auctori Maurini eum tribuunt ſermonem, quippe qui pugnantes inter ſe ſententias aſſuere » non dignovit ». *Sed id, Cadonice, Maurini negant. Detractis enim iis, quæ anſulis continentur, quæque in manuſcriptis Codicibus non extant, adeoque illi Auctori adſcribenda non ſunt, cetera non ſolum cohærere, ſed* APTIUS *etiam* INTER SE COHÆRERE *Maurini monent. Qua igitur confidentia Maurinos nominas, quaſi dixerint, quod tam dilucide, tamque aperte inficiantur? Audiamus cetera.* » Sed cum de hoc alibi loqui inſtituerim, *inquis*, juxta meditati ordinis » ſeriem, ſincero, docilique Lectori interim ſcire ſufficiat, eum textum S. Auguſti- » ni non eſſe, adeoque Divum Thomam laudati Patris auctoritate minime juvari » in ſtabilienda ſententia de ſtatu animarum in ſinu Abrahæ ». *Id ego poſt videro. Perge.* » Has enim ideo in doloribus poſuit Angelicus » *jam centies dixi, non ita, ut ſcribis, Angelicum ponere.* Vide *p.* 242. *hujuſ. operis not.* 1. *Dolorem autem ſicubi nominat S. Doctor, ut nominat art.* 1I. *qu.* 1II. *P.* 1II. *ſumma Theol. ad* 1. *non ſenſus dolorem vult eſſe, ſed triſtitiam, ortam ex gloriæ dilatione. Sed perge.* » Ideo, » *inquis*, in doloribus poſuit, quia putabat, reatum originalis peccati adhuc il- » lis incumbere; iſtius profecto ſpurii ſermonis auctoritate nixus, qui docet, » Chriſtum deſcendentem abſolviſſe omnes juſtos originali peccato adhuc adſtri- » ctos ». Nuſquam dicit Thomas *reatum originalis culpæ Sanctis Veteris Teſtamenti* ADHUC INCUMBERE. *Tuum hoc Cadonice, ne gravius dicam, inventum eſt. Detentos quidem Thomas*, ait, *fuiſſe Sanctos Veteris Teſtamenti Patres non culpa peccati originalis, qua fuerant ſoluti, ſed reatu excluſionis e regno Dei, quo quidem reatu ſoluti fuerint deſcenſu Chriſti ad inferos:* REATUM *autem* ADHUC SANCTIS *iiſdem* INCUMBERE, *Thomas nuſquam ait. Quod autem ait, quantum quantum Gregorii M. eſt, cujus locum in textu deſcripſi: aliorumque Patrum, quos ſupra commemoravi. Quid? ſi etiam Auguſtini? Sed de hoc alias. Nunc quid addas videamus.* » Deo, *inquis*, gratias agentes, qui nos felicioribus temporibus » atque utillimo (UTILISSIMO *voluiſti ſcribere*) critices ſtudio illuſtratos, in vi- » tam eduxerit ». *In vitam? Vitam ne vocas Cadonice oppugnationem eorum, quæ a Majoribus tradita ſunt? Aut critica arte iſta ad* VITAM *te revocatum, cenſes, negantem, quod a S. Patribus accepimus; Thomam autem, ceteroſque Scriptores, qui*

ante

„ BUS SUPPLICIUM NON HABERENT. Quaſi in „ TENEBRIS lectulum ſtraviſſe eſt IN INFERNO ſibi „ REQUIEM præparaſſe. GRAVE ENIM TÆDIUM „ electis fuit poſt ſolutionem carnis ADHUC SPECIEM „ NON VIDERE CREATORIS, quod TÆDIUM non „ immerito B. Job TENEBRAS vocat „.

Hæc cum a Gregorio tam explicate, tanta firmitate, atque conſtantia dicta ſint, quid eſt, quod ea ſic eſſe negligenda putes, ut illum ſequare *ſenſum*, quem tute in Auguſtini Epiſtola ad Evodium *minus eſſe apertum* [1] animadvertis? Jam ſi *apertam* Gregorii ſententiam nos ſequi convenit (quod, ſi ſapis, facile tu quidem concedes) id erit conſequens, ut vel Auguſtinum hoc in genere aſſe audiendum neges; vel, ni neges (non eſſe autem te negaturum, certo ſcio) Auguſtini ſane *minus apertum*, ut ſcribis, *textum* ad *apertum*, ac manifeſtum Gregorii *ſenſum* accommodandum eſſe confiteare. Quod cum ita ſit, illud item mihi omnino dabis, Thomam (*quem debuiſſe*, ais

ante iſta, quæ feliciora vocas, tempora vixerant, quaſi imperiti critica facultatis fuiſſent, in morte miſere manſiſſe? Infelicitas iſta eſt maxima, mihi crede, non felicitas temporum, minutarum rerum inveſtigatione conari graviſſimas ſententias, vetuſtateque traditionis robuſtas evertere. Neque vero in Theologo ea critica facultas deſideranda eſt, qua unum, alterumve opuſculum, ſit ne hujus, an alterius Scriptoris, pernoſcat. Alioquin nullum Scriptorem recentem, antiquum etiam nullum, ne Auguſtino quidem excepto, haberemus, qui dignus eſſet Theologi nomine. Nullus enim fuit, qui in diſtinguendis opuſculis Veterum, quod unius Scriptoris eſſet, non alteri aliquando tribuerit. Hoc Theologi eſt: quæ dogmata Theologica vera ſint, ab opinionibus falſis, novis, inanibus, non admodum firmis vetuſtate traditionis diſtinguere. Hoc Thomas genere, quo veſtra omnis natio caret, critica facultatis excelluit. Quare merita laude ab illuſtribus pietate, ac doctrina viris, a Pontificibus Maximis, a Conciliis Œcumenicis celebratus eſt: quod certe criticulis iſtis, quales tu requiris, & a quibus in iſtam te VITAM EDUCTUM *jactas, eveniet profecto numquam. Noverat Thomas, quæ a ceteris Patribus de excluſis e regno calorum ad Chriſti uſque deſcenſum ad inferos Sanctis Veteris Teſtamenti, quæ ab Auguſtino, quæ a Gregorio Magno prodita memoriæ fuerant; quæ tamen tibi criticæ iſtius novæ facultatis perito video eſſe ignota. Eodem in capite p. 4. Cadonice repetis, quæ alias ſæpe dixiſti, pugnare omnino, ut qui in requie ſit, idem ſit in mærore &c. Quod certe injurium majoribus noſtris eſt, inprimiſque Gregorio, cujus verba in textu attulimus. Vide etiam quæ ſcripſimus p. 246. ſeq. hujus operis. Sed tu mi homo, quod tibi finxiſti cum ratione pugnare, id fas eſſe, putas, refellere. Quod ſi ſemel admittitur, jam quot dogmata religionis cupidi novarum rerum impune ſibi putabunt refellere licere?*

1 Anonymus *epiſt.* 1. *p.* 9. » Dovea S. Tommaſo, *inquit*, ridurre il teſto *meno* » *aperto* della lettera ad Evodio al ſenſo, che CHIARISSIMO SUONA in quel » Sermone CXXXVII. »

ais [1] *reducere* MINUS APERTUM *textum Epiſt. ad Evodium, ad ſenſum qui clariſſimus in ſermone* 137. *ſonat; propterea quod, ut ea ætas ferebat, ſermonem ipſum Auguſtino omnes adſcriberent*) Thomam, inquam, ſi nixus auctoritate ejuſdem ſermonis fuiſſet, ac modo viveret, non fuiſſe mutaturum ſententiam. Nam ſi non ipſe per ſe (quod tamen de tanto viro nefas eſt credere, qui in Patrum, Gregoriique ipſius operibus mirifice verſatus erat, id quod ejus libri demonſtrant ipſius S. Pontificis teſtimoniorum pleni) at opera ſaltem Monachorum Congregationis S. Mauri, qui id adnotarunt, cognoviſſet, partem illam Sermonis ex Gregorii Magni ſententiis conſtare, caviſſetque ſibi, ut ne contra atque poſtulet ratio, *minus aperto* (ut fateris) *Auguſtini ſenſu* explicaſſe, vel potius implicaſſe, obſcuraſſeque *apertum* Gregorii videretur. Jam eo te redactum cernis, Anonyme, ut quod hariolans Epiſtola I. tua [2] ſcripſiſti: *S. Thomam, ſi noviſſet, adimendum eum Sermonem eſſe Auguſtino, fuiſſe item una cum prætenſi Auguſtini auctoritate ſententiam ex Sermone ipſo acceptam abjecturum*, id fateri cogare totum eſſe inane, ac nugatorium. Ex his autem laqueis quemadmodum expedire te poſſis, non video. Niſi forte Cadonicus aliquem tibi novuum ſuppeditarit canonem criticæ illius facultatis ſuæ, qua ſeſe ad *vitam eductum* narrat,

zzzzz2 Ve-

1 Anonymus *ibid.*

2 Anonym. *ibid.* » Altrimenti però avrebbe al certo giudicato, ſe penetrando » quelle ragioni, che poi addotte furono da celebri Padri di S. Mauro, conoſciuto aveſſe, che tal Sermone abjudicare doveaſi a Santo Agoſtino, come hanno » fatto i Critici de' noſtri tempi, rigettandolo nell' Appendice de' Sermoni; poichè in tal caſo coll' autorità del preteſo Agoſtino avrebbe anche abbandonata la » ragione preſa dall' iſteſſo Sermone ». Quid eſt, niſi hoc hariolari eſt? *Ratio*, ſi quam ex Sermone illo accepit Thomas, tranſtulitque in argumentum *ſed contra*, quo argumento nihil ſolet ſtatuere, omnium Patrum ratio eſt, ut ſupra demonſtravimus. Itaque eam ſi accepit Thomas, a Patribus omnibus acceperit neceſſe eſt. Neque enim eo uno nomine Sermonem illum indicaſſet, quod ſolius Auguſtini eam ſententiam eſſe putaſſet (meminerat enim S. D. eorum, quæ ſcripſerat 2. 2. *qu.* x. *art.* XII. *magis ſtandum eſſe auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcumque Doctoris*) ſed quod in eodem Sermone ſententiam & Gregorii Magni, & Patrum ceterorum, & orthodoxorum denique omnium expreſſam eſſe animadvertiſſet. Eadem, atque ab Anonymo, turbari ab Cadonico video *in Opere de S. Auguſtini, qua videtur, ſententia cap.* II. *num.* VIII. *p.* 8.

Verum ecquod eſſe iſtud criticæ facultatis genus tam abſurdum poteſt, quod præſcribat, minus *aperto* Auguſtini loco explicandum eſſe *apertum*, *clariſſimumque* Gregorii; aut *apertum*, *clarumque* Gregorii *ſenſum* eſſe poſtponendum ei *ſenſui*, quem tu Auguſtino affingis, eſſeque in Auguſtino ipſo *minus apertum* ultro confitere?

Rurſum, qua tu confidentia ex *minus aperto* Epiſtolæ ad Evodium *ſenſu* concludis, Auguſtinum ipſum exiſtimaſſe, Sanctos Veteris Teſtamenti Patres, ante deſcenſum Chriſti ad inferos, fuiſſe beatos viſione Dei? Ex *apertis* enim, clariſque, non ex *minus apertis* Scriptorum locis concludendum eſt, quid quiſque illorum ſenſerit; neque ferendum, ut, non dicam, *minus aperta*, ſed etiam *aperta* unius, duorum, triumve Patrum teſtimonia, *apertis* ceterorum Patrum, Librorum liturgicorum, Catholicarum gentium univerſarum, Catechiſmorum orthodoxorum omnium, omnium Theologorum, Pontificum denique Apoſtolicæ Sedis, ac propterea Eccleſiæ totius Catholicæ ſententiis præferantur [1]. Ac de locis quidem ceterorum Patrum, de Theologorum conſenſu, de Catechiſmis Eccleſiarum omnium, de Pontificum Romanorum decretis &c. actum eſt diligenter a nobis libro ſuperiore. De libris Eccleſiaſticis paulo poſt diſſeram.

At ſi locus ille Auguſtini ex Ep. ad Evodium *minus apertus* eſt comparatione Sermonis CXXXVII., non tamen ſequitur, ut per ſeſe non ſit *apertus*. Ego vero ne intelligi quidem poſſe cenſeo, quo demum modo *apertus* per ſeſe ſit locus aliquis, qui alterius loci, qui ſit apertior, cauſſa, aliorſum accipi debeat, ac proprius illius ſenſus etſi *minus apertus*, at *apertus* tamen poſtulet. Quod ſi comparate *minus apertus locus* explicandus *apertioribus locis* eſt, rapienduſque in *apertiorum ſenſum*; cur Thomas *minus aper-*

1 Vide quæ ſcripſi *lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 45. *ſeqq. hujuſce operis*, *&* *toto fere ſecundo capite primi ejuſdem libri*.

apertum, ut fateris, Auguſtini ex *Epiſtola ad Evodium* locum (*minus apertum*, inquam, comparatione non modo verborum Gregorii, ſed etiam ſententiarum omnium *Catholicorum*) explicare non debuiſſet, trahereque ad *ſenſum apertum*, *clariſſimeque* in Gregorii ejuſdem verbis, inque ſententiis omnium orthodoxorum *ſonantem*? Sic autem *minus* hunc *apertum* Auguſtini locum explicavit Thomas. Explicavit igitur locum illum ut debuit, atque adeo ut erat omnino idem explicandus locus. Explicare autem locum aliquem ita omnino ut eſt explicandus, quid eſt, niſi locum eumdem explicare vere, neque ſolum vere, ſed etiam ſapienter, id ſi, ut Thomas fecit, graviter, ordine, dilucideque fiat? Eſt is igitur Auguſtini locus vere, ſapienterque explicatus a Thoma.

§. V.

Recte, ac vere locum S. Auguſtini fuiſſe explicatum a S. Thoma, multis, iiſque clariſſimis Auguſtini ejuſdem teſtimoniis demonſtratur.

Jam animadverterat, ut ſupra demonſtratum eſt, Thomas, agi ab Auguſtino in Epiſtola ad Evodium adverſus quoſdam, qui *antiquos juſtos ante adventum Chriſti in inferno doloribus pœnarum fuiſſe ſubjectos* putabant: hoc eſt doloribus *pœnarum purgatorii*, ut in *not*. 2. *pag*. 723. plane oſtendimus. Deſcripſerat porro Thomas ad rem eamdem confirmandam Auguſtini verba, quod item vidimus *pag*. 724. Quare concluſit, Auguſtinum ipſum ajentem, *non videre ſe, quid deſcenſus Chriſti ad inferos antiquis juſtis contulerit*, intelligendum eſſe de *abſolutione a doloribus pœnarum* Purgatorii, non de adeptione gloriæ, quam eis certe contulit; *& per conſequens ſolutum a Chriſto eum dolorem fuiſſe, quem patiebantur juſti ex dilatione gloriæ, ex cujus tamen ſpe magnum gaudium habebant*. Nam qui

qui de *doloribus* ex cruciatu purgatorii ignis profectis agit, ut Auguſtinus ea in epiſtola agit, ſi addat, quod idem addit Auguſtinus: *quid his ergo præſtiterit, qui dolores ſolvit inferni*, IN QUIBUS ILLI NON FUERUNT, *nondum intelligo*; is cum id de *doloribus* inferni *purgatoriis* differens addat; neceſſe eſt, ut nondum INTELLIGERE ſe indicet, quid CONTULERIT eis Chriſtus SOLUTIONIS a DOLORIBUS PURGATORIIS, IN QUIBUS ILLI non fuerunt. De *liberatione* enim ab *iis doloribus* intelligendus is eſt, de quibus loquutus fuerat, quoſque argumentando ex Sanctis illis excluſerat; non de triſtitia ex dilatione gloriæ orta, de qua ne mentionem quidem fecerat. Quo namque modo liberatos ab triſtitia orta ex gloriæ dilatione Sanctos Vet. Teſt. Auguſtinus negare poterat, ſi non ſolum antea non oſtenderat in ea ipſos triſtitia non fuiſſe, ſed ne verbulo quidem indicarat?

At in ſecreta eos *quiete* fuiſſe Auguſtinus ſcribit. Quid hoc ad rem? Scribit item Gregorius, ut vidimus *pag.* 533. hujus operis. An igitur Gregorium quoque ſibi, Cadonicoque Anonymus præiviſſe dicet, qui tamen Gregorius ſtatuit: *Grave tædium electis fuiſſe, poſt ſolutionem carnis adhuc ſpeciem non videre creatoris? Vide pag.* 533. *hujus operis*. Quod ſi Gregorii ſic eſt intelligenda ſententia: *juſtorum animas* in tranquillitatis ſinu *ſine tormento fuiſſe, ut & pro originali culpa adhuc* Sancti *in inferna deſcenderent*, & TAMEN EX PROPRIIS ACTIBUS SUPPLICIUM NON HABERENT; quid repugnat, quo minus ita etiam Auguſtini intelligi ſententia debeat?

Sed Auguſtinus in inferis Sanctos negat fuiſſe, cum tamen id concedat Gregorius. Quid ergo? Auguſtinum ne, Anonyme, cum Gregorio committes, atque ei dices adjungendam; huic vero, cui orthodoxi omnes ubique conſentiunt, eſſe denegandam fidem? An Gregorium, orthodoxoſque reliquos omnes non intellexiſſe defendes, quæ ſcripta ab Auguſtino ſunt; te autem contra unum, poſt

poſt Lutheranos, Calvinianoſque, intellexiſſe? Annon vides, alterutrum ſi dixeris, fore, ut clamoribus omnium, ſibiliſque exagitere?

Quod ſi pergis Gregorio Auguſtinum opponere, vide, ne non vindex Auguſtini, ſed oppugnator, etſi non animo, at re tamen & ſis, & etiam habeare. Coges enim Lectores tuos, ut, Auguſtino dimiſſo, Gregorium conſectentur. Nam præterquam quod Gregorius id docet, quod ubique & crediderunt, & credunt cœtus omnes Catholicorum; id inſuper habet, quod uti certam tradat ſententiam ei opinioni adverſariam, quam opinionem tu quidem fateris [1] & videri tibi, & viſam Auguſtino fuiſſe non certam, ſed ſimiliorem veri. Quid autem? Amplecti ne quemquam putas poſſe, quod veri viſum dicas fuiſſe Auguſtino ſimilius; illud autem contra vel rejicere, vel ut minus probabile aſpernari, quod Gregorius & Doctor, & Pontifex Maximus tam eſſe judicavit certum, ut *doceri per Eccleſiam Catholicam a fide* ſcripſerit? Iſtucne vindicis Auguſtini munus erit, id eniti, ac laborare, ut cum Gregorio, cumque Eccleſiis Catholicis omnibus lectores ſui pugnare Auguſtinum exiſtiment, in eaſque anguſtias redigantur, ut ab Auguſtino cogantur recedere, ne Gregorio, Eccleſiiſque orthodoxis omnibus rem opinioni Auguſtini contrariam uti certam proponentibus reſiſtere videantur? Sed *μὴ γένοιτο*, *abſit*, ut Auguſtinus ab Gregorio, Eccleſiiſque Catholicis diſcrepet. Equidem cum Thomæ Aquinatis diſcipulus, atque adeo verus Auguſtini ſectator, & cultor ſim, non vindicis quidem Auguſtinianæ doctrinæ, quæ certe non eget vindice; ſed partes mihi aſſumam depulſoris injuriæ, quam ei abs te video conflari gravem. Redeo igitur ad rem.

Jam

1 Id paſſim concedit Cadonicus. Confer ejus locum, quem deſcripſi *p.* 16. *hujus operis not.* 1. Itaque Cadonicus idem, Dalhamus, Feltrius adiaphoram hanc eſſe quæſtionem, ajunt. Dalhamus quidem, cujus Hiſtoriam quæſtionis, & Votum probavit Cadonicus, inſeruitque poſtremo Operi ſuo *pag.* xx11. INCERTUM *eſt*, inquit, *& apud Theologos maxime controverſum*, in inferis ne Patriarcharum Sanctorum Veteris Teſtamenti animæ fuerint, indeque deinceps ereptæ deſcenſu Chriſti.

Jam intelligis opinor, ex Auguſtini loco, quem adduxiſti, non eſſe conſequens, Sanctorum illorum animas, quæ in tranquillitatis erant ſinu, non fuiſſe in inferis. At Patriarchæ, inquis, & Prophetæ, teſte Auguſtino, non erant in inferis, ſed in Abrahæ ſinu. De *ſinu* quod ſcribis, aſſentior. De *inferis*, hoc eſt de locis inferorum, in quibus vita hac mortali functorum animæ cauſſa propriorum peccatorum, aut originalis, quod remiſſum non fuerit, pœnas luunt; item aſſentior. Sed *ſinum* ipſum *Abrahæ*, ut addis, in inferorum loco aliquo ex Auguſtini ſententia non fuiſſe; nullo modo prorſus aſſentior. At Auguſtinus, inquis, *ne ipſos quidem inferos uſpiam ſe Scripturarum appellatos in bono reperiſſe* teſtatur. Sane bene. Inferorum enim nomen non deliciarum nomen eſt, ſed doloris. Sed heus tu. An Chriſtum Auguſtinus in inferis negat fuiſſe? Non negat, inquis. Immo hac ipſa in Epiſtola eum fuiſſe affirmat in inferis. In inferis? An dolores paſſurus? Abſit, inquis. Calvino ne Auguſtinus ut præiverit? Minime gentium. Sapienter. Non igitur generatim, atque univerſe Auguſtinus negat, *uſpiam ſe Scripturarum reperiſſe nomen inferorum in bono*. Non, inquis. Quid enim? An de Chriſto diceret id *nomen* uſurpatum in malo fuiſſe [1]? Deus avertat. Probiſſime. Nam verebar, Anonyme, ne cum tot abſurdorum dogmatum Auguſtinum auctorem per ſummam injuriam conſtituatis; ob hanc item generalem propoſitionem *de inferorum nomine nuſpiam reperto in bono*, iſtud præterea illi adſcri-

1 S. Thomas III. *P. quæſt.* LII. *art.* I. ubi ſibi in I. argumento objecit: „ Auguſtinus in Epiſtola ad Evodium dicit: nec ipſos quidem inferos uſpiam Scripturarum in bono appellatos potui reperire ». Reſpondet: *Quod nomen inferorum ſonat in malum pœnæ, non autem in malum culpæ; unde decuit, Chriſtum in infernum deſcendere*, NON TAMQUAM IPSE ESSET DEBITOR PŒNÆ, *ſed ut eos, qui erant pœnæ obnoxii*, LIBERARET. Idem *in* III. *ſentent. d.* XXII. *quæſt.* 2. *art.* I. poſteaquam ſibi ex Epiſtola ad Dardanum objecit Auguſtini locum: *Nomen inferni in Scriptura ſemper in malo accipitur*. » Ad I. dicendum, *inquit*, quod nomen inferni, ſecundum quod IMPORTAT LOCUM, non ſonat in malum tantum, & ſic poteſt competere Chriſto. Secundum autem quod importat pœnam damni, vel ſenſus, ſic Chriſto competere non poteſt, quia ſic ſonat etiam in malum culpæ ».

ſcriberetis, ut inferorum nomen *in malo* tum etiam adhibitum putarit, cum in Scripturis agitur de deſcenſu Chriſti. Sed teneo jam, ex *generali* illa propoſitione (te ètiam ingratiis confitente) aliquid excipi oportere. Nunc ſic habeto: concedere ultro me, quod ad rem noſtram attinet, *inferorum nomen nuſpiam nos Scripturarum reperire in bono*. Illud quæro, num aliquos eorum, qui in *inferis* fuiſſent, rationeque *inferorum* nihil habuiſſent boni; *aliunde* tamen habere aliquid boni potuiſſe, Auguſtinus negaverit? Non negavit, inquies; ſed ne affirmavit quidem; generalis autem eſt ejus propoſitio *de inferorum nomine numquam ab ſe reperto in bono*. At ſi generalis propoſitio, quamvis caſum nullum per ſe ipſa excipiat, quo inferorum nomen reperiatur in bono, tamen non obſtat, quin tu, recte quidem, excipias, ac fateare aliquando (velut dum agitur de Chriſto) nomen inferorum reperiri *in bono*; quid eſt, quod *generalis* eadem *propoſitio* te adeo conturbet, ut abs te ad ea etiam extendatur, quæ ipſa per ſe propoſitio generalis non continet? Nam ſi non *ex inferis* quiſquam, qui in *inferis fuerit*, ſed *aliunde* habuerit *bonum*; id *aliunde*, atque *id bonum aliunde* habitum non continebitur generali propoſitione illa de inferorum *nomine numquam reperto in bono*. Equidem *cruciatus* nomen pro *gaudio* numquam uſurpatum invenio. Quid igitur? An ex generali hac propoſitione cuiquam concludere licebit, eum, qui in cruciatu ſit, aliunde habere non poſſe, ut gaudeat? Hoc ſi quis diceret, contra Auguſtinum diceret, qui ſcribit, in quibuſlibet [1] cruciatibus conſtitutum hominem, ex proſpicientia certa boni, quod expectet, tam eſſe felicem poſſe, ut ſit Adamo in paradiſo degente beatior. Quod cum ita ſit, cur non item fateris, ex *generali* illa propoſitione de inferis *nuſpiam Scripturarum appellatis in bono*, concludi nullo modo poſſe,

1 Vide Auguſtini locum a nobis deſcriptum *pag. hujuſce operis* 247. *ſeqq.*

eorum qui fuiſſent in inferis neminem fuiſſe, qui (Auguſtini quidem judicio) *aliunde* habuerit quidquam *boni* ?

At addit Auguſtinus: *Quod ſi nuſquam in divinis auctoritatibus legitur, non utique ſinus ille Abrahæ, ideſt ſecretæ cujuſdam quietis habitatio, aliqua pars inferorum eſſe, credenda eſt*. Jam fac, Anonyme, τῶ *ſi*, quod eſt particula conditionis, deinceps memineris. Nam id, ſcito, nobis aliquando opportunum fore. Nunc illud animadverte: *ſinum quidem Abrahæ*, qui *ſinus quietis ſit*, per ſe ipſum non ferre [1], ut eſſe in inferis debeat, quos non reperimus appellatos *in bono*; ſed aliunde, nempe ex reatu, *ob peccatum originale*, excluſionis *temporariæ* e regno Dei fuiſſe conſequens, ut qui in ſinu eſſent Abrahæ, iidem in inferis manerent, quoad Chriſtus ad inferos deſcendiſſet.

At hoc Auguſtinus in Epiſtola ad Evodium non dicit. Fateor. Sed non dicit, quia, ut ipſe in Libro *de Natura, & Gratia adverſus Pelagium* ſcribit [2], *non ubique omnia dicenda ſunt*. Satis autem eſt, ſi alibi dicat, ut paulo poſt oſtendam. Interea illud peto, quorum *inferorum* partem ſinum Abrahæ fuiſſe Auguſtinus negare videatur? Scilicet eorum, quos nominarat, non eorum, quorum ne mentionem quidem fecerat. Egregie. Nominarat autem inferos illos, in quibus reprobi ſunt, iique, qui purgatoriis cruciantur flammis. Horum igitur,

1 S. Thomas III. *P. quæſt.* LII. *art.* II. poſt ubi ſibi in 2. argumento locum Auguſtini ex Epiſtola ad Evodium oppoſuit: „ Si in illum Abrahæ ſinum Chriſtum
» mortuum veniſſe, ſacra Scriptura dixiſſet, non nominato inferno, ejuſque do-
» loribus, miror, ſi quiſquam ad inferos eum deſcendiſſe aſſerere auderet; ſed
» quia evidentia teſtimonia & infernum commemorant, & dolores, nulla cauſſa
» occurrit, cur illo credatur veniſſe Salvator, niſi ut ab iiſdem doloribus ſalvos
» faceret ». Reſpondet: *Dicendum, quod ſinus Abrahæ poteſt ſecundum duo conſiderari, uno modo ſecundum quietem, quæ* IBI ERAT A PŒNA SENSIBILI, ET QUANTUM AD HOC NON COMPETIT EI NOMEN INFERNI, NEC SUNT IBI ALIQUI DOLORES. *Alio modo poteſt conſiderari quantum ad* PRIVATIONEM GLORIÆ SPERATÆ, *& ſecundum hoc habet rationem* INFERNI: *Et ideo nunc dicitur ſinus Abrahæ illa requies beatorum, non tamen dicitur infernus, nec dicuntur nunc in ſinu Abrahæ eſſe dolores.*

2 *Cap.* LIII. *num.* 62. *p.* 193. *tom.* X. *opp. edit. an.* 1700.

tur, ſeu *infernorum inferiorum* partem fuiſſe *habitationem* illam ſinus Abrahæ, negaſſe videatur, neceſſe eſt. Jam hoc nos perfacile ſane concedimus. Supereſt modo, ut eloquare, negarit ne Auguſtinus, fuiſſe in *inferno ſuperiori* illum Abrahæ quietis, & tranquillitatis *ſinum*. Evolvito Epiſtolam illam, conſiderato, quantum potes, expendito; negatum id ab Auguſtino nuſquam reperies. Non autem ii ſumus, qui, ut Leonardus Coquæus[1] Eremita Auguſtinianus vir alioqui doctiſſimus putat, negatum id ante fuiſſe ab Auguſtino, ſed poſtmodum conceſſum arbitremur. Thomam ſequimur verum Auguſtini interpretem, qui Sanctum Antiſtitem conſtantem in ſententia manſiſſe oſtendit.

1 Leonardus Coquæus ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini Doctor Sorbonicus *in Adnotat. ad lib.* I. *S. Auguſtini de Civitate Dei cap.* XII. *edit. opp. S. Auguſtini Lugdun. an.* 1664. *tom.* V. *p.* 15. *not. e.* „ Gremium, *inquit*, ſeu ſinum Abrahæ Scriptura vocat locum, in quo recluſæ fuerunt animæ Sanctorum ante Chriſti paſſionem. Ita enim definit idem Auguſtinus *lib.* IV. de Anima, & ejus Origine *cap.* XVI. remotam ſedem quietis, atque ſecretam, quæ dicta eſt Abrahæ, non quod ipſe tantum ibi ſit, ſed quod ipſe pater multarum gentium ſit poſitus, quibus eſt ad imitandum fidei principatum præpoſitus, ſicut & Deus Abrahæ ſe Deum vocari voluit, cum ſit innumerabilium Deus. Et Epiſtola XCIX. ſcribit, ibidem fuiſſe alios juſtos Patriarchas, & Prophetas, & abſurdum putat de hoc dubitare: ſed in eadem Epiſtola, & LVII. putat hunc locum non eſſe in inferno: quia infernus in Scriptura ſacra ſumitur in malam partem pro loco dolorum, & tormentorum, ſinus autem Abrahæ dicitur eſſe locus quietis, & conſolationis. Præterea Lucæ XVI. diſtinguitur ſinus Abrahæ, in quem delatus eſt Lazarus ab Angelis; & infernus, in quo ſepultus eſt dives ille epulo, & dicitur magnum chaos eſſe firmatum inter unum, & alterum locum. DICO NIHILOMINUS LOCUM FUISSE IN INFERIORIBUS PARTIBUS TERRÆ. Ex Scriptura colligi poteſt: *Gen.* 17. *deſcendam ad filium meum lugens in infernum*, quod nonniſi de loco Sanctorum Patrum intelligi poteſt. Chryſoſtomus de Lazaro, & divite: *ſinum Abrahæ* vocat paradiſum. Cyrill. Alex. *lib.* I. ad Reginas &c. & D. Auguſtinus *lib.* XX. *cap.* XV. RE MELIUS PERSPECTA idem ſentit, ubi receptaculum beatarum animarum ante Chriſti mortem inferos vocat. Dicendum eſt itaque, hunc locum, ſeu ſinum Abrahæ eſſe partem quamdam inferni ceteris omnibus ſuperiorem. Animæ enim ibi exiſtentes erant juſtæ, & omnino mundæ, & minus diſtabant a ſtatu, & ſpe beatitudinis, unde oportuit eas in ſublimiori, & honoratiori loco collocari. Unde Chryſoſtomus in Homilia de Divite *Lucæ* XVI. notat de divite exiſtente in inferno dici, elevaſſe oculos ſuos, ut Lazarum videret, tamquam in ſuperiori loco exiſtentem, quod etiam obſervavit Tertullianus *lib.* IV. *contra Marcionem cap.* XXXIV. Verba ſunt Gregorii *lib.* XII. Moralium cap. VI. *Nec tamen ita Juſtorum animas ad infernum dicimus deſcendiſſe, ut in locis pœnalibus tenerentur; ſed eſſe ſuperiora inferni loca, eſſe & alia inferiora credenda ſunt, ut & in ſuperioribus juſti requieſcerent, & in inferioribus injuſti cruciarentur*. Quando in SYMBOLO FIDEI DICITUR CHRISTUS DESCENDISSE AD INFEROS, INFERORUM NOMINE SINUS HIC ABRAHÆ INTELLIGI DEBET, IN QUO ERANT ANIMÆ SS. PP. quæ eſt communis ſententia Theologorum „. Scio fuiſſe alios, qui idem de Auguſtino atque Coquæus putaverint. Sed hos mitto, ne longior ſim.

At pergit Auguſtinus: „ Quamquam in his tanti „ magiſtri verbis, ubi ait, dixiſſe Abraham: *inter vos*, „ *& nos chaos magnum firmatum eſt*, ſatis, ut opinor, „ appareat, non eſſe quamdam partem, & quaſi mem- „ brum inferorum tantæ illius felicitatis ſinum. Chaos „ enim magnum quid eſt, niſi quidam hiatus multum „ ea ſeparans, inter quæ non ſolum eſt, verum etiam „ firmatus eſt „?

Quid hoc, Anonyme? Videtur ne tibi ſinum Abrahæ ex *inferno* etiam *ſuperiori* excludere? Mihi certe non inde excludere, immo ponere eodem in ſuperiore inferno ſinum eumdem videtur. Quod ſi neges, quæro abs te, ubinam Auguſtinus ſinum eumdem conſtituat? In cælo ne? At hujus rei in Auguſtini operibus ne veſtigium quidem extat. An in ſuperficie terræ? An in aere? Id velim mihi ex Auguſtini libris oſtendas. Non potes autem. Sed fac poſſis. Quem tu hiatum inter infernum damnatorum, terræque ſuperficiem, aut aera, aut cælum firmatum cernis? Inter infernum inferiorem, & ſuperiorem hiatum quidem concipere mente poſſumus; inter infernum autem inferiorem, & ſuperficiem terræ, in qua eſſet Abraham, aut aera, aut cælum *hiatum* fingere quem tandem poſſumus? Quum ergo Auguſtinus negat, inferorum partem ſinum Abrahæ fuiſſe;eo negat,quod eum ſinum inferni inferioris partem non eſſe crederet; non quo crederet,non eſſe in inferno ſuperiore,inter quem ſuperiorem,& inferiorem infernum ille tam magnus hiatus firmatus eſſet. Atque huc ſane pertinet, quod Magnus Gregorius ille Auguſtini admirator, & laudator *in* XII. *lib. in Jobum c.* IX. ut de re MINIME DUBIA, & proinde CREDENDA ſcripſit[1], At

1 S. Gregorius M. *loc. cit. num.* 11. *p.* 397. *to.* I. *opp. edit. Pariſ. an.* 1705. „ Quia „ ante adventum Mediatoris Dei, & hominis omnis homo quamvis mundæ, „ probatæque vitæ fuerit, AD INFERNI CLAUSTRA DESCENDERIT, DU- „ BIUM NON EST: quoniam homo qui per ſe cecidit, per ſe ad paradiſi re- „ quiem redire non potuit, niſi veniret ille, qui ſuæ incarnationis myſterio ejuſ- „ dem nobis paradiſi iter aperiret. Unde & poſt culpam primi hominis ad para- „ diſi

At cur, inquies, Auguſtinus hoc de *inferno* ſuperiori non addidit ? Cur ? Audi cur idem Auguſtinus dicat in I. *contra Julianum* libro [1], quo loco patronum Pelagianorum redarguens, quærentem, *cur Johannes Chryſoſtomus* vocem quampiam ſententiæ cuidam ſuæ non addidiſſet [2] : *Cur putamus* ? inquit, *Niſi quia diſputans in Catholica Eccleſia non aliter intelligi arbitrabatur ; tali quæſtione nullius pulſabatur ; vobis nondum litigantibus , ſecurius loquebatur* ?

Sed miror equidem te iſta ex Epiſtola ad Evodium nobis objicientem non conſiderare , quam extenuare Tractatorum pro Catholico de Euchariſtia dogmate conſtitutas adverſus hæreticos regulas , neque extenuare ſolum , ſed etiam , quod ad te quidem attinet , evertere conere . Petrus ecce Nicolius , quem nemo veſtrum minus fuiſſe in operibus Auguſtini verſatum dicet , in ea , quam ſæpe nominavi, de *Fidei Perpetuitate* Tractatione [2] ſic ſtatuit : non ex Epiſtolis , quæ ad viros doctos datæ

„ diſi aditum romphæa flammea poſita eſſe memoratur , quæ & verſatilis dicitur, „ pro eo quod quandoque veniret tempus , ut etiam removeri potuiſſet : NEC „ TAMEN ITA JUSTORUM ANIMAS AD INFERNUM DICIMUS DE- „ SCENDISSE , UT IN LOCIS PŒNALIBUS TENERENTUR : SED ESSE „ SUPERIORA INFERNI LOCA , ESSE ALIA INFERIORA CREDENDA „ SUNT , UT ET IN SUPERIORIBUS JUSTI REQUIESCERENT , ET IN „ INFERIORIBUS INJUSTI CRUCIARENTUR „ . En inter quæ loca hiatus fuiſſe dicatur . Atque hinc etiam intelligant Cadoniciani , quo ſenſu quieviſſe credantur Sancti in ſinu Abrahæ . Confer quæ ſcripſi *p. 727. ſeqq. hujus operis* .

1 *Cap. VI. p. 336. tom. X. opp. edit. Antuerp. an.* 1700. .

2 *Parte II. Opuſculi de la Perpetuité de la Foy de l' Egliſe Catholique touchant l' Euchariſtie : p.* 102. *ſeq. edit. Pariſ. an.* 1666. „ Comment , *inquit* , n' auroit „ il pas plus d' egard dans UN MYSTERE DONT LA CREANCE A TOU- „ JOURS ESTÈ POPULAIRE , AUX PASSAGES PRODUITS PAR LES CA- „ THOLIQUES , QUI SONT TIREZ POUR LA PLUSPART DES INSTRU- „ CTIONS , QUE LES PERES EN DONNENT AUX PEUPLES POUR LEUR „ ENSEIGNER CE QU' ILS EN DEVOIENT CROIRE , ET QU' ILS EN „ DONNENT A CEUX MESMES QUI N' EN AVOIENT AUCUNE CON- „ NOISSANCE , COMME AUX NOUVEAUX BAPTISEZ , DEVANT LES- „ QUELS ILS ESTOIENT SANS DOUTE OBLIGEZ DE PARLER PLUS PRE- „ CISEMENT , ET PLUS NETTEMENT , qu' a ceux que les Calviniſtes pro- „ duiſent , qui ſont tirez ordinairement de lieux écartez , où les Peres ne parlent „ pas a deſſein de l' Euchariſtie , & où ils en PARLENT A DES PERSONNES „ SCAVANTES QUI POUVOIENT SUPPLEER PAR LEUR INTELLIGENCE „ LE DEFFAUT DE L' EXPRESSION ? Car il eſt clair que c' eſt ſur la premie- „ re ſorte de paſſages , que la foy des peuples s' eſt reglée , & qu' ils ont cru ce , „ que les inſtructions de S. Ambroiſe , de S. Gregoire de Nyſſe , de S. Cyrille de

„ Jeru-

datæ a Patribus fuerint, qui viri docti potuerant intelligendi facultate ſua ſupplere ſi quid *defectus* in *expreſſione* fuiſſet; ſed ex iis Sermonibus, quos Patres habuerint recte inſtituendorum, informandorumque populorum cauſſa, ex iis inquam, ſermonibus rerum, quæ ad religionem pertinent, accuratam cognitionem eſſe repetendam. Quod ſi hæc adverſus hæreticos oppugnatores Sacramenti Euchariſtiæ valet regula; cur non item adverſus te, tuoſque valebit, qui communi doctrinæ populi Chriſtiani privatam Auguſtini ad Evodium, totque quæſtionibus, dubiiſque implicatam [1] epiſtolam

„ Jeruſalem, de S. Gaudence, de S. Cryſoſtome, de S. Euchér, leur ont im„ primé naturellement dans l'eſprit. Et il eſt clair au contraire, que les paſſages „ tirez des livres de Tertullien contre Marcion, de l'Epitre de S. Auguſtin a Bo„ niface, des livres contre Adimante, des Dialogues de Theodoret, des Livres „ de Facundus, & de Gelaſe, n'ont rien contribué a former cette creance des „ peuples, puiſq'ils leur ont eſté inconnus „. *Quo demum modo, dum de myſterio agitur, cujus explicata ſides populi ſemper communis fuit, non plus eſt habenda ratio teſtimoniorum ab Catholicis adductorum, quorum quidem teſtimoniorum pars major ex iis inſtitutionibus accepta eſt, quas Patres populis dabant, ut docerent eos, quid ipſis credendum eſſet, quibuſque illos etiam ipſos informabant, qui cognitionem rerum earum habebant nullam, cujuſmodi erant novi baptizati, coram quibus magis caſtigate loqui debebant, magiſque dilucide* (quo, inquam, modo non plus eſt horum teſtimoniorum habenda ratio) *quam eorum, quæ Calviniani proferunt, quæque accepta ſunt fere ex locis retruſis, in quibus Patres ex inſtituto de Euchariſtia non loquuntur, & quibus ipſi cum viris doctis agebant, qui ſupplere poterant intelligendi facultate ſua quod deerat expreſſioni? Atque eſt illud quidem perſpicuum, populorum fidem priore teſtimoniorum genere fuiſſe directam, ipſoſque populos credidiſſe, quod inſtitutiones Sanctorum Ambroſii, Gregorii Nyſſeni, Cyrilli Hieroſolymitani, Gaudentii Brixienſis, Chryſoſtomi, Eucherii ipſorum mentibus impreſſerant: eſtque etiam illud e contrario clarum, loca accepta ex libris Tertulliani contra Marcionem: ex Epiſtola S. Auguſtini ad Bonifacium, ex libris contra Adimantum, ex Dialogis Theodoriti, ex libris Facundi, & Gelaſii nihil ad hanc populorum fidem formandam contuliſſe, cum populis iiſdem ignota eſſent.*

1 Quæſtio in iis litteris ad Evodium *cap.* 1. præcipua eſt de interpretatione *verſus* 8. *ſeq.* capitis III. Epiſtolæ 1. S. Petri: *Mortificatum carne, vivificatum ſpiritu, in quo & iis, qui in carcere erant concluſi, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant in diebus Noe &c.* Hujus quæſtionis cauſſa, interrogavit Auguſtinus *quid boni ſoli meruerint, qui tunc infideles fuerunt cum fabricaretur arca, ut ad inferna veniens Dominus eis prædicaret?* Huic interrogationi cum nondum ſatisfeciſſet, ad aliam progreſſus eſt, petiitque ſecundo: *quomodo aliis Chriſtus non prædicaverit, ſed illis tantum, qui in diebus Noe increduli fuerunt?* Ne hanc quidem ibi quæſtionem ſolvit. Perrexit ad tertiam, quæ eſt hujuſmodi: *Aut ſi omnibus prædicavit, cur illos ſolos Petrus commemoravit, prætermiſſa multitudine tam innumerabili ceterorum?*

Cap. II. ſtatuit, niſi ab infideli, negari a nemine poſſe deſcenſum Chriſti ad inferos. Quemadmodum autem Chriſtus dolores ſolverit inferni, duobus modis ait explicari poſſe: quorum hic eſt poſterior, ut *eos dolores eum ſolviſſe credamus, quibus teneri ipſe non poterat; ſed quibus alii tenebantur, quos ille noverat liberandos.* At hic dubium excitavit: *quinam iſti ſint.* Id, ait, temerarium eſſe definire.

Si,

ſtolam opponitis, quæ nihil contulit ad dirigendam populorum fidem, ut quæ ignota prorſus eſſet Chriſtianæ plebi;

atque

Si enim, inquit, *omnes omnino*, *dixerimus*, *tunc eſſe liberatos*, *qui illic inventi ſunt*, *quis non gratuletur*, *ſi hoc poſſimus oſtendere? Præſertim propter quoſdam*... *quorum eloquium*, *ingeniumque miramur*, *non ſolum poetas*, *& oratores*, *qui eoſdem ipſos falſos Deos gentium*... *ridendos monſtrarunt*... *quamvis illa ſuperſtitioſa cum ceteris colerent*. Non dixit autem falſam hanc eſſe, atque a Catholica veritate alienam ſententiam: ſed *hæc ſunt*, inquit, *quæ in hac re non immerito movent*, *quæ mihi interim cogitanti ſolent occurrere*. *Primum*, *qua auctoritate firmetur iſta ſententia*. Nam quod ſcriptum eſt, *ſolutis doloribus inferni*, *vel ad ipſum* Chriſtum *pertinere* POSSE *intelligi*, affirmavit, *quod eos hactenus* Chriſtus *ſolverit*, *hoc eſt irritos fecerit*, *ne ab eis teneretur*, *præſertim quia ſequitur*, in quibus impoſſibile erat teneri eum; *vel accipi* POSSE *in quibuſdam*, *quos ille dignos iſta liberatione judicabat*. Qua ex re, cum POSSE INTELLIGI, Auguſtinus dixerit, duobus his modis; NON POSSE autem intelligi de OMNIBUS DAMNATIS, etiam idololatris, non dixerit; ſicut fuerunt aliqui, qui dubium hac de re fuiſſe Auguſtinum putarunt (Toutée *in Cat.* IV. *S. Cyr. Hier. not.* 2. *p.* 57.) ita eſſe deinceps poterunt, ni aliorum Auguſtini locorum, inprimiſque libri de Hæreſibus ad Quodvultdeum ratio habeatur *Cap.* LXXIX. *p.* 18. *tom.* VIII. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

Cap. III. Miſſa hac de omnibus reprobis &c. liberati ne fuerint, quæſtione, de purgatoriis pœnis, ut video, Auguſtinus egit, quibus pœnis detentum fuiſſe, ad Chriſti deſcenſum ad inferos, Adamum cenſuit. Quamquam erit fortaſſe aliquis, qui eadem cupiditate, qua Cadonicus permotus eſt, attribuendi Auguſtino, quod Auguſtinus ne ſomniavit quidem, in reproborum numero Adamum fuiſſe, atque Chriſti deſcendentis ad inferos beneficio non a temporario ſupplicio, ſed a ſempiterno vindicatum jactet, idque efficere conetur ex VI. Operis Imperfecti contra Julianum libro *cap.* XXII. *pag.* 981. *tom.* X. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. quo loco S. Pater ſcribit: *Adam in* TAM *multis* POSTERIS SUIS... *gratia Dei per Jeſum Chriſtum D. N. a* SEMPITERNO SUPPLICIO LIBERATUR, ET IN SEIPSO (ſubintelligitur a SEMPITERNO SUPPLICIO LIBERATUR) *quamvis a ſua morte poſt annorum aliquot millia*, *quando Chriſtus pro nobis mortuus ad loca mortuorum non neceſſitate*, *ſed poteſtate deſcendit*, *& dolores ſolvit inferni*. Addit in *cap. eod. Epiſt. ad Evodium*, eſſe aliquos, qui par dicant beneficium Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo fuiſſe conceſſum, ut iiſdem doloribus purgatoriis, in quibus Adam fuerat, ſolverentur. Contra hos nihil indubitanter ſtatuit. Solum dicit, non videre ſe, *quomodo* intelligatur, Abraham, in cujus ſinum pauper ſuſceptus eſt, fuiſſe in illis doloribus. Ceterum: *explicant*, inquit, *fortaſſe qui poſſunt*. Quæſtione de animabus Sanctorum Patriarcharum Abraham &c. num ſuppliciis purgatoriis affecti fuiſſent, ita relicta, ut quamvis ipſe Auguſtinus dicat, non videre ſe, *quomodo intelligeretur Abraham in illis fuiſſe*; tamen pati videatur, *explicari* eam ab iis *fortaſſe*, *qui poſſent*; pergit deinceps idem S. Auguſtinus, & omiſſa parte illa, quam ab ſe non *intelligi*, ſed ab aliis *qui poſſent*, *fortaſſe explicari &c.* dixerat, alteram ſumit, quam ipſe intelligi ab ſe innuerat, nempe Abrahamum non fuiſſe in illis doloribus, ſed in *quietis ſinu*. Poſito autem, quod Abraham, & Lazarus non in doloribus illis purgatoriis, in quibus eos *aliqui ponebant*, *& id explicare fortaſſe poterant*, ſed in ſinu quietis ante Chriſti mortem fuerint, hos duos tantum, & non alium quemquam ibi fuiſſe, *neſcire ſe* Auguſtinus ait, *utrum quiſquam ſit*, *cui non videatur abſurdum*. Ac ſi *plures fuerunt*, neminem auſurum dicere, non ibi fuiſſe Patriarchas, & Prophetas. Jam ut vides conditione ſemper utitur.

Redit Auguſtinus ad quæſtionem, quam initio moverat. Sic enim habet: *Sed utrum omnes liberarit*, *quos in inferis invenit*; *an quoſdam*, *quos illo beneficio dignos judicavit*, *adhuc requiro*. Quid? omnes ne, an quoſdam? Adhuc *requiro*, inquit. Age Cadonice, ſume hinc tibi occaſionem dubitandi, an Chriſtus deſcenſu ſuo Oratores illos, atque Poetas liberarit, quorum paulo ante Auguſtinus meminit. Quæ-

ſtio-

atque ita quidem opponitis, ut præ hac una nullam habeatis Catecheſeon omnium orthodoxi orbis Antiſtitum,

ſtione haudquaquam diremta, pergit Auguſtinus ſcribere: *fuiſſe tamen eum Chriſtum apud inferos, & in eis doloribus conſtitutis hoc beneficium praſtitiſſe non dubito.* Quid igitur? An cum hoc non dubitet; non negat, quod commemoraverat de liberatis *omnibus, quos in inferis Chriſtus invenit* Oratoribus, Poetis, Philoſophis? Quid ais Cadonice? An dogmatis certitudinem de non liberatis damnatis ex inferno, & quidem omnibus, everti hac Auguſtini Epiſtola dices? An addes, quod a Symmiſtis quibuſdam tuis dictum audio: *Auguſtinus hac de re non vidit traditionem, quia dubitavit, ergo non eſt traditio?* At Auguſtinus, inquies, ad amicum doctum hominem ſcribens, quæſtiones de rebus proponit, quas hac epiſtola inveſtigat, agitat, vix expendit, non ſtatuit. Nam niſi hoc reſponderis, non video, quo demum te modo expedire poſſis, quo minus concedas, Auguſtinum, cum hæc ſcriberet, de re certa, quæ ad fidem profecto pertinet, dubitaſſe. Et hujus generis epiſtolam, qua ita de rebus etiam fidei diſputat Auguſtinus, nihil fere ut ſtatuere videatur, communi omnium Orthodoxorum ſententiæ de vindicatis in libertatem Sanctis Vet. Teſtam. objicere non verere? Præterquamquod non ignoras, non id ſibi propoſuiſſe Auguſtinum ex inſtituto, de omnibus ne, an de ſolis Sanctis ex inferis ereptis agere, adeo ut in ea re diligentiſſime expendenda, ſtatuendaque ſibi eſſe operam conſumendam arbitraretur. Quæſtionem ſibi propoſuerat ad ſolvendum de intelligentia loci ex c. III. Epiſt. I. Petri. Cumque ita, ut fit, rationes ejus loci interpretandi ceteras veluti ex tranſcurſu, & obiter attigiſſet, ad ſuam venit interpretationem, quam a c. IV. ad VII. copioſe exſequitur. Quid mirum autem, ſi viro docto ſcribens, eas incidentes quæſtiones, quibus aliæ interpretationes niti poſſe videbantur, dirimendas non putarit, eoque ſtudium contulerit, ut explanaret, atque confirmaret ſuam? Quod idem ei in altera Epiſtola ad Dardanum contigiſſe video, quam biennio fere poſt Epiſtolam ad Evodium ſcripſit. Nam cum Dardanus ex eo ſciſcitatus fuiſſet, *num Chriſtus in Cælo ſit, qui Latroni in cruce dixerit, eum ſecum illo die futurum in Paradiſo; num forte, quia Chriſtus ubique exiſtit, an quia Paradiſus in cœlo ſitus eſt*; quæſtionemque Auguſtinus *ſenſu multo expeditiore dirimere inſtituiſſet, ut ubicumque ſit Paradiſus, quiſquis beatorum ibi eſt, cum Deo ibi eſt, qui ubique eſt*; ceteras explicandi ejus Paradiſi, de quo Chriſtus Latroni loquutus fuerat, rationes vix attigit, & ita conditionibus adhibitis propoſuit, nihil ut de iis decernere videretur. Igitur ejus Epiſtolæ, quæ eſt CLXXXVII. al LVIIII. *cap.* II. *pag.* 517. *edit. Antuerp. an.* 1700. *tom.* II. *opp.* „ Reſtat, *inquit*, ut ſi ſecundum hominem dictum eſt „ (*ac ſecundum hominem dictum etiam eſſe non ſolum Patres omnes affirmant, quorum teſtimonia adduximus libro ſuperiore, ſed etiam Auguſtinus ipſe in orationibus ad populum habitis teſtatur*, quod in textu mox vidimus) „ ſi ſecundum hominem dictum eſt: *hodie mecum eris in Paradiſo*, IN „ INFERNO INTELLIGATUR ESSE PARADISUS, UBI ERAT EO DIE FU„ TURUS SECUNDUM HUMANAM ANIMAM CHRISTUS. Utrum autem » ſinus ille Abrahæ, ubi dives impius, cum in tormentis eſſet inferni, requieſcen» tem pauperem vidit, vel Paradiſi cenſendus vocabulo, vel ad inferos pertinere » exiſtimandus ſit, non facile dixerim. » Cur non? Quia inferni nomine nonniſi *pœnalia loca* intelliguntur, in quibus reprobi, quique ignibus purgatoriis cruciabantur, detenti erant, & in quibus aliqui conſtituebant Sanctos Veteris Teſtamenti. Eatenus autem ait, non facile ſe dicturum, in his ne locis *pœnalibus* ſinus fuerit Abrahæ, quatenus ratio nulla erat, quamobrem diceret. Etſi vero breviter, neque ſatis explicate, hoc tamen voluit Auguſtinus indicare, ut ex conſequentibus illius verbis intelligi poterit. »: De illo quippe divite legimus dictum eſſe: *mortuus eſt » autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. & cum* APUD INFEROS IN TOR» MENTIS ESSET. In pauperis autem morte, vel requie non ſunt inferi nomi» nati: ſed *contigit*, inquit, *mori inopem illum, & inferri ab Angelis in ſinum » Abrahæ*. Deinde ARDENTI DIVITI DICIT ABRAHAM, *inter nos, & vos chaos*

tum, nullam ſermonum de religione, nullam profeſſionum fidei rationem, nullam inſtitutionum, quibus Patres, ut Eucherius, ut Petrus Chryſologus, ut Cyrillus Hieroſolymitanus, ut Johannes Chryſoſtomus, ut Auguſtinus ipſe, ut alii innumerabiles; quibuſque Pontifices Maximi, ut Gregorius Magnus, ut Innocentius III. ut Benedictus XII. ut Pius V. ut Gregorius XIII. ut Clemens VIII. ut Paulus V. quid credendum ſit, non doctis hominibus modo, ſed imperitis etiam, ſed puſillis, ſed neophytis propoſuerunt?

Redeo ad Auguſtini Epiſtolam. Si in Abrahæ, hoc eſt in quietis ſinu, & non in purgatoriis ignibus Patriarchæ, & Prophetæ fuerunt, quid his Chriſtus contulerit, qui dolores ſolvit inferni, ſeu qui *dignos iſta liberatione a ſuppliciis* purgatoriis ſolvit, in *quibus doloribus* purgatoriis illi

„ *chaos magnum firmatum eſt;* tamquam inter INFEROS „ (*quos inferos, niſi reproborum?*) „ SEDESQUE BEATORUM. Non enim facile alicubi Scripturarum „ inferorum nomen poſitum invenitur in bono. Unde etiam quæri ſolet, ſi NON- „ NISI PŒNALIA LOCA RECTE INTELLIGUNTUR INFERNA, quomodo „ animam Domini Chriſti pie credamus fuiſſe in inferno? Sed bene reſpondetur, „ ideo deſcendiſſe, ut, quibus oportuit, ſubveniret. Unde B. Petrus eum dicit „ *ſolviſſe dolores inferni, in quibus impoſſibile erat teneri eum*. PORRO SI UTRA- „ QUE REGIO ET DOLENTIUM, ET REQUIESCENTIUM, IDEST UBI „ DIVES ILLE TORQUEBATUR, ET UBI PAUPER ILLE LÆTABATUR, „ IN INFERNO ESSE CREDENDA EST: „ (Credenda eſt autem, quamvis diſſitæ ponendæ hæ regiones ſint, quarum una inferior ſit, ſuperior altera, ut idem Auguſtinus alibi ſtatuit, quod mox in textu oſtendemus) „ quis AUDEAT di- „ cere, DOMINUM JESUM AD PŒNALES INFERNI PARTES VENISSE tan- „ tummodo, NEC FUISSE APUD EOS, QUI IN ABRAHÆ SINU REQUIE- „ SCUNT? Ubi ſi fuit, ipſe eſt intelligendus Paradiſus, quem Latronis animæ „ illo die dignatus eſt polliceri. Quæ ſi ita ſunt, generale Paradiſi nomen eſt, „ ubi feliciter vivitur „. Hæc Auguſtinus norat eſſe vera. Sed cum ex inſtituto ea perſequi nollet, propterea quod ad expeditiorem rationem properaret, ſcribens viro docto, conditione uſus eſt, ne, cum diſputatorem Theologum ageret, ſecus ac diſputatorum ferat methodus, ſumere ut conceſſa videretur, quæ non ante argumentis probaſſet, ac confirmaſſet eſſe concedenda.

Jam vero hujuſmodi Epiſtolas privatim ſcriptas (in quibus ea methodo uſus Auguſtinus diſputando, nihilque fere ſtatuendo, de liberatis omnibus ne, an aliquibus ex inferis, deque ſitu Paradiſi, Sinuſque Abrahæ agit) quotus quiſque vim obtinere poſſe, non dicam ad opiniones Theologorum, ſed ad certas omnium catholicorum ſententias, de quibus nunc agitur, everrendas, atque ad novum commentum Batavorum conſtabiliendum putet? Quod ſi perſtas Epiſtolas haſce objicere, in quibus non tam diſtincte, quam his de rebus velles, Auguſtinus loquutus fuit; cave ne Calvinianis præſentiam Chriſti realem in Euchariſtia negantibus, & Epiſtolam ſancti Patris XCVIII. al XXIII. *ad Bonifacium n.* 9 *p.* 220. *tom.* II. *opp. edit. Antuer. an.* 1700. objicientibus quidquam conceſſiſſe videare.

Patriarchæ, & Prophetæ non fuerunt, quid, inquam, Chriſtus iis *contulerit*, *intelligere ſe nondum* poſſe Auguſtinus ſcribit adverſus eos diſputans, qui aliter ſentiebant, quique aliter *explicare fortaſſe poterant*. Nam ſi Sancti illi in *doloribus purgatoriis* non *fuerunt*, quid Chriſtus *liberator ab illis doloribus* contulerit *ab iiſdem doloribus* liberationis Patriarchis, Sanctiſque ceteris, qui in *iis doloribus* non *fuerunt*, intelligere profecto Auguſtinus non poterat, *præſertim quia ne ipſos quidem inferos uſpiam Scripturarum in bono*, hoc eſt pro quiete *appellatos reperiſſet*. Adjungit mox S. Doctor: *quod ſi nuſquam in divinis auctoritatibus legitur* nomen eorum inferorum in bono, *non utique ſinus ille Abrahæ, ideſt ſecretæ cujuſdam quietis habitatio aliqua pars inferorum credenda eſt*. Quorum tandem, quæſo te, inferorum? Nempe eorum, de quibus loquutus hactenus fuerat, & in quibus eſſe reprobos, & eos, qui igne purgatorio cruciantur, norat. Confirmans porro, ſe hactenus de infernis illis inferioribus diſſeruiſſe, eorumque partem eſſe negaſſe ſinum Abrahæ, ſtatim addit: *Quamquam in his ipſis tanti magiſtri* (Chriſti) *verbis*, *ubi ait dixiſſe Abraham*, inter vos & nos chaos magnum firmatum eſt, *ſatis ut opinor apparet*, *non eſſe quamdam partem*, *& quaſi membrum inferorum tantæ illius felicitatis ſinum*. Quorumnam inferorum? Scilicet *inferiorum*. Nam ut nobis Auguſtinus probet, non eſſe partem inferorum ſinum Abrahæ, quo demum argumento utitur? Non alio, quam eo uno, quo oſtendit, infernum damnatorum, flammiſque purgatoriis cruciatorum ſejunctum eſſe magno *hiatu* a ſinu Abrahæ. Mox enim addit: *chaos magnum quid eſt*, *niſi quidam* HIATUS MULTUM EA SEPARANS, INTER QUÆ NON SOLUM EST, SED ETIAM FIRMATUS EST? Atque hunc hiatum firmatum eſſe alibi Auguſtinus ſcribit (quod paulo poſt demonſtrabimus) inter infernum *inferiorem*, & *ſuperiorem*. Pergit Auguſtinus rem eamdem diſputando terere: *Quapropter ſi in illum Abrahæ*

hæ ſinum Chriſtum mortuum veniſſe Sancta Scriptura dixiſſet, non nominato inferno, ejuſque doloribus, miror, ſi quiſpiam ad inferos eum deſcendiſſe aſſerere auderet. Certe ſi Scriptura non diceret, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe (neque id diceret traditio, non enim excludenda traditio eſt, quia non eſt hoc loco ab Auguſtino commemorata) ſed ſolum diceret Chriſtum in ſinum Abrahæ veniſſe, nemo *de ſuo* addere poſſet, *veniſſe ipſum ad inferos.* Quid igitur? An ideo negat Auguſtinus, Chriſtum deſcendentem ad inferos in ſinum Abrahæ veniſſe? Nihil minus. Non enim id uſquam negat. Cum autem non neget, ſi quis id negaret, ſuo arbitratu negaret, non ex Auguſtini ſententia negaret. Adjungit inde Auguſtinus: *Sed quia evidentia teſtimonia & infernum commemorant, & dolores, nulla cauſſa occurrit, cur illo credatur veniſſe Salvator, niſi ut ab ejus doloribus ſalvos faceret.* Jam hoc Auguſtinus repetit: Jeſum ſolviſſe dolores inferni. Nomine autem dolorum inferni indicarat, & indicare pergit cruciatus, ut diximus, purgatorios. In his Sanctos Patriarchas non fuiſſe exiſtimat contra quoſdam, qui ſecus arbitrabantur. Sic autem ſtatuit: ſi in his Sancti non fuerunt, & Chriſtus deſcendit ad inferos, eo ſolum conſilio, ut detentos his doloribus ſolveret; non intelligere ſe, quid Sanctis ipſis ſolutionis ab ejuſmodi doloribus contulerit, qui iiſdem doloribus non tenebantur.

Sed hæc ſcribens Anguſtinus, abſit, ut negarit, aut etiam dubitarit, ſinum Abrahæ fuiſſe in inferis. Non enim is ego ſum, qui opus mihi eſſe Henrici S. R. E. Cardinalis Noriſii animadverſione putem in IV.[1] Vindiciarum Auguſtinianarum capite ajentis: *Sanctum Patrem de aliquo dubitaſſe*, QUOD MODO EXTRA DUBIUM PONITUR, NECESSARIO DICENDUN ESSE. Fuerit hæc aliis, quod ad rem noſtram attinet,

 pro-

1 §. III. *p. 61. edit. Patav. an.* 1709.

probata animadverſio [1]; mihi quidem certe, qui tantum Auguſtino ſemper tribui auctoritatis, quantum vix ulli Sanctorum Doctorum tributum ſit, probabitur omnino numquam. Non enim dubitaſſe hac de re Auguſtinum video, ut ne de *præſentia* quidem *Chriſti reali in Euchariſtia* dubitavit. Sed quemadmodum in Epiſtola ad Bonifacium, cujus paulo ante *in not. pag.* 745. meminimus, atque aliquot in libris ſuis minus diſtincte de Euchariſtia loquutus eſt, propterea quod ex inſtituto aliud quæreret; ita de ſinu Abrahæ, deque ereptis ex inferis omnibus ne, an aliquibus, qui *digni eſſent*, obiter diſputans, mirum non eſt, ſi quæſierit multa, nihil fere diſtincte ſtatuerit, etſi de ſententiis communibus orthodoxorum, quæ iiſdem de rebus eſſent, minime ambigendum ſciret. Sed hæc, quamquam de re certiſſima eſt, fuerit tamen nobis tamquam levis armaturæ, prima orationis excurſio. Nunc cominus agamus, experiamurque, ſi poſſimus cornua commovere diſputationis tuæ.

Attende igitur ad ea, quæ Auguſtinus Enarratione in Pſ. LXXXV. populum Chriſtianum docens conſtituit. Anim-

1 Confer Couſtantium Monachum Benedictinum Congregationis s. Mauri *in Adnot. ad s. Hilarii Tractat. in Pſalmum* LVIII. *not.* c. *pag.* 115. *Edit. opp. Hilarii Veneta an.* 1749. quo ille loco Auguſtinum male ab ſe intellectum oppugnat: Leonardum Coquæum Auguſtinianum *in not. ad lib.* XX. *de Civ. Dei cap.* XV. *not* c. *p.* 761. *tom.* V. *opp. Auguſtini edit. Lugdun. an.* 166. qui, *videtur*, inquit, Auguſtinus *hic retractare, quæ aſſeverat epiſt.* LVII. & XCIX. Vide præterea quæ ex eodem Coquæo adduximus ſupra *p.* 739. *not.* 1. Sic autem is ſtatuit: nihil impedire eam Auguſtini dubitationem, quin credamus, articulo Symboli V. contineri dogma de S. Patribus ereptis ex inferis, auctiſque beatitate deſcenſu Chriſti. Petrus Daniel Huetius in notis ad *tom.* VI. *Origenis in Joannem p.* 135. *not. a. Tom.* IV. *opp. Orig. edit. Pariſ. an.* 1759. „ Multum, *inquit*, his æſtuat Auguſtinus: duplicem ſiquidem infernum inferiorem, & „ ſuperiorem ſtatuit; animas autem diem judicii expectantes ſecretis iis latibu- „ lis contineri, & piorum quidem in ſuperiore loco, impiorum in inferiore: qui- „ bus vix ſtare poteſt... Sed hæ fluctuationes, Eccleſiæ Catholicæ definitioni- „ bus ſopitæ demum, ac compoſitæ ſunt; A QUA QUI DISSENTIUNT, MI- „ RIS EXPOSITIONIBUS DESCENSUS CHRISTI AD INFEROS GRATIAM „ HODIEQUE ELEVANT „. Hic homo Auguſtini libros legiſſe quidem videtur, expendiſſe autem non item. Quare S. Patris doctrinam turbat, ſecus certe atque eam turbet, confundatque Cadonicus; at turbat tamen. Ex loco autem Auguſtini, quem mox adducam, quam & Huetius, & cum Huetio non comparandus Cadonicus lapſi graviter fuerint, quiſque intelliget.

Animadverte autem etiam atque etiam, num inferna duo diſtinguat, & accurate, enucleate, aperte, nihil ut deſiderari ſupra poſſit, in inferis ponat ſinum illum Abrahæ, quem tu paulo ante negabas, conſtitutum ab eo fuiſſe in inferis. „ Nondum, *inquit*, Dominus venerat ad infer-„ num, ut erueret inde OMNIUM SANCTORUM „ PRÆCEDENTIUM ANIMAS, ET TAMEN ABRA-„ HAM IN REQUIE IBI ERAT. Et quidam dives „ cum torqueretur apud inferos, cum videret Abraham, „ levavit oculos. Non eum poſſet levatis oculis videre, „ niſi ille eſſet ſuperius, ille inferius „. Quid his clarius poteſt quiſquam expetere?

At Cadonicum neſcio quid conturbat, quo minus id ipſi clarum videatur. Quid illud eſt? *Requiem*, inquit, cujus meminit Auguſtinus, ab iis *diſſimulari*, qui hoc ejus utuntur loco. Sit ita plane. Sed ego *non diſſimulavi*. Verum non video, quid inde poſſit exculpere. Requietis namque, ac tranquillitatis, qua in Sinu Abrahæ ante Chriſtum Sancti Vet. Teſtamenti fruebantur, meminit item Gregorius Magnus, ſed meminit etiam *tædii*, quo ſane gravi afficiebantur, quia *ſpeciem non videbant Creatoris*. Quod ſi requies, atque tranquillitas tam pugnans viſa Gregorio non eſt, ut componi cum tædio illo tam gravi nequiverit; cur non etiam haud pugnans videri potuit Auguſtino? Sed Cadonicus, quod ipſi ineſt, id aliis tribuit vitium. Nam qui Gregorii locum *diſſimulavit*, alios *diſſimulati* in Auguſtini loco vocabuli *requietis* accuſat crimine.

At locum integrum Auguſtini deſcribendum cenſet. Æquum poſtulat: deſcribatur [1]. Quid inde? Nihil, inquit,

1 Totum hunc Auguſtini deſcribam locum, atque ita quidem deſcribam, ut vult Cadonicus. Una re tamen ab Cadonico ipſo differam. Alicubi codices ms. lectionemque eam conſectabor, quam Maurini adoptarunt ſibi, quamque Cadonicus, etſi nihil, ut videri cupit, diſſimulans, tacitus præterit. Ergo S. P. „quod dicimus, *inquit*, „ hoc ſi non vobis tamquam certus expoſuero, ne ſuccenſeatis. Homo ſum enim, „ & quantum conceditur, de Scripturis ſanctis, tantum audeo dicere, nihil ex me ... „ Ve-

quit, hic definiſſe S. Auguſtinum. Is ne, qui tam clare teſtatur, Davidis tempore *nondum Chriſtum deſcendiſſe* ad infe-

,, VERUM QUIA DICIT SCRIPTURA, CUI CONTRADICI NON POTEST,
» *eruiſti animam meam ex inferno inferiore*, intelligimus tamquam duo inferna
» eſſe, ſuperius & inferius ,,. Viden, ut duplices ex Scriptura inferos intelligi,
populum Auguſtinus doceat. Pergit porro. » Nam unde infernum inferius, niſi
,, quia eſt infernum ſuperius? Aliud porro non diceretur infernum, niſi in com-
» paratione illius ſuperioris partis ,,. Dubitantis ne hæc ſunt, nihilque definien-
tis; an, ut quiſque perſpicit, Scripturæ verbis populum, quid intelligere queat, do-
centis? Conſideremus reliqua. ,, Videtur ergo, fratres, eſſe habitatio quædam cæ-
,, leſtis Angelorum ,,. Age Cadonice. Dicito, dubitaſſe Auguſtinum, nihilque
definiſſe de cæleſti habitatione Angelorum. Addit mox Auguſtinus: ,, Ibi vita in-
» effabilium gaudiorum, ibi immortalitas, & incorruptio, ibi omnia ſecundum
» Dei donum, & gratiam permanentia. Illa pars rerum ſuperna eſt ,,: Quid?
hæc dubitantis ne ſunt, *nihilque definientis* Auguſtini? Hoc erit reliqui, ut Ca-
donicus dubitet, num in *habitatione Angelorum cæleſti vita ſit ineffabilium gau-
diorum* &c. Pergit S. Pater. ,, Si ergo illa ſuperna eſt, hæc terrena, ubi caro,
» & ſanguis, ubi corruptibilitas, ubi nativitas, & mortalitas, ubi deceſſio, at-
» que ſucceſſio, ubi mutabilitas, & inconſtantia, ubi timores, cupiditates, ho-
» nores, lætitiæ incertæ, ſpes fragilis, caduca ſubſtantia, puto quia omnis iſta
» pars non poteſt comparari cælo, de quo loquebar paulo ante. Si ergo illi
» parti hæc pars non comparatur, illa ſuperna eſt, hæc inferna. ,, Quid tu Cadoni-
ce, an contra putas? An dubitas? Adjungit S. Antiſtites. ,, Et poſt mortem, quo
» hinc, niſi ſit infernum inferius hoc inferno, in quo ſumus in carne, & iſta mor-
» talitate? Corpus enim mortuum eſt, ait Apoſtolus, propter peccatum. Ergo &
» hic ſunt mortui, ut non mireris, quia infernum dicitur, ſi mortuis abundat. Non
» enim ait, corpus moriturum eſt; ſed, corpus mortuum eſt. Adhuc habet vitam
» utique corpus noſtrum, & tamen comparatum corpori illi, quod futurum eſt ...
» invenitur corpus hominis mortuum quamvis adhuc habens animam ,,. Quis hæc
negare poterit? Aut quis umquam his de rebus dubitare? Inſtituram orationem
perſequens Auguſtinus: ,, ſed rurſus, *inquit*, ab hoc inferno, ideſt, ab hac parte
» inferni eſt aliud inferius, quo eunt mortui, unde voluit Deus eruere animas
» noſtras, etiam illuc mittens filium ſuum ,,. Adeſdum Cadonice, dubitaſſe de
his Auguſtinum dicito, nihilque definite fuiſſe populo loquutum. Tamen ne tanta
eſſe confidentia poteris, ut nihil determinate, nihil definite hoc loco Auguſtinum
tractaſſe pugnes? Verum audiamus cetera. » Etenim fratres, propter iſta duo
» inferna, miſſus eſt filius Dei undique liberans ,,. Quid hoc, nonne docet Augu-
ſtinus? An dubitans populum docet? Mirum profecto, ni Cadonicus dicat, *du-
bitandum* eſſe, Chriſtum *in terras*, atque *in inferos miſſum undique liberantem*, ac ſi
Auguſtinus hæc populum docens, nihil definierit. » Ad hoc infernum miſſus eſt
» naſcendo ,,. Audis Cadonice? Docet ne Auguſtinus, affirmatque, natum fuiſ-
ſe in terris Chriſtum, an dubitat? » Ad illud moriendo »: Euge Cadonice. Du-
bita, deſcendiſſe ad inferos Chriſtum. Nam hic Auguſtinus, tuo quidem ju-
dicio, nihil definit. ,, Propterea vox ejus (*Chriſti*) eſt in illo pſalmo, non
» quoquam homine conjiciente, ſed Apoſtolo exponente, ubi ait: *quoniam non
» derelinques animam meam in inferno* ,,. Fac Auguſtine, quod libet: enite-
re, ac labora, quantum potes, ſcripturarum auctoritate efficere, deſcendiſſe
Chriſtum ad inferos: teſtare, id te certo ſtatuere; nihil ages, niſi fruſtra.
Quamobrem autem? Quia Cadonicus, *nihil te definiſſe* pugnabit. *Magis
enim* te, *ſemper* dicet, *expoſuiſſe videri, quæ circa illius pſalmi locum poſſent in-
telligi, quam quid* tu *amplius probes*. Quare perge, ſi voles, verumtamen, ut
dixi, nihil ages: ,, Ergo aut (Chriſti) vox & hic: eruiſti animam meam ex in-
» ferno inferiore, aut noſtra vox per ipſum Chriſtum Dominum noſtrum ,,. Vi-
deo te, Auguſtine, ſtatuere, horum alterutrum concedi oportere; ſed cave tibi ab
defen-

inferos, ut inde *omnium* Sanctorum præcedentium Patrum animas *erueret, & tamen Abraham ibi fuiſse*; nihil

defenſote novo tuo. Nam perſtabit dicere, non fuiſſe quidquam abs te conſtitutum. „ Quia ideo ille pervenit uſque ad infernum, ne nos remaneremus in in» ferno „. Heus tu Cadonice, ne id quidem, cenſes, fuiſſe certo conſtitutum ab Auguſtino? Verum verſa te quo tandem cumque tibi placuerit, hoc tamen ab Lectoribus tuis, quibus ſanum ſit ſinciput, extorquebis numquam, ut nihil in explicatione hac priore *verſus* 12. *Pſ.* LXXXV. ſtatutum ab Auguſtino fuiſſe fateantur. Priore, dixi; nam de ejus verſiculi ſenſu opiniones affert duas, unam aliquorum de quibuſdam fidei dogmatibus, alteram aliorum de aliis capitibus doctrinæ Chriſtianæ eumdem verſum intelligendum eſſe ajentium. Utrorumque autem de verſus intelligentia opinio diſpar erat; de dogmatum autem in ſe ipſis veritate, ac certitudine concors erat ſententia, opinio contra diſpar non erat. Ac de priorum quidem interpretatione vidimus. Etſi vero eſſe unus aliquis poteſt, qui impune neget, verſum illum intelligi de terra, quæ infernus dici compatatione patriæ Angelorum cæleſtis queat, & infernus ſuperior comparatione inferni damnatorum &c., quotus tamen quiſque eſſe poterit, qui ab opinione falſa, aut ab hæreſi intactus inficietur: *in cæleſti habitatione Angelorum vitam ineffabilium gaudiorum eſſe*, ibique *eſſe immortalitatem, & incorruptionem, omniaque ſecundum Dei donum & gratiam permanentia; in terris autem eſſe carnem, & ſanguinem, corruptibilitatem, nativitatem, mortalitatem, timores, cupiditates, horrores, lætitias incertas, ſpes fragiles, caducas ſubſtantias, peccatum*, & per *peccatum mortem*; ex inferno denique *voluiſſe Deum eruere animas noſtras*, atque illuc *etiam miſiſſe filium ſuum*, eumque filium *in terras, & in inferna miſſum fuiſſe undique liberantem, in terram naſcendo, in infernum moriendo, propterea que vocem filii eſſe in pſalmo*: quoniam non derelinques animam meam in inferno*: ideoque Filium ipſum perveniſse ad infernum, ne nos remaneremus in inferno?* Itaque ſi quid opinionis eſſe potuit, ea non in dogmate, cui aptari verſiculus ille ab aliquibus conſueverat; ſed in aptando verſiculo ei dogmati eſſe potuit. Quare Auguſtinus dum oſtendit, qui locus Scripturæ quibus dogmaribus a quibuſdam aptetur, dogmata etiam ipſa fidei populum docet. Alioqui ſi regulæ Cadonicianæ inſiſtamus, nihil fere erit dogmatis, quod credendum chriſtiano ſit, propterea quod vix perpauca ſint ſcripturarum loca, de quorum ſenſu non ſint variæ Patrum, Scriptorumque ceterorum Eccleſiaſticorum opiniones, ſeu interpretationes. Sed ut dixi, de priore ab Auguſtino propoſita opinione, ſeu interpretatione ſenſus verſiculi 12. pſami LXXXV. jam vidimus. Videamus de alia.

» Aliam, *inquit s. Antiſtes*, etiam opinionem dicam. Fortaſſis enim apud » ipſos inferos eſt aliqua pars inferior, quo truduntur iniqui, qui plurimum » peccaverunt „. Quid tu Cadonice? An ex Auguſtini ſententia trudi *impios, qui plurimum peccaverunt, in inferos* negabis, quia Auguſtinus hic *τὸ fortaſſis* adhibuit? Nam ſi ex ſententia Auguſtini in inferis negas fuiſſe ſanctos, quorum hic Auguſtinus non meminit, propterea quod *τὸ fortaſſis* Auguſtinus idem uſurparit; cur non item, ob rationem eamdem, negabis eſſe eos, qui *plurimum peccaverunt*, in inferis? Nam de his, qui plurimum peccaverunt, Auguſtinus *τὸ fortaſſis* adhibens loquitur. Ecquis autem tam eſſe injurius Auguſtino poteſt, ut neget, certo eum credidiſſe, in inferis eſſe non ſolum *illos, qui plurimum peccaverunt*, ſed etiam eos, qui ob levia peccata, vel ob reatum pendendæ temporariæ pœnæ purgatoriis ſuppliciis excruciantur? Addit mox Auguſtinus: „ Etenim apud inferos utrum in » locis quibuſdam non fuiſſet Abraham, non ſatis poſſumus definire „. Quid eſt hoc *etenim*? Quid eſt in antecedentibus verbis, ſi tuam Cadonice interpretationem ſequamur, quamobrem Auguſtinus uſus hoc *etenim* fuerit? Sic enim tu locum hunc Auguſtini interpretare. *Quaſi diceret*, inquis: *nonnulli etiam hoc opinantur, quod Chriſtus pro Abraham, atque pro iis, qui cum eo erant, deſcenderit in infernum. Quid vero iis tribuere potuiſset, niſi requiem, quam ipſum inferni no-*

nihil definit? Sed inſtat Cadonicus, ac *magis*, inquit, *videtur* Auguſtinus *expoſuiſſe*, quæ circa *illius pſalmi* *locum*

ni nomen excludit? At etiam priuſquam deſcenderet Dominus, animæ illæ juſtæ requie fruebantur. Videtur ergo, nihil ipſis in ſuo deſcenſu tributum, per quod earum jam felix immutaretur ſtatus. Somnia! Ubinam *nonnullorum*, qui hæc dicerent, Auguſtinus meminit? Ubinam indicat, hujus verſus pſalmi cauſſa eam doctrinam fuiſſe excogitatam? Ubinam, inferni ratione, Sanctos in inferis aliunde nihil requietis habuiſſe, affirmat? Ubinam immutatum negat eorum ſtatum? Annon in *requie* ibi Abrahamum fuiſſe ſtatuit; & tamen eum, ſanctoſque ceteros ex inferis fuiſſe erutos palam teſtatur? Iſtane interpretandi ratio eſt: Auguſtino, quæ neque dicit, neque ſuſpicatus eſt, tribuere; pervertere contra, quæ manifeſte ſcripſit, involvere, negare denique? Quoſnam vero tu *nonnullos* fingis, qui in *requie* non fuiſſe ſanctos illos contenderent, quos ſanctos in inferis ante Chriſti deſcenſum conſtitutos eredebant? Unum indicato, ſi potes. At indicare poteris neminem. Tædio illos, triſtitia, dolore, ſi vis etiam, affectos ob dilationem gloriæ; at ob ſpem ſeu potius certam veritatem conſequendæ ejuſdem gloriæ in lætitia eos, atque in requie fuiſſe & eredunt omnes, & vero etiam eredebant. Confer quæ ſcripſimus *p. 246. ſeq.* hujus operis. Quid? igitur fingenti tibi, atque nonnullis illis, quæ ne cogitarunt quidem, adſcribenti; ſomnianti item, id in verbis Auguſtini te reperiſſe, cujus ne vola quidem, aut veſtigium in verbis Auguſtini ſit; ajenti præterea, quod Auguſtinus non ait; quodque Auguſtinus aperte ait, confidenter neganti; tibi, inquam, iſta figenti, turbanti, miſeenti fidem ne a quoquam adjungi confidis poſſe? Mitte Cadoniee iſta fingere, quæ tam longe ab Auguſtini ſententia, menteque diſtant. Ad rem veni. Explica ita Auguſtini verba, ut ſenſus eorum, ſerieſque poſtulat. Oſtende, quæ eorum vis, quæ colligatio, qui nexus ſit non contrarius tibi; illudque etiam caveto, ne quid iis componendo, fingendoque addas; ne quid detrahas contra atque per ſe ipſa ferant. Id ſi feceris, victus ſum. Eloquere quo demum modo *τὸ fortaſſis* ab Auguſtino ſumtum fuerit, quo *τὸ etenim*, quo *τὸ nondum enim Dominus ad infernum venerat*. Hæc ſimul componito, utque ſint copulata demonſtrato, deincepſque *ſic* aptato ſententiæ tuæ, nihil ut oriatur inde in S. Patris oratione abſurdi. Equidem tibi confirmo, ſi quid finxeris, compoſueris, adhibueris diſſimulationis, atque anfranctus, ut Auguſtinum ad te pertrahas, id totum non modo infernum quemlibet ſublaturum, ſed etiam tale futurum, nihil ut relinquat non confuſi, non inepti, non ridiculi in ejus Doctoris oratione; quo tamen vi, nitore, ordine, perſpicuitateque dicendi neminem, ut ipſe quoque fateris, neminem, inquam, conſtat fuiſſe præſtantiorem. Sed via hujus Auguſtiniani loci ita ad tuam ſententiam accommodate explicandi, quin abſurda appareat S. Doctoris oratio, via, inquam, ejuſmodi reperta abs te nulla eſt. Nam ſi quam reperiſſes, verba expediſſes omnia, eaque ut aptata opinioni tuæ cohærere queant, conatus fuiſſes oſtendere. Cum autem nihil tale feceris, ſed tuo arbitratu quædam ſic finxeris, ut eorumdem Auguſtini verborum ne rationem quidem ullam habuiſſe videare; ſi honos, ſi auctoritas Auguſtini, ſi ipſa tibi veritas cordi eſt; deſine circuitione uti, atque aliquando candide confitere, tuam iſtam, Bucero, Lutheranis, Calvinianis probatam, hoc tam illuſtri Auguſtini loco labefactati, evertique opinionem.

Vide nunc, ut communi ſententiæ aptata conſtent ſibi, interque ſe Auguſtini verba cohæreant. Hoc tamen primum animadvertas volo: fuiſſe aliquos, qui etſi in inferis Sanctos Veteris Teſtamenti conſtituerent, unum tamen infernum ſolum ponendum arbitrarentur. In his fuit vetus Auctor Breviarii in Pſalmos, quod Breviarium Hieronymo a quibuſdam tribuitur. Nam is Pſalmi LXXXV. verſum explicans *eripuiſti animam meam ex inferno inferiori*. „ Non quod duo inferna ſiut „ inquit &c. *Tom.* II. *opp. Hieronymi edition. Pariſien. ann.* 1699. *pag.* 346. Vetus item auctor *libelli de Animabus ex corporibus egreſſis, utrum deducantur ad gloriam*, *Cod. Caſanat. MS. Membr.* IX. *ſeculi D.* IV. 30. quo quidem ex libello

locum poſſent intelligi, *quam patefeciſſe*, *quid ipſe amplius probaret*. Hæc ille. Addit deinceps: „ Quaſi diceret, *Au-*

cccc c „*guſti-*

libello multa deſcripſimus ſupra *p.* 527. iiſdem in inferis fuiſſe ait *juſtos*, *& reprobos*, *potuiſſeque fieri*, *ut ſic inter hos*, *& illos ſola merita dividerent*, *ſicut inter Regis Babylonis miniſtros*, *& Danielis ſocios juſtitia ſola diſtinxit*; *nam una eademque fornacis flamma & illos conſumſit*, *& iſtos ſervavit*: *ſic denique aqua maris rubri & Iſraelitis ad manna veſcendum iter præbuit*, *& Ægyptiis ad mortis ſupplicium foveam miniſtravit*. *Hæc itaque magna dicimus cum auctoritate*, *loca fuiſſe pœnalia*, *quæ Chriſtus propter ſuorum ereptionem per ſemetipſum judicavit eſſe luſtranda &c.* Erat igitur opinio aliquorum, iiſdem in inferis fuiſſe ſanctos, & reprobos, ita tamen ut reprobi flammis exurerentur; Sancti vero non modo non torquerentur flamma, ſed etiam in requie, & refrigerio quodam eſſent.

Jam vero Auguſtinus non dubitabat, quin ſit infernus, in quo ſint ii, qui plurimum peccaverunt. Sancti Doctoris illuſtrem locum deſcribit Eugippius Abbas *Cap.* xcix. *Theſaurorum pag.* 63. *edit. Baſileen. an.* 1543. *Quoniam iſtos viventes dictum eſt ad inferos deſcendiſse*, *& ipſa narratione*, *quid factum fuerit*, *ſatis apparet*: MANIFESTUM *eſt*, *ut dixi*, *inferiores partes terræ inferorum vocabulo nuncupatas in comparatione hujus ſuperioris terræ*, *in cujus facie vivitur &c.* Vide Auguſtinum *lib.* iv. *Quæſtionum in Numeros*. *Quæſtione* xxix. *pag.* 403. *to.* iiI. *opp. par.* 1. *edit. Antuerp. an.* 1700. Non ergo τὸ *fortaſſis*, quod in Expoſitione *Pſalmi* lxxxv. Auguſtinus adhibet, de *inferno* intelligendum eſt, quaſi dubitari queat, ſint ne in inferno ii, qui plurimum peccaverunt. Alioqui res eadem, Auguſtino auctore, & MANIFESTA, ut vidimus, eſſet, & DUBIA, quod pugnans eſt. Quid illud eſt igitur, in quod τὸ *fortaſſis* cadit? Nempe cum aliqui eſſent, qui nonniſi infernum unum eſſe dicerent, horum opinionem etſi Auguſtinus non probaret (confer *lib. de Octo Dulcit. Quæſt. qu.* vi. *p.* 99. *tom.* vi. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.) non tamen id tunc ſibi ſumendum putabat, ut eam condemnandam diceret. Itaque cum controverſiam ea de re dirimere noluiſſet, *fortaſſis inferna* duo eſſe dixit. Quare τὸ *fortaſſis* non eo recidit, ut ſit *ne infernum*, an non *ſit*, dubitetur; ſed eo, ut certo tunc definire noluerit, UNUM ne *ſit*, an DUO INFERNA, in quorum quidem INFERIORE *reprobi torqueantur*; *in ſuperiore* autem juſti fuerint, non vero in *inferiore cum reprobis*: uno verbo ut non de *inferno* dubum ſit, ſed de *dualitate*, ut ita dicam, *infernorum*. Hinc illud facile intelligitur, quod priore loco ait Auguſtinus: FORTASSIS *enim apud inferos eſt aliqua pars* INFERIOR, quo *truduntur impii*, *qui plurimum peccaverunt*. Atque ita quidem rem intellexit Gregorio Magno ſuppar Julianus Toletanus *lib.* iI. *Prognoſticorum cap.*iv. *pag.* 597. *tom.* xiI. *Bibl. edit. Lugd. an.* 1677. „ Item aliam opi-
„ nionem idem Doctor Sanctiſſimus (Auguſtinus) ponit, dicens, quod apud ip-
„ ſos inferos ſit ALIQUA PARS INFERIOR, ubi dives ille immaniter torqueba-
„ tur, & aliqua PARS SUPERIORIS INFERNI, IN QUO ABRAHAM CUM
„ LAZARO lætabatur, ubi etiam omnes Sancti ante adventum Chriſti habiti
„ ſunt. Sic prædictus Doctor ait: *fortaſſis apud inferos eſt aliqua pars inferior*, *quo*
„ *truduntur impii*, *qui plurimum peccaverunt* „. Reſtat, ut quid mox Auguſtinus addat, conſideremus. *Etenim*, inquit, *apud inferos*, *utrum in locis quibuſdam* (nempe ſuperioribus ne, an inferioribus; de hac enim re diſputat) *non fuiſſet Abraham*, *non ſatis poſſumus definire*. Eo, quo dixi, pacto propoſita de damnatorum *inferiore* inferno ſententia: *ſimiliter etiam* non ſatis poſſe ab ſe definiri, ait, in *ſuperioribus* ne locis inferni quibuſdam, an in inferioribus *non fuerit*, ut Maurini legunt; vel ut ipſe vis, *jam fuerit* Abraham. Nam τὸ *Etenim* idem ſæpe atque τὸ *ſimiliter etiam* ſonat, ut Robert. Steph. animadvertit in *Theſ. l.l. ad v. Etenim*. Quod ſi ſecus illud accipere velis, nulla erit colligatio, nulla ſeries, nulluſque Auguſtini verborum nexus. Pergit Auguſtinus: *Nondum enim Dominus venerat ad infernum*, *ut erueret inde omnium Sanctor. præcedentium animas*, *& tamen Abraham in requie ibi erat*. Jungito, ſi potis es, quæ nunc deſcripſi, cum ſuperioribus periodis Auguſtini. Quæ

enim

„ *guſtinus*, nonnulli etiam hoc opinantur, quod Chri-
„ ſtus pro Abraham, atque pro iis, qui cum eo erant,
„ deſcen-

enim colligatio inter hæc verba eſt, ſi tuo ſenſu accipiantur? *non ſatis poſſumus definire*, utrum in locis quibuſdam apud inferos jam fuiſſet Abraham; *nondum enim Dominus ad inferna deſcenderat*. An rationem, cur non poſſimus definire, eam dices eſſe, quod nondum Chriſtus ad inferna deſcendiſſet? Quid hoc fingi poteſt abſurdius? Contra animadverte, ut omnia colligate, ordineque ſcripta ab Auguſtino fuerint, ſi communem ſententiam ſequare. Eſt enim hæc ejus verborum vera ſignificatio: *Fortaſſis eſt apud inferos aliqua pars ſuperior, & aliqua pars inferior, quo* (nempe in inferiorem) *truduntur* (non traduntur, ut ipſe ſcribis) *impii, qui plurimum peccaverunt*. Similiter etiam (huc enim recidit *τὸ etenim* uſurpatum a S. Doctore) *utrum in locis quibuſdam* (ſuperioribus ne, an inferioribus) *non fuiſſet Abraham, non ſatis poſſumus definire*. (Quamvis autem nequeamus definire, in *inferiore* ne, an in *ſuperiore* inferno fuerit) *tamen Abraham in requie ibi* (hoc eſt in inferis) *erat*. Cur autem erat in inferis? *Nondum enim venerat Chriſtus ad infernum, ut erueret inde* OMNIUM SANCTORUM PRÆCEDENTIUM ANIMAS. Viden' ut omnia cohæreant? Attende nunc, quam, quæ poſt addit Auguſtinus, copulata ſint, quam clara, recteque compoſita, nihil ut appareat repugnantis, nihil involuti, nihil abſurdi. » Et quidam dives, cum torqueretur apud
„ inferos, cum videret Abraham, levavit oculos. Non enim poſſet levatis oculis
„ videre, niſi ille eſſet SUPERIUS, ille INFERIUS. Et quid reſpondit Abra-
„ ham cum diceret: pater Abraham mitte Lazarum, ut intingat digitum ſuum,
„ & ſtillet in linguam meam, quoniam crucior in hac flamma? Fili, ait, me-
„ mento, quia recepiſti bona in vita tua, Lazarus autem mala: nunc autem
„ hic requieſcit, tu vero torqueris: & ſuper hæc, ait, inter nos, & vos ma-
„ gnum chaos firmatum eſt, ut nec nos poſſimus venire ad vos, nec inde ali-
„ quis venire ad nos. Ergo inter iſta DUO FORTASSE INFERNA, quorum
„ in uno quieverunt animæ Juſtorum, in altero torquentur animæ impio-
„ rum, attendens quidam orans hic, jam hic in corpore Chriſti poſitus, & orans
„ in voce Chriſti, eruiſſe Deum animam ſuam ab inferno inferiore dixit, quia
„ liberavit ſe a talibus peccatis, per quæ poſſet deduci ad tormenta inferni infe-
„ rioris. Quemadmodum ſi medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte
„ ex aliquo labore, & dicat prece tibi, ſic te tracta, requieſce, his cibis utere;
„ nam ſi non feceris, ægrotabis; tu autem ſi feceris, & ſalvus fueris, recte dicis
„ medico, liberaſti me ab ægritudine, non in qua jam eras, ſed in qua futurus
„ eras. Neſcio quis habens cauſſam moleſtam mittendus erat in carcerem: ve-
„ nit alius, defendit eum: gratias agens, quid dicit? Eruiſti animam meam
„ de carcere. Suſpendendus erat debitor, ſolutum eſt pro eo, liberatus dicitur
„ de ſuſpendio. In his omnibus non erant, ſed quia talibus meritis agebantur,
„ ut, niſi ſubventum eſſet, ibi eſſent; inde ſe recte dicunt liberari, quo per libe-
„ ratores ſuos non ſunt permiſſi perduci. Ergo fratres ſive illud, ſive illud ſit,
„ hic me ſcrutatorem verbi Dei, non temerarium affirmatorem teneatis ».

Ex hactenus prolatis Auguſtini verbis, hæc quiſque perſpicere plane poteſt. 1. Opiniones eſſe duas de intelligentia *verſiculi* 11. *Pſalmi* LXXXV. num uni doctrinæ Eccleſiæ orthodoxæ, an alteri aptius accommodetur. 2. De inferis quod ſint, non dubitare Auguſtinum; ſed etſi inferorum unum eſſe ſuperiorem, alterum inferiorem cenſeat, tamen non ſatis id definire ſe poſſe dicere. 3. Abrahamum tamen, ceteroſque Sanctos Veteris Teſtamenti in inferno fuiſſe ante Chriſti mortem. 4. Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, indeque Sanctos omnes, qui ante ſe fuerant, liberaſſe. De his autem poſtremis duabus aſſertionibus nihil hæſitans Auguſtinus ſtatuit. Nam cum de verſiculi intelligentia, num de dogmate uno, aut de altero aptius accipi poſſet, rem eſſe opinionis affirmaſſet; & de *duobus infernis* diſſerens *τὸ fortaſſe* adhibuiſſet; deque Abrahamo an in ſuperioribus, vel in inferioribus potius inferni locis fuiſſet, non ſatis tunc definire ſe poſſe monuiſſet; tum poſtre-

„ deſcendit in infernum . Quid vero iiſdem tribuere
„ potuiſſet , niſi requiem , quam ipſum inferni no-

CCCCC2 „ men

poſtremo ſatis affirmate ſcripſit, *& tamen Abraham in requie ibi erat*; rationemque (nulla uſus aut conditione, aut circuitione, aut hæſitatione) reddens: *nondum enim* Chriſtus *venerat ad infernum*, inquit, *ut erueret inde omnium Sanctorum præcedentium animas*. Ecquid enim in his non affirmate ſtatuentis eſt? Ecquid hæſitantis? Nihil omnino. Quod ſi eſſet, ut de duobus infernis, deque verſiculi illius 13. ſenſu paulo ante agens τῷ *fortaſſis*, & τῷ *non ſatis definire poſſumus*, & τῷ *aliam opinionem* uſus fuerat; ita etiam uſus fuiſſet, ſi rem certam non eſſe putaſſet, τῷ *nondum enim Dominus ad inferna deſcenderat*, & non tam libere, aperteque affirmaſſet τὸ *& tamen Abraham ibi erat*. Manet igitur, certum Auguſtino fuiſſe, in inferis ante Chriſti mortem fuiſſe Abrahamum, ſanctoſque ceteros, hoſque eguiſſe liberatore Chriſto, qui morte ipſos, deſcenſuque ſuo inde erueret.

At Cadonicus grandioribus litteris deſcribit τὸ in REQUIE IBI ERAT. Cur? Quia ſi in REQUIE Abraham erat, non erat in inferis. Ita ne vero? Annon item Gregorius M. *in tranquillitatis ſinu*, *& in requie ſanctos fuiſſe* ait, idemque addit, eos fuiſſe in inferis, tædioque etiam fuiſſe affectos? Vide *hujus Operis p. 532. ſeq. in not. & p. 740. ſeq. in not.* An quod dicere Gregorio licuit, id non licuit Auguſtino? Aut eadem verba apud Auguſtinum uno ſenſu uſurpanda ſunt, alio apud Gregorium, ut ne quid Cadoniciano dogmati detrahatur? Sed nimis diu hoc ſaxum volvimus.

Jam Auguſtinus, etſi, nolens de duobus infernis definire, *fortaſſe* unum ſuperiorem, alterum inferiorem eſſe dixerit, ejus tamen diſtinctionis tuendæ cauſſa graviſſimis argumentis eſt uſus; Patreſque, qui poſt ipſum floruerunt, tam eſſe eamdem diſtinctionem certam judicarunt, ut credendam eſſe ſtatuerent. Qua de re vide Gregorii Magni teſtimonia *pag. hujus Operis 532. ſeq. 740. ſeq. in not.* Caſſiodorus *in Pſ.* LXXXV. *p.* 292. *tom.* II. *opp. edit. Aurelian. an.* 1679. » Infernum, *inquit*, » habere INFERIOREM PARTEM Evangelii locus ille teſtatur, qui dicit, cum » impium divitem ultrix flamma torqueret, levaſſe oculos ſuos, & in ſinu Abrahæ vidiſſe Lazarum. Unde apparet, utroſque apud INFEROS FUISSE, ut ſe » videre valuiſſent, & illum ex INFERIORE loco ad SUPERIORA oculos elevaſſe. Sed licet utrique apud inferos eſſe viderentur, pro meritorum tamen di» ſcretione ſuperiorem locum Sanctis, inferiorem peccatoribus DOCTOR AU» GUSTINUS ÆSTIMAT ESSE DEPUTANDUM ». Ita doctiſſimi viri jam uſque a ſexto ſeculo Auguſtini locum eſſe intelligendum præſcribebant. Cadonicus tamen nunc demum ortus, illuſtres virtute, dignitate, peritia rerum, atque doctrina homines, qui etiam Auguſtini ætatem proxime attigiſſent, quaſi nihil vidiſſent, reſpuens; ſibique tantum tribuens, quantum omnium ſuperioris ætatis Scriptorum, Antiſtitumque Eccleſiaſticorum omnino nemini, longe aliter Sanctum Doctorem ſenſiſſe ſtatuit, atque ſic aliter ſenſiſſe, ut Lutheranis novis, Calvinianiſque præiverit, everteritque communem omnium Chriſti Eccleſiarum ſententiam.

Extremum eſt, ut moneam, injuria Cadonicum agere, qui Auguſtinum exhibeat, quaſi illudere populo voluiſſet, Scripturarumque ſacroſancta loca iis rebus publice in Eccleſia docens aptaſſet, quas ipſe rejiceret, ut quas aut falſas, aut minus eſſe probabiles judicaret; omitteret autem aptare iis, quas aut veras crederet eſſe, aut ſaltem multo ſimiliores veri. Nam Epiſcopo, & Doctori in Eccleſia populum docenti ecquid eſſe poteſt injurioſius, quam notari, quaſi res inutiles, minus probabiles, vanas conſectetur, iiſque divinorum eloquiorum ſententias accommodet; neque moneat ſaltem Chriſtianam, quam inſtituere debet, plebem, res ejuſmodi tales eſſe, quales ab ipſo exiſtimentur; neque contrarias afferat, quas eſſe arbitretur veras; neque qua ratione veris iiſdem, quas cenſet, rebus verba Scripturæ accommodentur, demonſtret; immo dicat, in generibus illis duobus interpretationis, quæ protulit, ſive illud, ſive illud ſit, *ſcrutatorem ſe verbi Dei, non temerarium affirmatorem teneri* velle?

„ men excludit? At etiam priuſquam deſcenderet Domi-
„ nus, animæ illæ juſtæ requie fruebantur. Videtur er-
„ go nihil ipſis in ſuo deſcenſu tributum, per quod ea-
„ rum jam felix immutaretur ſtatus [1] „. Quid iſtuc eſt, *quaſi diceret*? An quidquam eſt in tota interpretatione Auguſtini iſtorum, quæ Cadonicus commentus eſt, ſimile? Quoſnam enim, aut ubinam *nonnullos* Auguſtinus memorat, qui *ſic opinarentur*? Quæ iſta eſt veſtra fingendi licentia? Opinio, cujus Auguſtinus meminit, de verſus ſignificatione erat, hoc eſt, intelligi ne is verſus 13. pſalmi LXXXV. de capite uno doctrinæ Chriſtianæ aptius, quam de altero poſſit. Quod de Abraham in infernis ante Chriſti mortem conſtituto in *requie*; quodque de Domini ad infernum deſcenſu, ut Sanctorum, qui ante ſe fuerant, omnium animas inde erueret, S. Doctor propoſuit; non hæſitans, neque ullam adhibens conditionem, ſed affirmate, ut ejus omnis demonſtrat oratio, atque in *facie Eccleſiæ* populum docens propoſuit. Eſt id ſubjecta adnotatione oſtenſum non opinione quidem, ſed plane ad veritatem. Quare ne ſperate tergiverſatione, atque anfractu pervertere S. Doctoris verba, aut implicare vos poſſe. Aperta, manifeſta, perſpicua ſunt, nullas ut fingendo quiſquam tenebras ipſis queat offundere. Quo magis miror Cadonicum, qui propagandi veſtri novi dogmatis cauſſa, Auguſtini ſe ipſum patronum, ac vindicem eſſe, idque ſibi beneficio, afflatuque divino obtigiſſe munus gloriatur, quamvis non verbo, re tamen per injuriam efficere conari, ut inanes Doctor maximus, aut minus

velle. Quam autem doctrinam Auguſtinus populum docens attulit contrariam ei, quam expoſuerat, communi noſtræ? Quandonam plebem monuit, ne erraret, neve crederet, eam ipſam, quam ipſe expoſuerat, eſſe aut veram, aut ad veritatem propenſiorem? Numquam omnino. Nam duarum, quas attulit, interpretationum una tam non adverſatur alteri, ut utraque ſimul poſſit conſiſtere, quod quiſque eas conſiderans, plane perſpicit. Si autem prætermiſit Auguſtinus docere populum ea, quæ vera ipſe eſſe putarat, docuitque aut falſa, aut minus ſimilia veri, culpandus profecto fuit. Jam vero prætermiſit, ſi Cadonico ſtandum eſt. Culpandus ergo fuit, auctore Cadonico. Id vero dicere injurium eſt. Injurius ergo Cadonicus Auguſtino eſt.

1 Cadonicus in Opere *de D. Auguſtini, qua videtur ſententia &c.* c.XX. §.4. p. 162.

minus ſaltem probabiles opiniones populum in concione docuiſſe videatur. Nam vos *nonnullorum* eam *opinionem* interdum *non ſatis tutis fundamentis nixam apparere* [1], *ambagum eſſe ac pugnarum plenam* [2], *deſtructricem eſſe definitionis pœnæ damni &c.* [3] dicitis; inanem plerumque; quandoque ἀδιάφορον, ſed multo minus, quam ſit veſtra, probabilem, immo tam levem, ut nihil ei fere inſit [4] probabilitatis. Jam ecquis veſtrum tam eſt confidens, ut negare poſſit, ad eam ſententiam accommodaſſe verſ. 13. Pſalm. LXXXV. Auguſtinum ſacra Biblia populo interpretantem? Rebus vero, judicio veſtro, inanibus, vel quibus vix quidquam ineſſet probabilitatis, ab Sancto Doctore aptata oracula Scripturarum; reſque ipſas inanes tam aſſeveranter fuiſſe ab eo propoſitas, nullum ut datum ab eo fuerit hæſitationis indicium, nullum monitum Chriſtianæ plebi, ut ſibi caveret, utque ne putaret, eas veras eſſe, aut ad veritatem propenſiores, cogitari ne ſine ſumma ſancti Doctoris injuria cenſetis poſſe? Quid enim hoc fuiſſet, niſi plebem Chriſtianam voluiſſe fallere; vel pati, ut inanibus rebus adhiberet auctoritatem, veraſque, vel ſaltem multo probabiliores rejiceret? Quod ſi in ſententia perſtatis, oſtendite quamnam vocem uſurparit Auguſtinus, ex qua plebs, quam docebat, non dicam pernoſceret, ſed ſuſpicaretur, aliquorum eſſe, non omnium iiſdem de rebus doctrinam, eique doctrinæ contrariam opinionem eſſe veram, & ſi non omnino veram, at ſaltem veri aut ſimiliorem, aut etiam minus ſimilem? Oſtendere autem numquam poteritis. Nam duarum interpretationum, quas ei verſiculo Pſalmi adhibet, tam nulla eſt oppoſitio, ut una poſita, altera poſſit conſiſtere; quod ex utraque, quam ſubje-

1 Idem *ibid. cap.* II. *num.* 2. *pag.* 4.
2 Idem *ibid. Præf.* §. 17. *pag.* X.
3 Idem *ibid.*
4 Confer, quæ idem ſcribit *ibid.* §. XIX. *ſeqq. p.* XI. *ſeqq.* eadem in toto fere libro ſuo Cadonicus miſcet.

ſubjecta adnotatione complexi ſumus, perſpicitur. Et vos, qui iſta comminiſcamini, qui clariſſimis Auguſtini verbis noctes ſtudeatis obducere, qui eum reipſa accuſetis, quaſi res veras populum docens omiſerit, ut inanes, vel minus ſimiles veri conſectaretur, eaque ratione non institueret, ſed deciperet Chriſtianam plebem, vos, inquam, ego Auguſtini non obtrectatores, ſed vindices dici patiar? Verum de S. Doctoris Pſalmum LXXXV. populo interpretantis aperta, manifeſta, perſpicua ſententia, deque injuria a vobis eidem Sancto Doctori inlata, ſatis dictum eſt.

Alter eſt Auguſtini *in* XX. *libro de Civitate Dei cap.* XV.[1] inſignis locus, ex quo intelligitur, quid ille diſcriminis inter Sanctos in ſinu Abrahæ, ante Chriſti tempora, quieſcentes; eoſdemque beatos poſt ejuſdem Chriſti Servatoris mortem, deſcenſumque ad inferos, fuiſse crederet. „ Nec fruſtra, *inquit*, non ſatis fuit, „ ut (*Johannes in Apocalypſi*) diceret *mors*, aut *in-* „ *fernus*, ſed utrumque dictum eſt, *mors* propter bo- „ nos, qui tantummodo *mortem* perpeti potuerunt, non „ & *infernum*; *infernus* autem propter malos, qui etiam „ pœnas apud inferos pendunt. SI ENIM NON AB- „ SURDE CREDI VIDETUR, ANTIQUOS ETIAM „ SANCTOS, QUI VENTURI CHRISTI TENUE- „ RUNT FIDEM, LOCIS QUIDEM A TORMEN- „ TIS IMPIORUM REMOTISSIMIS, SED APUD IN- „ FEROS FUISSE, DONEC EOS INDE SANGUIS „ CHRISTI, ET AD EA LOCA DESCENSUS ERUE- „ RET; PROFECTO DEINCEPS BONI FIDELES EF- „ FUSO ILLO PRETIO JAM REDEMTI PRORSUS „ INFEROS NESCIUNT, donec receptis corporibus „ bona recipiant, quæ merentur „. Quid tu ad hæc, Anonyme? Ego ne? inquies. Nihil omnino. Nam erit id curæ Cadonico Cremonenſi Canonico, & civi meo. Quid

1 *Pag.* 448. *tom.* VII. *edit. Antuerp. an.* 1700.

Quid autem is ? Quid ? In xx. capite operis ſui *de D. Auguſtini, quæ videtur, ſententia* [1], Sanctum Auguſtinum, ait, in res alias incumbentem, quas ſibi propoſuerat ad explicandum, ab hac quæſtione ſeſe paucis expediſſe, ne alio digredi videretur. Jam primum hoc de quæſtione falſum eſt. Non enim hac de re quæſtionem Auguſtinus inſtituit paucis expediendam. Hoc agit ſolum: rationem affert, quamobrem affirmarit, *mortem* propter *bonos* ab Johanne dictam, *non* & *infernum*; *infernum* autem propter malos. Excipit autem *bonos*, ut erant ante Chriſtum, ac, *ſi enim non abſurde credi videtur*, inquit, *antiquos etiam Sanctos . . . apud inferos fuiſſe &c. profecto deinceps boni fideles effuſo illo pretio . . . prorſus inferos neſciunt*. Quis nunc Cadonico adjungat de Auguſtino differenti fidem, qui ne norit quidem, rationem ne Auguſtinus afferat, an inſtituat quæſtionem? Rationi vero, quæ explicandæ, confirmandæque rei cauſſa affertur, etſi non ex inſtituto affertur, quantum inſit pondus, ex Auguſtino ipſo intelliges, cujus teſtimonia deſcripſi *pag.* 216. *ſeqq. hujuſce operis*. Age vero ſi paucis Auguſtinus ab ea ſe, quam Cadonicus fingit, quæſtione expedire voluit, cur non expedivit ſeſe proponendo ſententiam, quam ipſe veram eſſe arbitrabatur, non quam inanem? Tam ne abſurdo ingenio

1 §. v. *p.* 162. » Sanctus Pater, *inquit*, iis incumbens, quæ propoſuerat explicanda, ab hac quæſtione paucis ſe expedit, ne a propoſito diverteret. Incipiens tamen: *ſi non abſurde credi videtur*, mentem ſuam minus apertam quibuſdam reddidit, qui putaverunt, verba iſta dubitationem præſeferre, quæ diligentius inſpecta potius continent Sancti Patris definitionem ab opponentium interpretatione prorſus alienam: non enim putabat poſſe abſque abſurdo credi, antiquos Sanctos ante Chriſtum in inferis fuiſſe; ſed id vix abſque abſurdo conjici poſſe innuebat, quia evangelica eloquia de Abrahamo, & Lazaro loquentia, inferos non nominant, queis tormenta competunt, a quibus remotiſſimos ibidem ſecure pronunciat Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem. Sed ſi, quod volunt, hic Auguſtini textus hæſitationem præſefert, dubitatio ipſa non ſtatum reſpicit Sanctorum, quos eadem verba ab impiorum tormentis præclare ſegregant, ſed locum, quamvis a tormentis impiorum remotiſſimum, tamen apud inferos. Nimis autem abutimur S. Auguſtini mente (*ita* eſt *Cadonice*: nimis S. Auguſtini mente abuteris) ſi a quæſtione de loco, in qua incertus eſſe poterat, definitionem ſtatus ſuæ conſtanti doctrinæ contrariam conficere nitamur. Ipſe enim credidit, & multis oſtendit, ſanctos, licet apud inferos putari poſſent abſque abſurdo; attamen in requie felici, & beata quiete etiam ibi conſediſſe ».

nio Auguſtinus, Cadonico judice, fuit, ut quæſtiones breviter expediturus, graves ſententias, ſanas, veras omitteret; leves autem, debiles, falſas conſectaretur iis etiam in libris, quos adverſus Ethnicos pro religionis Chriſtianæ veritate ſcribebat?

At ſunt, qui verba Auguſtini *dubitationem præferre* exiſtiment. Quid Cadonicus, ſiccine exiſtimat? Immo longe aliter. *Non enim*, inquit, *putabat* (Auguſtinus) *poſſe abſque abſurdo credi, antiquos Sanctos ante Chriſtum in inferis fuiſſe; ſed id vix abſque abſurdo conjici poſſe innuebat*. Qui tandem? Quibuſnam id ex Auguſtini verbis eſt aſſequutus? Nempe ex hiſce omnino: *ſi non abſurde credi videtur*. Ita ne vero? An τὸ *non abſurde credi* huc tandem revolvitur, auctore Cadonico, ut ſignificet *non poſſe abſque abſurdo credi*? Sic eſt, inquis. Homunculi quanti eſtis! Iſto ne pacto, perruptis Grammaticorum omnium legibus, Auguſtinum ut interpretemini? *Pro Deum*, ajebat Statius *in Sinephebis*:

„ Pro Deûm, popularium omnium, omnium adoleſcentium
„ Clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, atque imploro fidem:

Quamobrem? Ut adſint, cognoſcant, animadvertant, Donato ne, Priſciano, Valla etiam non iratis, dicere iſta tam abſurda poſſitis. Quid igitur? An apud Auguſtinum in quarto de Geneſi ad litteram libro ſcribentem: „ NON ABSURDE INTELLIGITUR, ſexto die completo, poſt ejus veſperam factum mane, non quo ſignificaretur initium condendæ alterius creaturæ, ſicut in ceteris, ſed quo ſignificaretur initium manendi, & quieſcendi totius, quod conditum eſt, in illius quiete, qui condidit, quæ quies Deo nec initium habet, nec terminum &c. „ τὸ *non abſurde intelligitur*, idem erit,

erit, ac *non poſſe abſque abſurdo intelligi*? Id ſi ita eſt, jam quod mox addit Auguſtinus, *probabilius* id quidem eſſe, eo ſpectabit, ut *probabilius* id putarit, *quod non poterat abſque abſurdo intelligi*. Rurſum meminiſtin', perſæpe, aſſeveranter, ac certo Auguſtinum ſtatuere, *ſpe* eſſe beatum hominem poſſe? Quod ſi non meminiſti, id ego paulo poſt efficiam, in memoriam ut revoces. Et ſane hoc etiam reſtabat, ut Auguſtinus de iis dubitaſſe diceretur, quæ ſunt ab Apoſtolo tradita (Rom. XII. 12. [1]) de *ſpe*, quæ gaudium afferat. Quum autem tam Auguſtinus aſſeveranter, certoque ſtatuat, *ſpem ſine gaudio non eſſe poſſe*; quæ cauſſa fuit, quamobrem in hoc (de cujus *c*.XV.*l*.XX.agimus) opere *de Civitate Dei* [2], animadverteret: Chriſtianum ditem non ABSURDE DICI ETIAM BEATUM POSSE SPE ILLA vitæ æternæ *potius*, QUAM RE ISTA quantorumlibet corporis, & animi externorum bonorum? Ergo ne, *non abſque abſurdo dici poſſe* Cadonicus defendet, hominem *quantiſlibet bonis externis corporis, & animi abundet, ſi horum uſum referat ad illius vitæ æternæ finem, quam diligit, quamque ſperat*, BEATUM POTIUS ESSE SPE ILLA, QUAM RE ISTA? Verum quid eſſe poteſt abſurdius, magiſque impium dictu, quam *non abſque abſurdo id poſſe dici*, quod Auguſtinus de *beato* SPE ILLA POTIUS, QUAM RE ISTA dicit? Quin etiam dum Auguſtinus idem libro I. *Retractationum* c. XIII.

1 S. Auguſtinus *Enarrat in Pſ.* CXLV. *num.* 2. *p.* 1211. *tom.* IV. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. » Suggerit, *inquit*, gaudium non DE RE, ſed de SPE . . . Hac ergo » ſpe accepta, quæ SPES NON POTEST ESSE SINE GAUDIO; QUAMVIS » IN REBUS SIMUS DIFFICILIBUS, SECUNDUM ISTAM VITAM, ET » PLENIS PROCELLARUM, ET TEMPESTATUM, HAC tamen SPE ERE» CTA ANIMA, QUIA GAUDET IN SPE, SICUT DICIT APOSTOLUS: » *ſpe gaudentes, in tribulatione patientes*, accepit erectionem quamdam in Deum, » ut laudet Deum „.

2 *Lib.* XIX. *cap.* XX. *p.* 426. *tom.* VII. *opp. edit. ejuſd.* » Quis eſt, qui illam vi» tam (*æternam*) vel beatiſſimam neget, vel in ejus comparatione iſtam, quæ » hic agitur, quantiſlibet animi, & corporis, externarumque rerum bonis plena » eſt, non miſerrimam judicet? Quam tamen quicumque ſic habet, ut ejus » uſum referat ad illius finem, QUAM DILIGIT ARDENTISSIME, AC FI» DELISSIME SPERAT, NON ABSURDE DICI ETIAM TUNC BEATUS » POTEST SPE ILLA POTIUS, QUAM RE ISTA ».

cap. XIII. [1] NON ABSURDE in parvulis originale peccatum *vocari voluntarium*, confirmat, *quia ex prima hominis mala voluntate factum eſt quodammodo voluntarium*; an *non abſque aliquo abſurdo* vocari voluntarium poſſe, confirmat? Præterea cum in libro de *Immortalitate Animæ* [2], „ de gignente, *Auguſtinus animadvertit*, NON ABSUR-„ DE dici, hoc eum eſſe, quod eſt illud, quod ab eo gi-„ gnitur „: id ne eo ſenſu, quo animadvertit, *non abſque abſurdo dici* credendum eſt „? *In Enarratione* vero *in Pſalm*. III. [3] ad illa verba: *& exaltans caput meum*: Auguſtinus, *mentem ipſam humanam ibi accipiendam* putans, *quia caput animæ* NON ABSURDE *appellatur*; an id putat, quod *non abſque aliquo abſurdo* putari poſſe videatur? Item cum ad Maximinum Epiſcopum Donatiſtam ſcribens [4]: „ Cum vel hoc ipſo officio litterarum, *inquit*, per „ caritatem tibi ſerviam, NON ABSURDE TE DOMI-„ NUM VOCO PROPTER UNUM, ET VERUM DO-„ MINUM, QUI NOBIS ISTA PRÆCEPIT „ id ne ſcribere voluit, quod *non abſque aliquo abſurdo* ſcribi poterat? Denique *l.* VI. *de Anima* [5], dum ait: „ NON igitur AB-„ SURDE credimus, *motus ſuos animam, vel actiones, vel* „ *operationes, vel ſi quo alio nomine* commodius ſignificari „ poſſunt, non latere cum ſentit „; id ne ait, quod *non abſque aliquo abſurdo credi poſſe* arbitraretur? Næ ille abſurdus eſſet, qui hæc, quæ tam ſint vera, tamque teſtata, *non abſque aliquo abſurdo* dicta fuiſſe a ſummo viro defenderet. Mitto exempla cetera, quæ prope ſunt innumerabilia, quæ ſi deſcribere omnia vellem, te, tuoſque copia ſane mira obruerem. Nam ex his paucis, quiſquis non abſurdo ingenio eſt, facile quidem cognoſcet, *τὸ non ab-*

ſurde

1 *Num.* V. *p.* 14. *tom.* I. *opp. edit. ejuſd.* » Et illud, quod in parvulis dicitur ori-» ginale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, NON ABSUR-» DE VOCATUR etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate » contractum factum eſt quodammodo voluntarium ».

2 *Cap.* VIII. *num.* XIV. *p.* 292. *tom.* I. *opp. edit. ejuſd.*

3 *Num.* III. *p.* 6. *tom.* IV. *opp. edit. ejuſd.*

4 *Epiſt.* XXIII. *p.* 23. *num.* I. *tom.* II. *opp. edit. ejuſd.*

5 *Cap.* V. *num.* XI. *p.* 385. *tom.* I. *opp. edit. ejuſd.*

ſurde apud Auguſtinum idem valere omnino, ac *non contra atque dictet ratio*, vel *apte ad rationem*. Non enim modo ut religio divinitus manifeſtata docet, ſed etiam *apte ad rationem ipſam* credimus, eum, qui quantiſlibet bonis externis corporis, animique abundet, ſi omnia ad vitæ eternæ, quam cupit, & ſperat, finem referat, beatum eſſe *ſpe iſta* POTIUS, *quam re illa*. Quare cum Auguſtinus, *non abſurde credi videri*, ſcribit, ANTIQUOS ETIAM SANCTOS apud INFEROS FUISSE, hoc certe ſcribit: non *modo credi*, ſed videri etiam *non contra ac dictet ratio*, *ſed apte ad rationem credi*, *antiquos illos ſanctos fuiſſe apud inferos &c.*

At Auguſtinus adhibet τὸ SI, quod quidem ſecum conditionem infert. Tam ne cito oblitus es τοῦ SI, quod ut arcte memoria teneres, pag. hujus operis 738. monueram? Annon apud Auguſtinum in epiſtola ad Evodium ſcribentem: *ſi nuſquam in divinis auctoritatibus legitur* nomen *inferorum* uſurpatum *in bono*: tute putabas, τὸ SI non dubitantis eſſe, ſed affirmantis? Quæ igitur te movet ratio, ut ſubito nunc mutata voluntate, τὸ SI ob conditionem,quam inferre videtur ſecum, rem non dubitantis modo eſſe defendas, ſed etiam negantis, affirmantis autem nullo modo? Quod ſi paullo attentius rem conſideres, intelliges profecto, τὸ SI apud Auguſtinum eo in cap. xv. l. xx. *de Civ. Dei*, eodem atque τὸ QUAMVIS, ſeu τὸ ETSI recidere, quod eſt non conditionem adhibentis, ſed rem concedentis. Ac τὸ SI idem ſæpe apud latinos Scriptores atque τὸ *etſi*, & τὸ *quamvis* ſonare, multis exemplis poſſem oſtendere. Sed non eſt opus. Conſulito Robertum Stephanum, qui in *Theſauro ling. Lat. ad v. ſi*, tot affert exempla, quot ſatis eſſe ad rem demonſtrandam poſſunt. Jam in eo Auguſtini loco τοῦ *ſi* eam vim ineſſe,ex eo cognoſcitur,quod hæc ſit ejus, quam mox proponam, ſignificatio. Principio ut res teſtata in eo ſumitur, *credi, Antiquos Sanctos* fuiſſe in inferis, ante Chriſti mortem. Non enim dicit Augu-

ſtinus *ſi creditur*, ſed *ſi non abſurde credi videtur*. Ponit igitur, *credi*; aitque, *non abſurde videtur credi*, nempe non ſolum *credi* ita ut fert doctrina Eccleſiæ, ſed etiam, *non ſecus ac ipſa poſtulet ratio, credi,* adeo ut non modo non repugnet id rationi, ſed ne ſpecie quidem prima minus eſſe rationi conſonum videatur. Deinde S. Doctor ita componit orationem, ut huc demum omnis revolvatur. Quamquam *creditur*, idque *credi* non contra ac poſcat ratio *videtur*, antiquos Sanctos locis ab impiorum tormentis remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe; tamen boni fideles, effuſo pretio jam redempti, prorſus inferos neſciunt. Quare quod Johannes dicit, *mortem*, & non *inferos*, de ſtatu ſanctorum, non ante, ſed poſt Chriſti mortem, eſt intelligendum. Conſidera, atque expende locum Auguſtini quamdiu voles, ac ſi bona agas fide, non dubito equidem fore, ut huc demum locum ipſum recidere confiteare. Idque ſane eo te eſſe provideo conceſſurum, quod Auguſtinus locum illum Johannis *de morte, & inferno* explicans, non illam ſententiam, quam ei affingis, commemorarit; ſed oppoſitam, quam communem eſſe omnium demonſtravi. Quo autem pacto illam tacitus prætermiſiſſet, quam veram, ut ipſe ſcribis, credidiſſet; hanc attuliſſet, quam putaſſet eſſe abſurdam? Nemo enim tam levis eſt Auctor, qui Scripturas explicans, quæ vera exiſtimet, ne commemoratione quidem dignetur; conſectetur vero, quæ levia, abſurda, pugnantia ſint, adeoque, te judice, indigna commentatione anicularum. Cum igitur hanc (explicandi illius loci Apocalypſeos cauſſa) quam nos tuemur, Auguſtinus propoſuerit ſententiam, tua ne commemorata quidem; argumento eſſe ſane magno debet, noſtram ab eo fuiſſe approbatam, improbatam tuam.

Quod etiam antiquos Eccleſiaſticos divinarum rerum Tractatores animadvertiſſe intelligo. Nam Ambroſius Anſpertus, qui ſeculo VIII. claruit inſignis auctor, locum hunc e XX. lib. de Civitate Dei cap. XV. haud aliorſum acci-

accipiendum judicavit, atque a nobis acceptus eſt. Sic enim eum interpretatur [1]: „ Si enim non mendaciter, SED „ VERISSIME creditur, antiquos etiam ſanctos, qui „ diſpenſationis Chriſti fidem non ſolum verbis, ſed etiam „ ſanctis prophetaverunt actionibus, etſi APUD IN- „ FEROS, locis tamen A TORMENTIS IMPIORUM „ REMOTISSIMIS FUISSE, DONEC EOS CHRISTI „ SANGUIS, DESCENSUSQUE EJUS AD EADEM „ LOCA EXINDE ERIPERET; profecto deinceps bo- „ ni Chriſtiani, qui ea fide pollent, quæ per dilectio- „ nem operatur, effuſo illo pretio jam redemti prorſus „ inferos neſciunt „. Eodemque ſpectant, quæ Gregorius Magnus, qui extremo VI. atque ineunte VII. ſeculo floruit, complexus eſt lib. IV. in Jobum [2]. Nam quæ de *remotis locis* ab inferno impiorum (quibus in locis manebant veteris Teſtamenti ſancti, donec inde eos ſanguis Chriſti eriperet) ab Auguſtino in XX. libro de Civitate Dei tradita fuerant, non modo ut non abſurda, ſed etiam ut veriſſima, atque a fide [3] per Eccleſiam prædicata propoſuit. „ Eos, *inquit*, etiam, qui cæleſtis patriæ vias ſe- „ ctati ſunt, poſt egreſſum carnis, *inferni* clauſtra tenue- „ runt, non ut in pœna, quaſi peccatores plecteret; „ SED UT IN LOCIS REMOTIORIBUS QUIESCEN- „ TES (quia necdum INTERCESSIO MEDIATORIS „ ADVENERAT) ab ingreſſu regni reatus primæ cul- „ pæ prohiberet &c.

Nec aliter Primaſius Adrumetinus Antiſtes VI. ſeculi Scriptor illuſtris, qui & Africanus erat, & addictus, devotuſque doctrinæ Hipponenſis Epiſcopi Auguſtini, rem intellexit, ut qui ſcripſerit: *per Domini paſſionem inferni gemitibus jam ſolutis, Sanctorum animas venire ultra ad inferos non putamus* [4]. Cum igitur ii (qui tam pro-

1 Vide *p.* 523. *hujus operis not.* 1.
2 Confer *p.* 533. *hujus operis in not.*
3 Vide *p.* 531. *ſeqq. hujus operis.*
4 Vide ſupra *p.* 546. *not.* 1.

propinqui fuerunt Auguſtini temporibus, quique ei tantum ſunt impertiti auctoritatis, ac laudis, ut eum magiſtri loco habuiſſe viderentur) locum eumdem aut deſcribentes, aut indicantes, non alio, quam nos velimus, pertinere profeſſi ſint, idque *veriſſime credi* dixerint, atque *per Eccleſiam prædicari*; quo nunc animo ferendus Cadonicus eſt, qui tantorum virorum jam uſque a tot ſeculis obtinentem interpretationem, quæ ſententiæ Eccleſiæ univerſæ ſit conſona, non modo eſt auſus pendere parvi, ſed etiam (iratis grammaticis omnibus, grammaticis autem? immo iis etiam, qui leviter ſint imbuti præceptis ſyntaxeos latinæ linguæ) *non ſine aliquo abſurdo* concedi poſſe, defendere? Equidem, credo, qui verum amet, & hæc illum turbare intelligat, nec ferat indigne, futurum neminem. Jam locus *e cap.* xv. *libri* xx. *de Civitate Dei* & eſt a majoribus noſtris acceptus, ut volumus; & ita compoſitus per ſeſe, comparatuſque eſt, ut ne vi quidem adhibita in Cadonicianum ſenſum tam abſurdum, quam vidimus, tamque alienum a communi ſenſu Catholicorum contorqueri poſſit.

Sed quæ ratio, quæſo, tranverſum ſic egit hominem, ut capite eodem xv. *l.* xx. *de Civ. Dei*, INNUISSE Auguſtinum ſtatueret, non *ſine abſurdo aliquo*, ſententiam eamdem communem defendi, probarique poſſe? *Quia*, inquis, *Evangelica eloquia de Abraham, & Lazaro loquentia inferos non nominant, queis tormenta competunt, a quibus Auguſtinus remotiſſimos ibidem ſecure pronunciat Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem*. Hæccine Auguſtinus eo in capite ut innuerit, qui Lazari, atque Abrahæ ne tacitam quidem, remotamve fecit mentionem? Sed fac fecerit. An ideo juſtos illos in inferis non fuiſſe Auguſtinus dixit, quod in locis fuerint ſinus Abrahæ *remotiſſimis a tormentis impiorum*? Tamen ne quemquam adeo eſſe mente, oculiſque captum putatis poſſe, quin videat: Auguſtinum, qui

qui Sanctos illos in locis a *tormentis impiorum remotiſſimis* fuiſſe, *ſecure*, ut ſcribis, *pronunciarit*; pronunciaſſe item, FUISSE EOS APUD INFEROS, DONEC EOS IPSOS INDE SANGUIS CHRISTI, ET AD EA LOCA DESCENSUS ERUERET? Quidquam ne clarius potuit Auguſtinus proloqui? In *remotiſſimis* locis, inquit, *a tormentis impiorum* Abrahami, Sanctorumque reliquorum Veteris Teſtamenti animæ erant, ſed tamen APUD INFEROS. Quid ergo iſtuc de *remotiſſimis locis a tormentis impiorum* miſcetis, quaſi loci illi a tormentis remotiſſimi, apud inferos eſſe nequiverint, & reipſa non fuerint? Verum non piget modo, mihi crede, me veſtri; ſed etiam pudet, qui evertere communem doctrinam conemini iſta fallacia, quam vel pueri internoſcere poſſint, ut qui *limbum* in locis *remotis* ab *impiorum tormentis* conſtitutum fuiſſe norint, ſciantque animas, quæ in ipſo fuiſſent, quieviſſe quidem ſpe, immo certa veritate ductas videndi Dei; ſed tædio fuiſſe affectas, doluiſſeque dilatæ ſibi viſionis ejuſdem cauſſa ad mortem uſque, deſcenſumque ad inferos Servatoris Chriſti.

At inſtat Cadonicus, ac „ ſi hic textus, *inquit*, „ hæſitationem præſefert, dubitatio ipſa non ſtatum reſ- „ picit Sanctorum, quos eadem verba ab impiorum tor- „ mentis præclare ſegregant „. Sani ne vos eſtis? Quis umquam orthodoxorum *ab impiorum* TORMENTIS *ſegregatas Sanctorum Vet. Teſt. animas*, ante Chriſtum etiam, non fuiſſe putavit? Annon omnium, omnium, inquam, Catholicorum certa ſententia, communis, ac pervulgata eſt: tormenta eas, doloreſque *impiorum* non fuiſſe perpeſſas? Hoc Gregorius Magnus, hoc Anſpertus, hoc Thomas, hoc Theologi univerſi, hoc Patres omnes profitentur. Quid hinc autem extundere vobis licet? Dicetis ne, nullum eſſe Catholicorum, qui, deſcenſu Chriſti ad inferos, ſtatum earum animarum fuiſſe immutatum credat? Id ſi dixeritis, omnes una voce clamabunt,

mabunt, aut mentiri vos, aut inſcientes, imprudenteſque labi, ut qui triſtitiam limbi a pœnis impiorum diſtinguendam non putetis, perque ſummam injuriam Theologos, Patres, Catholicas Chriſti Eccleſias univerſas inſectemini, ac ſi, dum confitentur, Sanctorum in limbo, ſeu in inferis animas non vidiſſe Deum, una etiam animas eaſdem cruciatas *impiorum tormentis fuiſſe*, confiteantur. Jam do, ac libenter quidem, Auguſtini *verbis præclare ſegregari ab impiorum tormentis Sanctos* in ſinu Abrahæ ante Chriſti mortem conſtitutos: quid inde? *Concludit*, inquies, *Cadonicus Sanctos eoſdem* vidiſſe Deum. Sed cavete vobis. Non enim ſequitur. At ille, inquies, ſic ſtatuit: „ Nimis abutimur S. Auguſtini mente „. Quam vellem, ne abuteremini! Quamobrem autem nimis abutimini? „ ſi a quæſtione de loco, *inquit ille*, in qua incertus „ eſſe poterat, definitionem ſtatus ſuæ conſtanti doctri- „ næ contrariam conficere nitamur „. O hominem inconſtantem Cadonicum, dictorumque ſuorum immemorem! Id ne ut modo concedat, quod paulo ante tam fidenter negaverat? Capite enim XX. *operis poſtremi ſui, de S. Auguſtini, quæ videtur ſententia &c. n.* IV. *pag.* 162. ſtatuerat, *requiem omnem ipſo inferni nomine excludi*, propterea quod nihil hac ſit Auguſtini doctrina conſtantius. Nunc quæ tanta rerum facta converſio eſt, ut quod quamlibet ante *requiem excludebat*, id non ſolum *includat requiem*, ſed felicitatem etiam comprehendat eam, qua majorem obtingere homini, ne fingere quidem poſſumus? Atque doctrina quidem illa, *de inferno numquam appellato in bono*, quam apud Auguſtinum ſit conſtans, attendito. Sic enim ab eo poni vidimus in Epiſtola CLXIV. *ad Evodium*, repeti in Epiſtola CLXXXVII. *al.* LVII. *ad Dardanum* [1], *& lib.* XII. *de Geneſi ad litteram cap.* XXXIV. [2], neque

1 *Num.* V. *p.* 517. *tom.* II. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

2 *Num.* LXVI. *p.* 241. *tom.* III. *P.* II. *edit. ejuſd.* „ Sicut ſecundum corpus, ſi „ ponderis ſui ordinem teneant, inferiora ſunt omnia graviora, ita ſecundum „ ſpiritum inferiora ſunt omnia triſtiora, unde & in Græca lingua origo nominis, „ quo appellantur inferi, ex eo quod nihil ſuave habeant, reſonare perhibetur „.

que dici reperimus quidquam alicubi aut in libris de Civitate Dei, aut in Sermonibus, aut in Enarrationibus in Pſalmos, quod non ei doctrinæ maxime eſſe conſentaneum videatur. Quare Sanctus Thomas, quo nemo umquam Auguſtini doctrinam aut aſſequutus plenius eſt, aut ſtudioſius coluit, III.*P. qu.*LII. *art.*I. *ad* I. *arg.*: *&* III. *ſententiar. Diſtinct.* XXII. *qu.* 2. *art.* I. *ad* I. *arg.* INFERNI NOMEN, Antiſtitis quidem noſtri ſententia, excepto cum de Chriſto ad inferos deſcendente uſurpatur, *malum importare pœnæ*, animadvertit. Quam autem vos *pœnam* animis humanis inlatam cum viſione Dei, hoc eſt, cum eſſentiali beatitate poteſtis componere, unde omnis aufugit dolor, atque triſtitia? Componit ſane Auguſtinus dolorem, atque triſtitiam cum *ſpe* ſemper afferente gaudium [1], cumque *certa veritate*, qua quis proſpicit ſe eſſe viſurum Deum: qua ex proſpicientia [2] beatitas quædam, atque adeo quies oritur; ſed cum beatitate *eſſentiali* conſiſtente in viſione Dei pœnam, quæ dolorem, triſtitiamve affert, teſtatur componi poſſe omnino numquam [3]. Quum igitur S. Doctor ſtatuat, numquam appellari *infernum in bono*, propterea quod *triſte* quid per ſeſe indicet; *ſuave* contra nil *indicet*: cumque in *inferis* SS. Veteris Teſtamenti Patres, ante Chriſtum, fuiſſe dicat in *Enarrat. in Pſalmum* LXXXV. & in XV. *cap. libri* XX. *de Civitate Dei*, in triſtitia eos aliqua fuiſſe conceſſerit, neceſſe eſt. Rurſus cum eoſdem Sanctos in inferis *requiem* habuiſſe ſcribat, de ea profecto requie loquatur oportet, quam componi, unaque conſiſtere cum tædio aliquo, doloreve

1 Vide ſupra *pag.* 761. *hujus operis not.* 1.

2 Confer *pag.* 147. *ſeq. hujus operis*.

3 Enarrat. *in Pſ.* LXXXIII. *num.* 8. *p.* 664. *tom.* IV. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. Ad illa verba: *Beati qui habitant in domo tua:* » Poſſident, *inquit*, Hieruſalem » cæleſtem ſine ANGUSTIA, ſine PRESSURA, ſine diverſitate, & diviſione li» mitum &c. *p.*665. Hoc erit totum negotium noſtrum ſine defectu HALLELUJA. » Non vobis videatur fratres QUASI FASTIDIUM IBI FUTURUM: qui ſi mo„ do hoc diu dicatis, non duratis, ab illo GAUDIO neceſſitas vos avertit: & „ quia non tantum delectat, quod non videtur. Si tanta alacritate in ipſa preſſura, „ & fragilitate carnis laudamus quod credimus, quomodo laudabimus, quod „ VIDEBIMUS „? Sexcenta ſunt ejuſmodi, quæ deſcribere longum eſſet.

poſſe conceſſerit; non de illa, quam dolorem quemvis, mæroremve pati nequire, teſtatus ſit.

Tertius eſt locus Auguſtini ex 1. contra Julianum libro [1], quo quidem loco, cauſſa reatus pendendæ temporariæ *pœnæ* ob originale peccatum, in inferna Sanctos Veteris Teſtamenti, ante Chriſti mortem, deſcendiſſe, S. Doctor confirmat Pelagianos refellens, qui locis quibuſdam Joh. Chryſoſtomi abutebantur. Auguſtinus namque, qui cauſſam Catholici dogmatis de *peccato originis* agebat, injuriamque novo ſcelere Chryſoſtomo conflatam depellere conſtituerat; Chryſoſtomi ejuſdem ex Homilia de *Reſuſcitatione Lazari* hoc teſtimonio deſcripto: *flebat Chriſtus*, cur *uſque ad hoc mortalitas deliquiſſet*, *ut excuſſa de perennitatibus* INFEROS ADAMARET &c. ſic demum diſſerit: „Quid dici poſſet expreſſius? Quid ad „ iſta reſpondes? Si Adam grandi peccato ſuo omne ge- „ nus humanum in commune damnavit, numquid niſi da- „ mnatus parvulus naſcitur? Et per quem niſi per Chri- „ ſtum ab iſta damnatione liberatur? Si & IN LAZA- „ RO dicitur EXCUSSA DE PERENNITATIBUS mor- „ talitas INFEROS ADAMASSE; QUIS mortalium „ NON AD ISTAM CULPAM, CASUMQUE PER- „ TINEAT &c. „? Peccato igitur Adæ (Auguſtino, dum adverſus Julianum hæreticum diſputat, teſte) INFEROS ADAMAVIT *de perennitatibus excuſſa mortalitas*. In quo? IN LAZARO. Quis hic Lazarus? Amicus Chriſti. Liberne hic culpa originali erat? Quis dubitet? Amicum ne Chriſti, quiſquam orthodoxus exiſtimet, fuiſſe obligatum culpa? Quid igitur huic a culpa libero, quid, inquam, rei cum INFERIS fuit, peccati cauſſa? Niſi Cadonicus, reatum pendendæ temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei ob originale peccatum jam remiſſum, dicat, quid dicere queat, numquam reperiet. Quid eſt autem, *e perennitatibus excuſſam mortalitatem inferos in Lazaro adamaſſe*, niſi Lazari animam eo quatuor dierum

[1] *Cap.* VI. *num.* 24. *pag.* 337.

rum intervallo, quo ſejuncta fuit a corpore, manſiſſe in inferis? Atque id quidem loca Chryſoſtomi plane demonſtrant, quæ deſcripſimus [1]. Quod ſi amicus Chriſti Lazarus pendendæ ejus pœnæ temporariæ cauſſa ad inferos deſcendit, cur non etiam ceteri, qui ante Chriſtum deceſſerant? Hi vero pœnam ejuſmodi ſubire qui poterant, ſi intuiti fuiſſent Deum? Si autem non poterant videndo Deum, ac pœnam tulerunt, neceſſe eſt ut fuerint expertes viſionis Dei.

Quartus eſt locus ex *libro de octo Dulcitii Quæſtionibus*, par alteri ex libro de *Cura pro mortuis* ad Paulinum. In his enim libris duobus, Samuelis animam *excitatam* [2], *& tamquam de abditis mortuorum receptaculis evocatam* [3], ſeu *Samuelis ſpiritum* e SUIS SEDIBUS *excitatum* Sauli ærumnas, atque interitum prædixiſſe, veri ſibi videri ſimilius, auctoritate libri Eccleſiaſtici fretus [4], ſignificat. Veri autem ſimilius id ille putaſſet numquam, niſi *ſedem ſpiritus* Samuelis fuiſſe crediſiſſet in *inferis*. Nam ſi quod Sauli interitum prædixit, non ſpectrum fallacia mali dæmonis fictum, ſed *ſpiritus*, ſeu *anima* revera Samuelis fuit, e *ſuis ſedibus*, ſeu e ſuo *receptaculo evocata*; cum is e *terra* in priore libro Regno [5] *aſcendiſſe*; & in Eccleſiaſtici [6] libro (cujus auctoritate moveri ſe Auguſtinus indicat, id ut putet ad veritatem eſſe propenſius) *exaltaſſe vocem ſuam* de *terra* dicatur; *ſedes* illa profecto, *receptaculumque ſpiritus*, ſeu *anima* Samuelis in inferiore ali-

eeeee 2

1 *Pag. 576. ſeqq. hujus operis.*

2 *Quæſt. VI. num. 2. p. 98. tom. VI. opp. edit. Antuerp. an. 1700. & lib. II. Quæſtion. ad Simplician. qu. III. n. 1. p. 85. tom. ejuſd. & l. de cura p. m. c. XV. p. 385. t. VI.*

3 *Ibid.*

4 Quum enim in utramque partem diſputaſſet, indeque pedetentim agendum monuiſſet, *ne diligentioribus inquiſitionibus præſcriberetur;* tum recte id ſe monuiſſe ait. Nam *mea*, inquit, *poſterior inquiſitio declaravit, quando inveni in libro Eccleſiaſtico, ubi Patres laudantur ex ordine, ipſum Samuelem ſic fuiſſe laudatum, ut prophetaſſe etiam mortuus diceretur.*

5 1. *Regum cap. XXVIII. v. 15. dixitque* mulieri Rex: *Noli timere, quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi* ASCENDENTES DE TERRA &c.

6 Eccleſiaſtici *cap. XLVI. v. 23.* Et *poſt* hæc *dormivit* Samuel, *& notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit* VOCEM SUAM DE TERRA *in prophetia delere impietatem gentis.*

aliqua terræ parte, hoc eſt in inferis fuit; nemoque erit, arbitror, qui, bona ſi agat fide, perſpicere ſeſe inde non confiteatur, Auguſtini quoque ſententia, Sanctos Veteris Teſtamenti Patres, ante Chriſtum, in inferis (qui niſi pro ſolo Chriſto, pro aliorum certe aliquo numquam APPELLATI REPERIUNTUR IN BONO) conſtitiſſe pœnæ excluſionis e regno Dei temporariæ, ob Adæ peccatum, pendendæ cauſſa, adeoque intuitos non fuiſſe Deum. Nam beatitatis ſtatus conſiſtentis in viſione Dei *ſine ulla* MALORUM TOLERANTIA *eſt; non fide credit, quod non videt; nec ſpe deſiderat, quod non tenet; ſed in æternum veritatis incommutabilem ſpeciem contemplabitur, cujus ſine fine quietum opus erit laudare quod amat, & amare quod laudat* [1]. PERFECTA enim SATURITAS *in illa vita æterna erit, cum ex iſta peregrinatione venerimus ex fide ad ſpeciem, a ſpeculo ad faciem, ab ænigmate ad perſpicuam veritatem* [2].

At

1 S. Auguſtinus *epiſt.* cxl. *al.* cxx. *ad Honoratum de Gratia Novi Teſtamenti cap.* xxvi. *num.* 63. *p.* 338. *tom.* 1. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

2 *Ibid. cap.* xxviii. *num.* 66. *p.* 339. Ex iis, quæ libro ſuperiore, atque hoc etiam ſecundo diſputavimus, intelliget lector, quam dignus reprehenſione ſit is, qui Adnotationes, ſeu Appendiees *ad Bibliothecam Lucii Ferrarii* ſcripſit, ediditque Romæ. Is enim *tom.* iv. *ad v. Infernus*: *num.* vii. *Append. p.* 174. *edit. Rom. an.* 1759. etſi Patrum Sanctorum Veteris Teſtamenti animabus, ante Chriſti deſcenſum ad inferos, viſionem Dei non attribuerit; iiſdem tamen Auguſtini locis abuſus, quibus poſt Proteſtantes abutuntur Cadonieiani, contra communem Catholieorum conſenſionem, *incertum* ſcribit *eſſe, num Abrahæ ſinus in terræ viſceribus fuerit*. Pearſonium, eredo, aut Auctorem Hiſtoriæ Symboli, qui e numero fuerunt Proteſtantium, conſuluerat, ac ſequi non dubitarat. Mox enim tacitis horum nominibus, ne quid ab aliis accepiſſe videretur, eorumque animadverſionibus in epitomen redactis: Ab Ethnicis ad Judæos, paulo ante Chriſti tempora, ſententiam de locis inferis, in quibus Juſtorum animæ agerent, propagatam, hypotheſiſque loco adhibitam ſtatuit; indeque ad Chriſtianos Doctores præſertim *Juſtinum, Irenæum, Tertullianum, alioſque antiquos Patres, qui Sanctorum beatitudinem ad finem uſque mundi differendam opinabantur*, hypotheſim eamdem fuiſſe traductam; uſurpatam deinceps a *S. Hieronymo, aliiſque Patribus, qui Chriſti animam ad inferos deſcendiſſe crediderant, ut diſrupto antiquo carcere, animas Sanctorum Patriarcharum in cæleſtem patriam perduceret*; probatamque demum *fuiſſe Scholaſticis limbum SS. Patrum in inferis adſtruentibus*. Ita ille, quam Patres omnes, eo confitente, quamque Theologi deinceps Scholaſtiei univerſi ſequuti ſunt, ſententiam, ex Ethnicorum ſomniis manaſſe commentus eſt, utque incertam rejecit; eoque ſe nomine effugere ſperavit reprehenſionem, quod *hypotheſeos* eam appellarit voeabulo. Quaſi vero verbis verſanda Theologia ſit; non iis, quæ verbis ſint ſubjectæ, ſententiis. Sed maneat Patrum, Theologorumque doctrina neceſſe eſt: ea vero manente, evaneſcant oportet ſomnia *tot Appendicum* Auctoris,

qui

At Auguſtinus, *quid* animabus illis *præſtiterit*, *qui dolores ſolvit inferni*, *nondum ſe intelligere* teſtatur in Epiſtola ad Evodium: additque, *nondum* etiam *ſe inveniſſe*, *quid illis contulerit*.

Ecce autem de integro. Jam primo eam Epiſtolam, dixi, nonniſi injuria a vobis communi ſententiæ Catholicorum opponi, idque dixi animadverſione uſus Petri Nicolii adverſus hæreticos diſputantis. Secundo de liberatione a doloribus purgatoriis ibi Auguſtinum agere, oſtendi, quam certe liberationem Chriſtus iiſdem animabus non contulit, cum eædem in illis doloribus non fuiſſent. Tertio rapi Auguſtini verba in eam ſententiam non poſſe, demonſtravi, ut nihil omnino liberationis animabus ipſis fuiſſe a Chriſto collatum dicamus, propterea quod *eas erutas ex inferis deſcenſu Chriſti* ipſe Auguſtinus ſcribat *in Enarrat. in Pſ.* LXXXV. *& in* XX. *de Civ. Dei*, quos inferos umquam ſe *reperiſſe* negat *appellatos in bono*. Eruiſſe autem animas dicere ex inferis, quos numquam reperiamus *appellatos in bono*, quid eſt, niſi fateri, *liberatas animas ex inferis*, qui genus quoddam *mali*, ſcilicet *pœnæ* ſecum importarent? Hæc cum animadverſa, dicta, auctoritateque Auguſtini confirmata a nobis fuerint, quid vos conturbat, cur rurſum ad Epiſtolam illam confugiatis? Quin etiam illud cogitetis volo: niſi interpretationem, quam ei adhibui epiſtolæ, probetis; eo vos demum eſſe redigendos, ut Auguſtini auctoritate refelli non poſſe confiteamini errorem Lutheri, atque Calvini viſionem Dei Sanctis ad extremum judicii diem differri oportere pugnantium: concedatiſque una, vos ipſos, qui novo iſto commento veſtro ſperabatis fore, ut hæreſiarchas illos duos erroris condemnaretis, ſpe tanta

qui ſe a Patribus, Theologiſque diſſidere confiteatur. *Sed Eccleſiæ judicio*, inquit, *nil certi definitum habemus*, *atque*, *intacta fide*, *Abrahæ ſinus alibi quoque ſtabiliri poteſt extra cælum empyreum*. Ego vero ut ferri hæc poſſint, non video. Tune, mi homo, in rebus *incertis* impune numeres, quod Eccleſiæ omnes orthodoxæ ubique terrarum puſillos etiam, neophytoſque docent ſuos? Quod Eccleſia Romana Catechiſmo Romano complexa eſt? Quodque Profeſſionibus quoque fidei ad Patriarchas, atque Antiſtites, qui ejus communionem expetebant, miſſis comprehendit? Vide quæ ſcripſi *lib.* I. *hujus operis capp.* II. & III.

tanta deturbatos eſſe. Fac enim, Anonyme, cum eorum aliquo, qui Lutheri errore ſit imbutus, congrediare. Objicies tu quidem ei Auguſtinianum illud: *quid illi contulerit, nondum intelligo*. Reſpondebit id ſe dare, & libenter quidem. Nam Sanctos illos eadem nunc frui, qua tunc etiam fruebantur requie. Quare nihil eis fuiſſe conlatum. Neque vero eos gaviſos ea in requie fuiſſe viſione Dei. Hanc enim, ante judicii diem, nemini eſſe concedendam. Vincet, niſi quid ex Auguſtino clarius protuleris.

Sed non erant, dicitis, Sancti illi expertes viſionis Dei. Nam *videre* ſe Auguſtinus eadem in Epiſtola ſcribit, Chriſtum ab illis *ſecundum beatificam præſentiam ſuæ divinitatis numquam receſſiſſe*. Quid vos? Beatificam *præſentiam* eamdem eſſe, atque *beatificam viſionem* cenſetis? Parum vos in Auguſtini libris verſatos eſſet oportet, qui ignoretis *beatificæ præſentiæ* vocabulis non *viſionem* ab eo *beatificam* indicari, ſed felicitatem, quam præſens Deus cuiquam afferat, etſi is Deum non intueatur. Quid enim? An vivos in terris homines (quos *præſentia Dei juſtificari, illuminari, beatificari* Auguſtinus in VIII. *de Geneſi ad litteram libro* [1] *cap.* XII. confirmat) intueri putatis *beatifica viſione* Deum? Sic autem ille ſcribit: „ Non tale aliquid eſt homo, ut factus, deſerente eo, qui fecit, poſſit aliquid agere bene, tamquam ex ſe ipſo; ſed tota ejus actio bona eſt converti ad eum, a quo factus eſt, & ab eo juſtus, pius, ſapiens, beatuſque ſemper fieri: non FIERI, & RECEDERE, ſicut e corporis medico ſanari, & abire; quia medicus operarius fuit extrinſecus ſerviens naturæ intrinſecus operanti ſub Deo. Non ergo ita ſe debet homo ad Dominum convertere, ut cum ab eo FACTUS FUERIT juſtus, ABSCEDAT, ſed ita ut ab illo SEMPER FIAT. Eo quippe ipſo cum AB ILLO NON DISCEDIT, EJUS ipſe PRÆ-
„ SEN-

1 *Cap.* XII. *p.* 176. *tom.* III. *opp. P.* I. *edit. Antuerp. an.* 1700.

„ SENTIA juſtificatur, & illuminatur, & BEATIFI-
„ CATUR, operante, & cuſtodiente Deo, dum OBE-
„ DIENTI, ſubjectoque dominatur „. *Beatificatur* ergo, Auguſtino teſte, PRÆSENTIA Dei is, qui non *diſcedit* a Deo, cum poſſit diſcedere; quique *obedientem* ſe, ſubjectumque præbet eidem Deo. Ecquis autem is eſt, qui diſcedere poſſit, nec diſcedat tamen a Deo, ſed Deo pareat; niſi homo viator, ideoque non gaudens viſione Dei? *Beatificatur* igitur, Auguſtino auctore, PRÆSENTIA Dei homo viator, ideoque non videns Deum. Jam vero PRÆSENTIA DEI, qua quis BEATIFICATUR, præſentia eſt BEATIFICA. Is autem (qui cum poſſit recedere, non tamen recedit a Deo, ac proinde PRÆSENTIA BEATIFICATUR Dei) quamdiu non recedit a DEO, non deſinit præſentia BEATIFICARI Dei. Non ergo DISCEDIT ab eo Deus SUA PRÆSENTIA BEATIFICA, quamdiu ille non RECEDIT a Deo. Alioqui non BEATIFICARETUR PRÆSENTIA Dei. Verum etſi non recedit ab eo PRÆSENTIA BEATIFICA SUA Deus, tamen ille, viator quum ſit, non videt Deum. Adeſſe igitur, oſtendit Auguſtinus, Deum ſua PRÆSENTIA BEATIFICA ei, qui non videat Deum. Quum ergo Auguſtinus ſcribit, non diſceſſiſſe umquam Divinum Verbum ſua BEATIFICA DIVINITATIS PRÆSENTIA ab animabus Sanctorum in ſinu Abrahæ, ante Chriſti mortem, manentibus, non id ſcribit, unde *beatifica viſione* gaviſas illas fuiſſe concludendum ſit. Niſi forte velitis, eum (cum ſcripſerit, nos ipſos, qui vitam hanc adhuc mortalem degimus, ſi accedamus Deo, nec ab eo diſcedamus, *præſentia* Dei *beatificari*) id ſcripſiſſe, unde concludi poſſit, nos mortalem hanc adhuc degentes vitam *frui beatifica viſione Dei*; quod ſibi quiſque noſtrum eſt conſcius eſſe falſum.

Quod ſi, dum Auguſtinus ait, mortales homines, qui a Deo non recedant, PRÆSENTIA DEI BEATIFICARI,

CARI, de pace, de gaudio, de felicitate quadam bonæ conſcientiæ (quæ quidem pax, quod gaudium, quæ felicitas dona ſunt Dei, quibus donis Deus PRÆSENS cumulat mortales ipſos ab ſe minime recedentes) intelligendus eſt; cur non item, ubi ſcribit, non *diſceſſiſſe Chriſtum beatifica ſua Divinitatis præſentia* ab animabus Sanctis in ſinu Abrahæ manentibus, ante Chriſti ejuſdem Servatoris mortem, intelligi poterit de *requie*, de *pace*, de *gaudio*, deque *felicitate*, qua illæ cumulabantur, ob certam veritatem, qua norant, ſe aliquando eſſe fruituras aſpectu Dei: quam felicitatem, quam requiem, quam pacem, quod gaudium Verbum Divinum eis concedendo, ipſis præſentiam ſuam inſinuabat?

Ac niſi *gaudium, delectationem, pacem, felicitatem* ejuſmodi, quæ donum Dei eſt, *beatitudinem* quamdam eſſe, Auguſtinus putaſſet, numquam in priore *de libero Arbitrio* libro [1] ſcripſiſſet: primum hominem fuiſſe conſtitutum IN BEATA VITA: nec in eo libro, qui *de Correptione, & Gratia* inſcribitur [2], Angelos malos BEATOS FUISSE antequam *caderent*, dixiſſet: nec lib. x. Confeſſionum [3] ſtatuiſſet, *ſpe* vitæ æternæ homines eſſe beatos.

Qua ex re intelligitur, quam labantur graviter ii, qui Thomam verba Auguſtini ex Epiſtola ad Evodium *de beatifica divinitatis præſentia* interpretantem; eaque de viſio-

1 *Cap.* XI. *p.* 418. *tom.* I. *edit. opp. Antuerp. an.* 1700. „ Credimus hominem tam „ perfecte conditum a Deo, & in BEATA VITA CONSTITUTUM, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipſe inde propria voluntate delapſus ſit „.

2 *Cap.* X. *num.* XXVII. *p.* 505. *tom.* X. *ejuſd. edit* „ Diabolus, & Angeli ejus, „ etſi BEATI ERANT, antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant; erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem tamquam præmium ipſius permanſionis acciperent „.

3 *Cap.* XXI. *p.* 136. *tom.* I. *ejuſd. edit.* quo loco ſtatuit: eſſe beatam vitam, quam omnes volunt, & omnino, qui nolit, eſſe neminem. Addit: „ Ubi noverunt eam, „ quod ſic volunt eam? Ubi viderunt, ut amarent eam? Nimirum habemus eam „ neſcio quomodo. Et eſt alius quidam modus, quo quiſque cum habet eam, „ tunc beatus eſt: & ſunt QUI SPE BEATI SUNT. Inferiore modo iſti habent „ eam, quam illi, qui jam beati ſunt; ſed tamen meliores, quam illi, qui „ NEC RE, NEC SPE BEATI SUNT „.

viſione Dei *in ſpe*, &. non *in re* intelligi oportere ajentem, inſimulant, quaſi non ſit hæc aut ex Auguſtino accepta, aut ad locum Auguſtini apte accommodata diſtinctio. Equidem dixiſſe memini paulo ante me, proſpexiſſe Thomam omnia Auguſtini loca, quibus abuti deinceps poſſent ſtudioſi novarum rerum: quare ea ipſum objeciſſe ſibi, atque explicaſſe. Sed illud modo fatear neceſſe eſt, fuiſſe aliquid, quod ipſum fugerit. Quid illud eſt? Vos Auguſtini, veluti jactatis, patronos, ac vindices tam jejunos rerum Auguſtinianarum fuiſſe futuros, ut id genus diſtinctionis ab Auguſtino plus millies apte ad rem noſtram fuiſſe adhibitum ignoraretis. Tamen ne tam parum in Auguſtini libris verſati eſtis, vos ut prætereat, eum *libro* XIX. *de Civitate Dei cap.* XX. [1] ſcripſiſſe: SPE VITÆ ÆTERNÆ beatum eſſe hominem, qui omnia ſua ad Deum referat? Multoſque SPE eſſe BEATOS, non propter quod ADEST, ſed propter quod ADERIT [2]? Suggeri præterea gaudium animæ NONDUM DE RE, ſed DE SPE [3]? *Conſolari* item nos mortales IN SPE, gemere IN RE [4]: rurſumque hic nos gaudere DE SPE; ibi, [5] nempe

1 *Pag.* 426. *tom.* VII. *edit. ejuſd.*

2 *Serm* I. *in Pſal.* CVIII. *num.* 3. *p.* 960. *tom.* IV. *opp.* ,, Quomodo JAM BEATI, cum adhuc teſtimonia ejus ſcrutantur, & exquirunt eum, cum hoc facere poſſint & impii, poſſint & iniqui? Beatos autem eſſe impios, & iniquos, quis vel impius dixerit, aut iniquus? Ergo SPE BEATI qui perſequutionem patiuntur propter juſtitiam, non PROPTER QUOD ADEST, quamdiu mala patiuntur, ſed PROPTER QUOD ADERIT, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum ,,.

3 *In Pſal.* CXLV. Vide ſupra *p.* 760. *ſeq. not.* 1. & *in Pſal.* CXVII. *num.* 10. *p.* 956. ,, Vox *lætitiæ*, *& ſalutis in tabernaculis juſtorum:* ubi vocem mœroris, & exitii putabant eſſe, qui in eorum corpora ſæviebant. Non enim ſentiebant interiora gaudia Sanctorum de SPE futura. Unde & Apoſtolus dicit quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes ,,.

4 *In Pſal.* CXXV. *num.* 4. *p.* 1063. ,, Gemimus IN RE, conſolamur in SPE: cum tranſierit res de gemitu, gaudium veniet æternum, ubi non opus erit conſolatione, quia nulla miſeria ſauciabimur ,,.

5 *In Pſal.* CXXVII. *num.* 5. *p.* 1076. ,, Quid dicit Apoſtolus? *Quaſi triſtes ſemper autem gaudentes*. Quare ſemper? Et hic, & ibi: prorſus & hic, & ibi. Hic enim unde gaudemus? DE SPE. Ibi unde gaudebimus? DE RE. MAGNUM GAUDIUM HABET SPES GAUDENTIS ,,. En cur S. Thomas locum Auguſtini ex Epiſtola ad Evodium explicans dixerit, Auguſtinum ſequutus, Sanctos Veteris Teſtamenti in limbo EX SPE viſionis Dei MAGNUM GAUDIUM HABUISSE.

pe in cælis de RE: SPE quoque factos nos eſſe [1], & vocari BEATOS [2] DE RE?

At Auguſtini verbis aptari hæc nequit de *ſpe* a Thoma adhibita interpretatio. Videamus an poſſit. Negatis ne, pace, & gaudio ex ſpe orto *beatam*, Auguſtini quidem ſententia, *a Deo* effici animam hominis mortalem hanc vitam degentis? Nam Auguſtinus in Epiſtola CLV. ad Macedonium [3]: „Neque, *inquit*, facit *beatum* hominem, niſi *qui fecit* hominem „. Quin etiam in *Enarrat.* in *Pſalm.* LXXIV. [4] ubi dixit, ſuperbos *a longe* reſpici a Deo, humiles vero non *a longe*: „ hos, *inquit*, „ FACIT BEATOS, quibus appropinquat „. Quemadmodum autem hos faciat BEATOS, dixerat paulo ante [5]: „ Humiles conſolatur IN SPE. Eſt enim promiſ- „ ſio Dei rata, fixa, & inconcuſſa, fidelis, & omni du- „ bitatione carens, quæ conſolatur afflictos. Tota enim „ vita humana ſuper terram, ſicut ſcriptum eſt, ten- „ tatio eſt. Nec quaſi proſpera eligenda eſt, & adver- „ ſa devitanda; ſed utraque cavenda eſt; illa ne cor- „ rumpat, iſta ne frangat: ut unicuique hominum, in „ quocumque ſtatu rerum in hac vita egerit, non ſit re- „ fugium, niſi Deus, nec ullum gaudium, niſi promiſ- „ ſio Dei. Vita enim hæc qualibet redundans felicita- „ te multos fallit, Deus neminem. Quia ergo omni „ homini converſo ad Deum mutatur delectatio, mu- „ tantur deliciæ; non enim ſubtrahuntur, ſed mutan- „ tur:

1 *Lib.* XIX. *de Civit. Dei cap.* IV. *p.* 415. *tom.* VII. *ejuſd. edit.* „ Non ſunt men- „ daces veræ virtutes, ut profiteantur, hoc ſe poſſe, ut nullas miſerias patiantur „ homines, ſed ut vita humana, quæ tot, & tantis hujus ſeculi malis eſſe co- „ gitur miſera, SPE FUTURI SECULI SIT BEATA, SICUT ET SALVA.... „ ſicut ERGO SPE SALVI, ita SPE BEATI FACTI SUMUS „. Et *Serm.* XLVII. *al. in to.* IX. *n.* 22. *p* 184. *ejuſd. edit. tom.* V. „ Ubi nemo hominum videt, ibi eſt „ Eremus, ubi REQUIESCIMUS IN SPE; quia tranſit hæc omnis tribulatio; & „ quæ SPES erat, fiet RES, & erit totum noſtrum in requie „. Et *n.* 24. *p.* 185. „ Quamdiu dicit IN SPE, adhuc in hoc tempore intelligo. Cum enim pervene- „ rimus ad promiſſa, jam non erit SPES, ſed RES ipſa erit „.

2 *Epiſt.* CLV. *al.* LII. *ad Macedonium cap.* IV. *num.* 16. *tom.* II. *opp. edit. ejuſd.*

3 *Al.* LII. *cap.* I. *num.* 2. *p.* 407. *tom.* I. *edit. Antuerp. an.* 1700.

4 *Num.* 2. *p.* 586. *edit. ejuſd. tom.* IV.

5 *Num.* 1. *p.* 585.

„ tur: omnes autem deliciæ noſtræ in hac vita NON-
„ DUM SUNT IN RE, ſed IN SPE: ſed ipſa SPES
„ TAM CERTA EST, ut OMNIBUS hujus ſeculi DE-
„ LICIIS præponenda ſit, ſicut ſcriptum eſt: delectare
„ in Domino. Et ne putares, te jam habere, quod pro-
„ mittit, ſubjecit ſtatim: & dabit tibi petitiones cordis
„ tui. Si ergo nondum habes petitiones cordis tui, unde
„ DELECTARIS in Domino, niſi quia tenes CERTUM
„ PROMISSOREM, qui ſe effecit promittendo debito-
„ rem „? Atque hujuſcemodi *ſpe*, quæ tantum delectationis affert, & deliciarum, *beatam eſſe in iſta vita Deo intellecto animam* Auguſtinus dicit in 1. *Retractationum libro* [1].

Quum autem Deus BEATUM EFFICIAT hominem *ſpe* illa, quæ promiſſis certiſſimis nititur, delectatque ita, ut *deliciis* quibuſque *hujus ſeculi* ea *præponenda ſit delectatio*; Deus certe actione ſua, qua ipſum beatum efficit, *inſinuat* ei *præſentiam ſuam*. Quare adeſt ei *præſentia beatifica* ſua. Quin etiam ſi hominem mortalem hanc vitam agentem *illuminat* Deus, Auguſtino teſte, ut vidimus, & *juſtificat præſentia ſua*, nec tamen *illuminando*, *& juſtificando præſentia ſua* oſtendit mortali faciem ſuam, ſed tantum oſtenſa veritate *illuminando*, & conceſſa gratia *juſtificando* inſinuat ei præſentiam ſuam; cur non etiam, dum *beatum* SPE efficit hominem, ſeque ei præſentem inſinuat operatione ſua afferente beatitudinem illam ex ſpe ortam, dici debet, adeſſe ei homini BEATIFICA PRÆSENTIA SUA? Quod ſi *ſpe*, qua mortalis homo ducitur, mortalis ipſe homo *præſentia Dei beatus efficitur*, Auguſtini ſententia; quanto magis *beatificam præſentiam Dei* adfuiſſe Sanctis ante Chriſti mortem in Abrahæ ſinu manentibus, dicere Auguſtino ipſi licuit, qui norat, Sanctorum eorumdem animas *certa veritate* [2] ſciviſſe, futu-

fffff2 rum,

1 *Cap. IV. num. 3. p. 5. tom. 1. edit. ejuſd.*

2 Quanta ſit felicitas, & beatitudo ejus, qui *certa veritate* prænorit, ſe eſſe Deum conſequuturum, paulo poſt Auguſtini auctoritate efficiam.

rum, ut, poſt mortem Chriſti, viſione Dei fruerentur?

Perſto equidem, ac poſtulo a vobis, cur, ubi Auguſtinus, *præſentia Dei illuminari hominem* ſcribit, de *viſione Dei* intelligendus non ſit; ubi vero a Sanctis illis *præſentia Deum ſua beatifica non diſceſſiſſe* ait, ſit de *viſione Dei* intelligendus? Nam (ut mittam, Auguſtinum, ſi de *viſione* loqui voluiſſet, non fuiſſe *præſentiæ beatificæ* vocabulis uſurum, ſed, ut ſolet, *viſionis facie ad faciem*, qua de re dicam paulo poſt) ſi *illuminando Deus præſentia ſua* non oſtendit mortali *revelatam præſentiam*, *faciemve ſuam*, ſed tantum actione *illuminationis*, ſeu manifeſtatione veritatis [1] *inſinuat ei præſentiam ſuam*; cur non etiam Deus ipſe *delectationem* ex *ſpe* ortam, & Auguſtino memoratam concedendo (quæ delectatio eſt *deliciis* quibuſque *hujus ſeculi* longe ſuperior) atque hoc pacto BEATIFICANDO, *inſinuabit homini* actione illa ſua *præſentiam ſuam*, ſed non oſtendet *revelatam præſentiam*, *faciemve ſuam*? Hoc niſi vos expediveritis, nihil agetis. Atque *illuminari* quidem hominem *præſentia Dei* non ſolum demonſtrat Auguſtinus eo in loco, quem ſupra ex *opere de Geneſi ad litteram* deſcripſi, ſed etiam *libro* LXXXIII. *Quæſtionum* [2], multiſque aliis in locis, quæ, ne longior ſim, prætermittam.

Jam proſpexerat Auguſtinus, futuros fortaſſe aliquos fuiſſe, qui ubi *illuminationem vultus* Dei nominari in Scripturis intellexiſſent, in eam cogitationem venirent, ut Deum in ea natura, qua Deus eſt, viſum olim Judæis fuiſſe ſuſpicarentur (quemadmodum nunc vos, audita *præſentia beati-*

1 Sunt hæc item verba Auguſtini, ut paulo poſt ex Enarrat. in *Pſalm.* XLIII. demonſtrabo.

2 *Quæſt.* XII. *p.* 4. *tom.* VI. *edit. ejuſd.* » Lumen rationis radius æthereæ lucis eſt, » in eoque ſpeculum DIVINÆ PRÆSENTIÆ. In hoc enim Deus, in hoc voluntas innoxia, in hoc recte facti meritum relucet. DEUS UBIQUE PRÆSENS eſt, tunc autem UNICUIQUE NOSTRUM SIMUL EST, cum mentis noſtræ illibata puritas IN EJUS PRÆSENTIA SE ESSE putaverit. Ut enim » viſus oculorum, ſi fuerit vitiatus, quidquid videre non potuerit, adeſſe non » putat; fruſtra enim circumſtat oculos præſens imago rerum, ſi oculis integritas » deſit; ita etiam DEUS, QUI NUSQUAM DEEST, FRUSTRA POLLUTIS » ANIMIS PRÆSENS EST, quem videre mentis cæcitas non poteſt ».

beatificante divinitatis, concluditis, beatitate conſiſtente in viſione Dei Sanctos Veteris Teſtamenti, ante Chriſti mortem, fuiſſe gaviſos): quare ne quid tale quiſquam ſibi perſuaderet, *Enarratione in Pſalm.* XLIII. [1] *verſum* illum explicans: *brachium tuum, & illuminatio vultus tui*: „ Quid eſt hoc, *inquit*? Quia TALIBUS SIGNIS „ illis ADFUISTI, UT PRÆSENS INTELLIGERERIS. „ Numquid enim quando nobis Deus aliquo miraculo „ adeſt, faciem ipſius oculis noſtris videmus? Sed EF- „ FECTU miraculi SUAM PRÆSENTIAM INSINUAT „ HOMINIBUS „.

Quæ cum ita ſint, τὸ *beatifica præſentia*, cujus in Epiſtola ad Evodium fit mentio, non efficiet, viſum Auguſtino fuiſſe, Patriarcharum in ſinu Abrahæ animas gaviſas fuiſſe *beatifica viſione Dei*. Qua ex re intelligitur, quam non recte freti Epiſtola illa ad Evodium ſic ſtatuatis: *Nihil ergo contribuit Patriarchis Chriſtus ſuo deſcenſu ad inferos*. At hoc Auguſtini eſt. Nego enim vero. Non enim ſic ſtatuit Auguſtinus. Hoc dixit: *nondum ſe inveniſſe, quid illis contulerit, qui in illis doloribus non fuerunt*. Huc autem ea de re Auguſtini omnis revolvitur, reciditque oratio: Nondum ſe reperiſſe, quemadmodum a doloribus purgatoriis ſolverit deſcendens Chriſtus eos, qui in iis doloribus non fuerunt; quique, cum in requietis eſſent ſinu, præſentis Dei virtute felices, beatique reddebantur *veritate certa* futuræ viſionis naturæ divinæ, qua ſe, adveniente Chriſto, eſſe fruituros norant.

Sed inſtas, Anonyme, atque *ne dicatur*, inquis, *agi hic* (*ab* Auguſtino) *de præſentia in ſpe, & non in re, conſiderentur quæſo illa verba, quæ poſt paucas lineas leguntur* [2]. „ Profecto igitur in paradiſo, atque ſinu Abrahæ „ etiam

1 *Num.* IV. *p.* 278. *tom.* IV. *edit. ejuſd.*

2 Anonym. *epiſt.* 1. *p.* 7. » Affinchè non ſi dica parlarſi quì di una preſenza bea- » tifica *in ſpe*, *& non in re*, prego oſſervare quelle parole, che poche linee dopo » ſi leggono: *Profecto igitur in paradiſo atque ſinu Abrahæ, etiam ante jam erat* » *beatificante ſapientia, & apud inferos judicante potentia* ».

„ etiam ante jam erat beatificante ſapientia, & apud in„ feros judicante potentia [1] „. Ego vero *iſta verba conſideravi*, ſed quid iſtinc petere præſidii poſſis, non video, niſi etiam forte velis, damnatos in *inferis* intuitos fuiſſe, ac pergere intueri Deum. Ego ne, inquies, id ut velim? Credo equidem te nolle; ſed cave, ne te velle, ingratiis dicere cogare. Nam Auguſtinus non modo ſcribit, Verbum Divinum ante etiam fuiſſe *in ſinu Abrahæ beatificante ſapientia*, ſed etiam apud *inferos judicante potentia*. Dic autem, quæſo, *ſi ita* [2] (ſic enim ſcribis) *re* erat omnino in paradiſo, inque ſinu Abrahæ *beatificante ſapientia*, *ut* apud inferos erat *judicante potentia*; dicendumque propterea eſt, Verbum Divinum, qua erat in ſinu Abrahæ *beatificante ſapientia*, obtuliſſe videndum ſeſe Spiritibus ſinus Abrahæ; cur non item dicendum erit, quia Verbum Divinum apud inferos erat *judicante potentia*, ipſum ſeſe videndum exhibuiſſe Spiritibus ſupplicio ſempiterno addictis in inferis? Etenim ſi ob nominatum attributum unum Dei, quale eſt attributum *ſapientiæ*, qua præſens Deus quemquam felicem reddit, ſtatuendum eſt, videri ab illo qualicumque beato Deum; quam ob cauſſam non idem ſtatuendum erit ob nominatum attributum alterum, quale eſt attributum *potentiæ*, qua Deus non virtute ſolum, ſed etiam re præſens aliquem *judicat*? At quam id ſit abſurdum, impiumque dictu, tam manifeſtum eſt, ut ne oratione quidem egeat. Quid autem opus erat viſionem beatificam naturæ Dei indicare *ſapientiæ beatificantis* vocabulis? Latius enim horum vocabulorum patet ſignificatio, quam ut coarctari ad unam *viſionem beatificam* naturæ Dei, adſtringique debeant. *Sapientia* enim ſua Deus *beatificat*, quoties res ita diſponit, diſtribuitque, ut

1 *Epiſt.* CLXIV. *ad Evodium num.* 8. *p.* 458. *tom.* II *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

2 Anonymus *ibid.* deſcripto Auguſtini loco: » Da queſte parole, *inquit*, ſi rac» coglie, che ſecondo Agoſtino, COSI' fu preſente nel ſeno di Abramo *beatifi*» *cante ſapientia*, COME colla ſteſſa *beatificante ſapientia* era ſtato preſente nel » PARADISO, e COME colla ſua *judicante potentia* lo era ſtato nell' inferno ».

ut inde felix quiſquam dici, & eſſe poſſit, etſi nondum ſit aſſequutus beatitatem illam ſempiternam conſiſtentem in viſione naturæ Dei.

At enim ex his Auguſtini verbis intelligitur, *ita fuiſſe Chriſtum in ſinu Abrahæ beatificante ſapientia, ut eadem beatificante ſapientia præſens fuerat in paradiſo, utque ſua potentia judicante in inferno*. Nego τὸ *ita*. Non enim eſt Auguſtini. Quid autem illud eſt de *paradiſo*, in quo Chriſtus, qua Deus eſt, fuerat etiam ante, quam latroni diceret: *hodie mecum eris in paradiſo*? De quo *paradiſo* ibi Auguſtinus agit? An de eo, in quo fuiſſe dicit Angelos, antequam laberentur [1]? An de paradiſo cum *ſpiritali, tum corporali*, in quo, ait [2], Adamum vixiſſe *beatum*? Profecto ſi de primo, aut altero, ac etiam ſi de utroque; negari non poterit, Verbum Divinum ibi fuiſſe *beatificante ſapientia*. Nam ſi tunc Angelos, Parenteſque primos noſtros *beatos* efficiebat; ſua certe *ſapientia beatificante beatos* efficeret, neceſſe eſt. Quid igitur? an quia ibi erat ſua *beatificante ſapientia*, ejus illi *viſione beatifica* gaudebant? Nihil minus; ut extremo X. *capite libri* XIV. de Civ. Dei [3] Auguſtinus ſcribit, certumque omnino eſt. Fuit igitur in paradiſo utroque illo Divinum Verbum *beatificante ſapientia*, & tamen nec Angeli tunc, nec primi Parentes noſtri Verbi Divini naturam intuebantur. Jam ſi ex eo quod fuerit Divinum Verbum in utroque paradiſo illo *beatificante ſapientia*, non ſequitur Verbi *eſſentiam* Angelis, primiſque Parentibus noſtris fuiſſe conſpicuam; qui tandem ex eo quod item fuerit in ſinu Abrahæ *beatificante ſapientia*, ſequetur, Sanctorum animabus, quæ *beatæ* in ſinu eodem ante Chriſti deſcenſum erant, ita viſendum ſe præbuiſſe Divinum Verbum, ut illud etiam perpetuo intuitæ fuerint? Quod ſi *Paradiſi* nomine ſinum ipſum Abrahæ fuiſſe ibidem ab Auguſtino indi-

1 *Lib.* XIV. *cap.* XI. *de Civ. Dei num.* 2. *p.* 275. *tom.* VII. *edit. Antuerp. an.* 1700
2 *Ibid. cap.* X. *&* XI. *p.* 274. *ſeq.*
3 *Pag.* 274.

indicatum dicas, cave, ne nihil inde plus eſſe conſequutus videare. Jam hoc quæritur, animæ ne Sanctorum in ſinu Abrahæ fruitæ fuerint viſione Dei, nec ne fuerint. Sumere autem tibi uti rem conceſſam, id quod in quæſtione eſt poſitum, non licet. Atque hoc etiam animadverte: argumentum, quod ex iſto Auguſtini loco pro te concluſeris, tale futurum, nihil ut fingi poſſit obtuſius. Quid enim ibi Auguſtinus ait, niſi hoc tantum: Divinum Verbum fuiſſe in Paradiſo *beatificante ſapientia*? Hoc igitur unum inde tibi licebit accipere, nihilque præterea. Fac modo, *paradiſi* nomine Auguſtinus intellexerit *Sinum Abrahæ*; argumentum certe, quod efficere indidem poteris, huc demum recidet: *Qui ſtatuit Verbum Divinum fuiſſe in Abrahæ Sinu beatificante ſapientia; idem ſtatuit, fuiſſe Verbum Divinum in Abrahæ Sinu beatificante ſapientia: Auguſtinus autem ſtatuit Verbum Divinum fuiſſe in Abrahæ Sinu beatificante ſapientia: Auguſtinus igitur ſtatuit, fuiſſe Verbum Divinum in Abrahæ Sinu beatificante ſapientia*. Hoc argumento fingito ineptius quidquam, ſi potes. At *beatificante ſapientia* ibi non fuiſſet, inquies, niſi videndum ſe illis animabus præbuiſſet. Hoc neque dicit Auguſtinus, neque argumentando efficere umquam tibi licebit ex Auguſtini Litteris ad Evodium. Quod ſi ex hiſce non poteris, ne ſpera fore, ut poſſis ex alio quopiam S. Doctoris opuſculo. At eſt, dices, Auguſtinus intelligendus de *Paradiſo* comprehenſorum, ſeu viſione Dei gaudentium Angelorum. De hoc uno Auguſtinum loqui, hariolans tu quidem dices. Nihil enim tale aut ex Epiſtola ad Evodium, aut ex alio quoquam Auguſtini opere evinces. Quum enim tot res, tamque varias Auguſtinus paradiſi conſuerit appellare nomine, qui tu illum vocem heic *paradiſi* univerſe adhibentem, neque quo de *paradiſo* loquatur indicantem, ad unum Angelorum comprehenſorum *Paradiſum* adſtringes? Atque in quocumque paradiſo, non aliunde quiſquam beatus fuit, quam *bea-*

Beatificante Sapientia Dei, qui ubique eſt. Quare lætitia *bonæ conſcientiæ* in homine, quæ *paradiſus* ab Auguſtino vocatur [1]: & *Eccleſia*, quæ item, Auguſtino teſte [2], in *Sanctis temperanter, & juſte, & pie viventibus paradiſus recte dicitur*, quidquid paradiſi habet, Divini Verbi ubique præſentis *ſapientia beatificante* habet. *Non enim alicubi non eſt Chriſtus, cum ipſe ſit ſapientia Dei attingens ubique propter ſuam munditiam* [3]. Quod ſi Chriſtus, qua Deus, in quocumque paradiſo & erat, & eſt *beatificante ſapientia*, nec tamen in QUOVIS paradiſo ſe viſendum aut exhibebat iis, quos beabat; aut exhibet iis, quos beat: quid eſt, quod beaſſe *viſione ſua* Sanctorum animas in ſinu Abrahæ tunc manentes dicendus ſit, ex eo ſolum, quod Auguſtinus in Epiſtola ad Evodium ſcripſerit, fuiſſe eum in *ſinu Abrahæ beatificante ſapientia*? Hoc ratum eſto, in quovis eorum, quos Auguſtinus commemorat, *paradiſo* Verbum Divinum fuiſſe *beatificante ſapientia*; ſed non in omnibus eodem beaſſe modo. Beabat quidem Angelos antequam laberentur, *quia ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt, non tamen ita tantum creati, ut quoquo modo eſſent, & quoquo modo viverent; ſed etiam illuminati, ut ſapienter, BEATEQUE viverent* [4]. Beabat parentes primos noſtros, quia eis *tantam bonorum affluentiam concedebat, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo, nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipiſceretur; nec inerat, quod carnem, animumve hominis feliciter viventis offenderet. Amor erat imperturbatus in DEUM, atque inter ſe conjugum fida, & ſincera ſocietate viventium, & ex hoc amore gaudium, non deſiſtente quod amabatur ad fruendum* [5]. Beabat juſtos & lætitia bonæ conſcientiæ (quam perinde paradiſum ab Au-

ggggg guſti-

1 *Lib.* VII. *de Geneſi ad litt. cap.* XXXIV. *p.* 240. *tom.* III. *opp. P.* I. *edit. ejuſd.*
2 *Ibid.*
3 *Ibid. pag* 241.
4 *Lib.* XI. *de Civ. Dei cap.* XI. *p.* 214.
5 *Ibid. lib.* XIV. *cap.* X. *pag.* 274.

guſtino vocari vidimus) & gaudio ex *ſpe* orto futuri boni, de qua ſane ſpe Auguſtinus ſcribit in XI. *libro de Civ. Dei* [1]: *Quantum pertinet ad delectationem præſentis boni, beatior erat primus homo in PARADISO, quam quilibet juſtus in hac infirmitate mortali: quantum autem AD SPEM futuri* (boni) *BEATIOR quilibet in quibuſlibet cruciatibus corporis, cui non opinione, ſed CERTA VERITATE manifeſtum eſt, ſine fine habiturum omni moleſtia carentem ſocietatem Angelorum in participatione ſummi Dei, QUAM ERAT ille homo ſui caſus incertus in magna illa felicitate paradiſi*. Hoc pacto, quin Deus bearit animas in ſinu Abrahæ *beatifica ſua ſapientia*, Auguſtinus neque negavit uſquam, neque cauſſa eſt ulla, quamobrem negaſſe videatur.

Jam ſi, Auguſtino auctore, BEATIOR Adamo in paradiſo degente *quilibet eſt in quibuſlibet cruciatibus corporis*, cui *certa veritate manifeſtum ſit, ſine fine ſe habiturum* æternam vitam, & gloriam; multo ſane *beatiores* Sanctorum animæ in Abrahæ ſinu fuerint, neceſſe eſt, ut quæ nullis ſenſus doloribus, cruciatibuſve afficiebantur; quibuſque *certiſſima veritate manifeſtum erat, ſine fine ſe habituras omni moleſtia carentem ſocietatem Angelorum in participatione ſummi Dei*.

Verum quid multis eſt opus? Quod de *beatifica præſentia*, atque adeo de *beatificante ſapientia* eſt, id certe non Sanctis ſolum Animabus, ante Chriſtum, in Abrahæ ſinu conſtitutis; ſed hominibus etiam mortalem vitam degentibus, qui pie, ſancteque vivant, Auguſtinus, ut modo eſt demonſtratum, attribuit. Quamobrem ſatis id non eſt, ut inde Sanctorum eorumdem Vet. Teſt. in Sinu tunc Abrahæ agentium animas Deum vidiſſe concludendum ſit. Quæro nunc, an *plena beatitudine*, eaque *ſempiterna*, cui *nihil deeſſet*, ſeu beatitate *ſpeciei*, *qua videtur Deus facie*

1 *Cap.* XII. *pag.* 215.

facie[1] *ad faciem* (quibus verbis Auguſtinus indicare beatitatem in Dei viſione conſiſtentem ſolet) fuiſſe eas animas tunc in Abrahæ ſinu potitas, Auguſtinus idem uſquam ſcripſerit? Non, inquis. Non hem? Si ergo id ſolum felicitatis eas habuiſſe dixit, quod ex *præſentia beatifica*, *vel beatificante ſapientia* oritur; quodque cuique paradiſo eorum, quos nominat, competit; illud vero eas habuiſſe non dixit, quod paradiſo Angelorum, qui ſteterant, peculiare erat, videndi nempe Deum *facie ad faciem* &c: argumento ſane permagno erit, exiſtimaſſe Auguſtinum, beatas illas quidem fuiſſe *præſentia Dei* illuminantis eas oſtenſione non *faciei* ſuæ, ſed *certæ veritatis*, qua prænoſſent perpetuo ſe futuras *ſocias Angelorum* in participatione ſummi boni, ex eaque oſtenſione incredibile ipſas gaudium cepiſſe multo ſcilicet majus eo, quo mortales, ob ſpem futuri boni, affecti, Auguſtino eodem teſte, beatiores ſunt iis, qui deliciis ſeculi hujus circumfluant. Atque hæc eo diſputata ſunt, ut intelligatur, non eodem modo *beatificante ſapientia* fuiſſe Verbum in quoque *paradiſo* eorum, quos Auguſtinus commemorat: quare falſo te, quaſi dictum ab Auguſtino fuerit, ſumſiſſe tibi τὸ *ita* fuit Verbum in *Sinu Abrahæ*, ut fuerat *beatificante ſapientia* in *paradiſo* videntium Deum. Id autem ſi falſo te ſumſiſſe conceſſeris, ut concedere quidem debes, illud item concedas neceſſe eſt, lapſum etiam fuiſſe te mox addentem: *atqui præſentia Divinitatis beatificabat in re beatos paradiſi ſpiritus*. Cedo enim, cujuſnam *paradiſi*? Ejus ne, in quo Angeli illi, qui poſt lapſi ſunt, fuerant *beati*, ut Auguſtinus ſcribit? An ejus, in quo Adamus, & Eva aliquamdiu manſerunt? An lætitiæ, quam bona conſcientia experiebatur? Verum,

ggggg2 qui

1 Vide *lib.* XI. *de Civ. Dei cap.* XI. *p.* 214. & *cap.* XII. *p.* 215. & *lib.* XIV. *cap.* X. *p.* 274. & *cap.* XXV. *p.* 285. & *lib.* XIX. *cap.* III. *p.* 412. & *cap.* IV. *p.* 415. & *ep.* CXXX. *al* CXXI. *ad Probam cap.* II. *p.* 292. & *lib.* LXXXIII. *Quæſtionum. quæſt.* LXV. *num.* 7. *p.* 32. *tom.* VI. *Enarrat. in Pſ.* CXIX. *n.* 6. *p.* 1025. *tom.* IV. ſexcentaquæ alia Auguſtini loca, quorum nos aliqua deſcripſimus *tom.* V. *P.* II. *Antiquitat. Chriſtianar*. *pag.* 171. *ſeqq.*

qui in his erant *paradiſis*, SPE gaudebant, erantque *beati* SPE, non RE viſione Dei fruebantur. Quod ſi de *paradiſo* Sanctorum Angelorum, qui ſteterunt, loquare; oſtendas antea neceſſe eſt, de hoc uno Auguſtinum egiſſe. Id vero oſtendere numquam poteris. Sed fac poſſis oſtendere. Fateor, beatos hujus paradiſi Spiritus viſione Dei, hoc eſt, *re* beatos, poſteaquam ſteterunt, & fuiſſe, & eſſe: quid inde tu commodi conſequere? Etſi enim Auguſtinus affirmet, Chriſtum, qua Deus eſt, beatificante ſapientia in *paradiſo*, inque *ſinu Abrahæ* fuiſſe, antequam Latroni diceret, *hodie mecum eris in paradiſo*; non tamen dicit, *eodem modo*. Sane quocumque modo quoſcumque *beat* Deus, *ſapientia ſua beatificante*, ut dixi, *beat*. Niſi enim ſua *ſapientia* id faciat, qua ratione faciat, qui tandem tu ſuſpicabere? Quamvis autem ſua *beatificante ſapientia* quibuſque quocumque modo *beatis beatitatem* afferat; non tamen eodem modo affert. Itaque do rurſum, fuiſſe Verbum, eſſeque in paradiſo Sanctorum Angelorum, atque in Sinu Abrahæ *beatificante ſapientia*; ſed niſi demonſtraris, eodem modo fuiſſe, nil, mihi crede, proficies. Quod ſi pergas dicere, eodem modo fuiſſe, adeoque in *re*, fruſtra tu quidem, ut monui, perges dicere.

At in doloribus, inquis, animæ illæ fuiſſent, niſi Verbum reipſa vidiſſent: Nam etſi dolore ſenſus caruiſſent, non mediocrem tamen triſtitiam, doloremque cepiſſent, ob ſpem dilatam viſionis illius, qua norant ſe fore plene, cumulateque beatos. *Spes enim, quæ differtur, affligit animam. Proverb. cap.* XIII. *v.* 12. Obtundis me, mihi crede. An toties ego de eadem re audiam? Jam ſi quid animadverſioni iſti veſtræ, non inerat quidem, ſed ineſſe videbatur ponderis; ſublatum id profecto mea opera eſt, nihil ut iſta & ſit, & etiam appareat levius[1].

Verum id ſi ita univerſe intelligendum putas, nihil ut fuerit in Abrahæ Sinu animabus Deum non videntibus gau-

1 *Pag.* 246. *ſeqq. hujus operis.*

gaudii, cur idiſpum non objicis Auguſtino ajenti lib. XIX. *de Civ. Dei* : ſpe futuri ſeculi hominem eſſe [1] BEATUM : & Sermone CCLV. SPES QUANTUM GAUDIUM HABET [2] : & *Enarrat. in Pſ.* CXLV. *ſpes non poteſt eſſe ſine gaudio* [3] ? Nec Auguſtino ſolum objicere tu quidem id poteras, ſed etiam Apoſtolo in litteris ad Romanos [4] ſcribenti *ſpe gaudentes* &c. Quid enim gaudii ſpes afferat, quæ, te auctore, nonniſi tædium, triſtitiamque afferat ? Verum ſic habeto [5], doloris aliquid, ſeu tædii expertos fuiſſe Sanctos illos Spiritus, non *ob ſpem*, ſed ob *dilationem* ſperatæ rei, quam vehementiſſime cupiebant. Sed cum SPE certiſſima perpetuo niterentur, ſeu certa veritate fore prænoſcerent, ſe eſſe potituros ſempiterno regno, eoque in regno ea in natura, qua Deus eſt, viſuros Deum;beatiores certeAdamo in paradiſo terreſtri degente erant, qua beatitate cumulabantur a Verbo, quod eis beatitatem ejuſmodi virtute, actioneque ſua conferens, ſuam iiſdem *præſentiam inſinuabat*. Quamobrem Thomas Auguſtini ſectator, ac vindex, dum de Chriſto ad inferos deſcendente agit III. *part. quæſt.* LII. *Art.* V. *ad* I. „ *ſolvit*, inquit, (*Chriſtus*) *eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ, ex cujus tamen ſpe magnum gaudium habebant*. Neque hæc Thomas ſuo arbitratu dixit. Auguſtinum namque ſequutus eſt auctorem, qui *magnum gaudium* ex ſpe oriri [6] affirmat; dilationemque ſperatæ rei, ſeu *expectationem* patienter ferendam mo-

1 *Cap.* IV. *p.* 415. *tom.* VII.

2 Al. *de Diverſis cap.* V. *p.* 713. *tom.* V. » Ecce SPES lactat nos, nutrit nos, con-
» firmat nos, & in iſta laborioſa vita CONSOLATUR nos. In ipſa SPE canta-
» mus *halleluja*. Ecce SPES QUANTUM GAUDIUM HABET . . . . . Tunc erit
» halleluja IN RE, modo autem IN SPE ».

3 *In Pſal.* CXLV. *num.* 2. *p.* 1211. » Hac ſpe accepta, quæ SPES NON POTEST
» ESSE SINE GAUDIO, quamvis in rebus ſimus difficilibus . . . hac tamen SPE
» erecta anima, quia GAUDET IN SPE, accepit erectionem quamdam &c. »

4 *Cap.* XII. *v.* 12.

5 Vide *pag.* 246. *hujus operis*. Confer etiam quæ ex Gregorii libris deſcripſimus *hujuſce operis p.* 532. *ſeq.*

6 *Tract.* XLV. *in Joh. num.* VI. *p.* 439. *tom.* III. *opp. P.* I. *& Tract.* IV. *in Epiſt. Joh. num.* 2. *p.* 620. *to.* III. *P.* II. *opp. & lib.* XIX. *de Civ. Dei cap.* IV. *p.* 415. *to.* VII.

monet [1]; patientiamque neceſſariam negat eſſe, niſi ubi ſit aliquid tolerandum mali. Expectatio igitur præſertim diuturna rei, quam quis appetit, doloris, moleſtiæve eſt cauſſa; ſed compenſatur ſpe, quæ ſpes tantum affert gaudii, ut, quemadmodum ſupra eſt Auguſtini auctoritate demonſtratum, deliciis quibuſcumque terrenis ſit præferenda. Immo vero ejus, qui certus felicitatis ſempiternæ ſibi divinitus promiſſæ, manifeſtatæque vivit, etſi cruciatu afficiatur, tanta eſt beatitas, Auguſtino teſte, ut eam ſuperet, qua primus homo in paradiſo gaudebat [2]. Quanto autem major fuit felicitas animarum in ſinu Abrahæ ante Chriſti mortem degentium, quæ nullo corporis, animique *ſenſibili*, ut vocamus, cruciatu, ac dolore torquebantur, *certaque veritate* norant, ſine fine ſe fruituras eſſe viſione Dei, in qua ſumma hominis conſiſtit beatitas? Quod ſi animæ illæ, ante Chriſti mortem, intuebantur Deum; qui demum dici poterant *erutæ* ex inferno [3], poſt mortem Chriſti? Nam ſi *erutæ*, non ergo videbant Deum. *Erui* enim quid eſt, niſi liberari ex aliquo pœnæ, faſtidii, tædiive genere? Pœna vero, faſtidium, tædium quemadmodum cadere poteſt in videntem Deum, hoc eſt in eum, cujus ſit pœnam, faſtidium, tædium quodvis excludens, omnique gaudio, & felicitate cumulate perfecta beatitas?

At Auguſtinus in Epiſtola eadem ad Evodium indicaturus Abrahæ Sinum, in quo animæ ante Chriſti Servatoris mortem manebant, ſic habet: *In illo memorabilis felicitatis ſinu: In tantæ illius felicitatis ſinu.* Optime. Quid inde? An hinc efficies, animas eaſdem intuitas fuiſſe Deum? Id ſi ita eſt, jam nihil erit cauſſæ, quamobrem Adamum in paradiſo terreſtri beatum viſione Dei fuiſſe inficiere. Egone? inquies. Tu, inquam, Anonyme, ac tecum

1 *Lib.* XIV. *de Civ. Dei cap.* IX. *p.* 273.
2 Vide *pag.* 247. *ſeq. hujus operis.*
3 Enarrat. *in Pſal.* LXXXV. *num.* 18. *p.* 686. *tom.* IV. *& lib.* XX. *de Civ. Dei cap.* XV. *p.* 448. *tom.* VII. Vide ſupra *p.* 749. *ſeqq.*

tecum una Cadonicus, ac ſi vis etiam Dalhamus. Nam quæro ex te, umquam ne Auguſtini Librum de Catechizandis Rudibus legeris? Quid? Meminiſtin' eorum, quæ ille complexus eſt capite ejus libri XVII.[1] quæque ſunt hujuſmodi? „ Fecit Deus omnia per Verbum ſuum, & „ VERBUM ejus ipſe Chriſtus, in quo REQUIESCUNT „ ANGELI, & omnes CÆLESTES MUNDISSIMI SPI- „ RITUS IN SANCTO SILENTIO „. Jam vides, heic de comprehenſoribus Angelis agi ab Auguſtino, nempe de Angelis intuentibus *facie ad faciem* Deum. Addit mox Auguſtinus: „ HOMO autem peccato lapſus perdidit „ REQUIEM, QUAM HABEBAT IN EJUS (Verbi) „ DIVINITATE, & recepit eam in ejus humanita- „ te „. Audiſtin', *requieſcere* Angelos, *& omnes cæleſtes mundiſſimos Spiritus in Verbo, & in Verbi divinitate requieviſſe* Adamum antequam laberetur? Quidquam tale, tam *ἐμφατικῶς ſignificanter* Auguſtinus de Sanctorum animabus, ante Chriſti mortem, in ſinu Abrahæ quieſcentibus, uſquam ne dixit? Nihil minus. Age igitur, atque ita Adamum quieviſſe in Verbo, ut in Verbo Angeli quieſcunt, dicito; indeque concludito, Adamum fuiſſe fruitum in paradiſo viſione beatifica Divini Verbi, & nihilominus fuiſſe lapſum, eamque requiem perdidiſſe. Non audebis autem; ne graviſſimo errore implicere. Quid ergo eſt, quod ob verba minore quidem emphaſi uſurpata ab Auguſtino, cum de *præſentia beatifica* ageret, ſanctos in ſinu Abrahæ ante Chriſtum fruitos fuiſſe putes viſione Dei? Sed iſthuc, inquies, non quærebam. Scio equidem. Verum eſt id tibi lucri habendum loco, ut qui repereris, quod non quæſiveras. At ego, inquies, de *memorabilis felicitatis ſinu agebam, deque tantæ felicitatis ſinu*. Quid? an minus tibi videtur, quod modo de Adamo ab Auguſtino dictum legiſti, quieviſſe eum in Divinitate Verbi? Verum iſtuc, quo vis, venie-

1 *Cap.* XVII. *num.* 28. *pag.* 105. *tom.* VI.

niebam. An ignoras, ab Auguſtino item fuiſſe paradiſum, in quo erat initio Adamus, vocatum MEMORABILEM BEATITUDINIS LOCUM [1]? Te ne Auguſtiniane ut fugiat, eumdem Auguſtinum *ibid.* addidiſſe: *abſolute beatos fuiſſe* primos parentes noſtros, dum eo in paradiſo manſerunt, *nec timere* quidquam potuiſſe *in tantorum tanta AFFLUENTIA BONORUM*, *amoremque eorum fuiſſe imperturbatum in Deum, & ex hoc amore grande gaudium, non deſiſtente, quod amabatur, ad fruendum*? Quid ergo morare, quin Adamum *beatum* in terreſtri paradiſo pugnes fuiſſe viſione Dei? Quod ſi concludendum nullo modo hinc eſt, Adamum in terreſtri paradiſo fuiſſe beatum aſpectu Dei; qui tandem ex ſimilibus locis tibi licebit concludere, Patrum Sanctorum in Sinu Abrahæ animas tam fuiſſe beatas, ut Dei viſione fruerentur? Nihil enim plus iis tribui ab Auguſtino, vides, quam tributum Adæ in paradiſo voluptatis agenti fuerit. Sed modum faciam.

Interea ex iis, quæ hoc capite complexi ſumus, plane quiſque intelliget, tenere jam me, quod mihi initio propoſueram ad demonſtrandum, Thomam Aquinatem, qui doctrinæ cauſſa,omnem prætergreſſus laudem eſt [2]; qui unus omnium maxime fidus Auguſtini interpres, ac vindex fuit [3]; quique cum multis aliis, tum hoc etiam nomine celebratus miris laudibus a viris eruditione, dignitate, virtute illuſtribus, imprimiſque a Pontificibus Maximis eſt [4], tantique ab Synodis quoque œcumenicis habitus, ut *ſiquid ambiguitatis, aut controverſiæ exortum eſſet., ad eum velut ad lydium lapidem communibus votis referendum* [5] judicarent; Thomam, inquam, Aquinatem, ut cetera providit, quibus alii eſſent abuſuri, ita proſpe-

1 *Lib.* XIV. *de Civ. Dei cap.* X. *p.* 274.
2 Vide Alexandri VII. P. M. teſtimonium *p.* 704. *hujus operis*.
3 Confer quæ ſcripſi *p.* 696. *& ſeqq. hujus operis*.
4 Vide, quæ complexus ſum *pag. hujus operis* 697. *ſeqq.*
5 Vide *pag.* 709. *ſeq. hujus operis*.

ſpexiſſe fore, ut aliqui demum exorirentur, qui loco illo Sancti ejuſdem Epiſcopi, & Patris noſtri Auguſtini ex Epiſtola ad Evodium, quo nunc Cadoniciani maxime confidunt, abuterentur; eumque propterea objeciſſe ſibi, atque ſic fuiſſe interpretatum, ut Eccleſiæ Catholicæ doctrina poſcit, utque Sancti ipſius Antiſtitis vera poſtulat, atque germana ſententia [1]. Quo in genere, ut alias ſemper, ita quod ad rem, cauſſamque maxime noſtram pertinet, tam diligens Thomas, tamque accuratus fuit, ut illud etiam caverit, ne, dum Auguſtini ſententias proponeret, verbis alienis uti videretur. Eſt id vero demonſtratum a nobis tot, tamque perſpicuis, certiſque Auguſtini locis [2], ut plane confidam, qui contra (ſi bona agat fide) pugnare velit, deinceps futurum neminem. Nam quod initio reſponſionis ſuæ S. Thomas ſcribit, *loqui Auguſtinum contra quoſdam, qui æſtimabant, antiquos juſtos, ante adventum Chriſti, in inferno doloribus pœnarum fuiſſe ſubjectos*; id ipſe Thomas mox Auguſtini verbis ex Epiſtola ad Evodium expreſſis oſtendit, atque efficit. Quod addit Angelicus Doctor: *Et ideo cum poſtea* (Auguſtinus) *ſubdit, ſe nondum inveniſſe, quid deſcenſus Chriſti ad inferos antiquis juſtis contulerit, intelligendum eſt quantum ad abſolutionem a doloribus pœnarum; contulit tamen eis quantum ad adeptionem gloriæ, & per conſequens ſolvit eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ, ex cujus tamen ſpe magnum gaudium habebant*: perinde eſt omnino Auguſtinianum, ut multis evicimus [3]. Poſtremo quod adjungit Thomas: *Et ideo ſcribit* (Auguſtinus) *a quibus eum* (Chriſtum) *ſecundum beatificam præſentiam ſuæ Divinitatis numquam video receſſiſſe* [4], *in ſpe, licet nondum eſſent perfecti beati in re*; id item ut apte ad rem ſit [5],

hhhhh & ver-

1 Confer, quæ ſcripſi *p. 720. ſeqq. & p. 733. ſeqq. hujus operis*.
2 *Ibid. pag. 748. ſeqq.*
3 *Ibid. pag. 724. ſeqq.*
4 *Ibid. p. 774. & 776. not. 1. & p. 767. ſeqq.*
5 Ex ſpe *magnum gaudium haberi* teſtatur Auguſtinus, ut videre poteris Lector *pag. 777. hujus operis not. 5. & pag. 789. not. 2.*

& verbis, & ſententia ex Auguſtino acceptum, Lectoribus me, arbitror, non opinione quidem, ſed plane ad veritatem perſuaſiſſe.

Illud me præterea, mihi videor, effeciſſe: inconſulte commiſiſſe Cadonicum, ut Auguſtinus, ſi Patres Veteris Teſtamenti in Abrahæ Sinu, ante Chriſtum, beatitatis conſiſtentis in viſione Dei expertes fuiſſe putarit; putare item debuerit, differri viſionem ipſam oportere Sanctis ad judicii poſtremum diem. Nam ſi oſtendere Cadonicus teſtimonio ullo Auguſtini nequiverit, ſanctos eoſdem in Abrahæ ſinu, ante Chriſtum, gaviſos fuiſſe aſpectu Dei; illud erit omnino reliqui, quod ad Cadonicum ipſum attinet, ut ſanctus Doctor Photianis, Luthero, atque Calvino præiverit, differendamque decrerit Sanctis omnibus ad judicii poſtremi diem *eſſentialem*, quam dicimus, beatitatem. Non poterit autem Cadonicus ullo Auguſtini loco efficere, Sanctos in Sinu Abrahæ aſpectu Dei fuiſſe beatos. Nam ille locus, quo uno confidebat, quemque nobis objicit ex Epiſtola ad Evodium (de Chriſto, *qui ſua beatifica Divinitatis præſentia* a Sanctis illis ſinus Abrahæ *numquam diſceſſiſſet*) ita compoſitus, comparatuſque eſt, ut nihil plus Sanctis iiſdem tributum indicet, quam juſtis mortalem hanc vitam adhuc agentibus, Auguſtino teſte, tribuatur. Ex loco autem, qui nihil plus indicet fuiſſe Sanctis Vet.Teſtamenti in Abrahæ Sinu, ante Chriſtum, tributum, quam Juſtis mortalem adhuc vitam degentibus tribuatur; quis umquam concludet, Sanctos Vet. Teſtamenti in Abrahæ Sinu ante Chriſti tempora vidiſſe Deum? Reſtat igitur, ut locus ſit nullus Auguſtini, ex quo effici queat, Sanctos Veteris Teſtamenti, ante Chriſti tempora, in Sinu Abrahæ fruitos fuiſſe viſione Dei. Atqui, prædicatore Cadonico, ſatis id eſt, ut Auguſtinus præiviſſe [1] Photianis, Luthero, atque Calvino, dicatur, viſionem Dei ad judicii extre-

1 Vide *pag. hujus operis 693. ſeq. not. 2.*

tremum diem cuique differendam eſſe pugnantibus. Cadonico igitur prædicatore, Auguſtinus præivit Photianis, Luthero, atque Calvino errantibus, errandoque ajentibus, viſionem Dei quibuſque Sanctis differri oportere ad judicii extremum diem. Quo quid fingi poſſit Auguſtino injurioſius, ne Cadonicus quidem intelligit, ut qui in *Dialogo priore ſuo*, nihil ſe magis exhorreſcere teſtetur, quam Auguſtinum cum hæreſiarchis illis in faſcem unum conjici, & compingi cernere[1].

CAPUT II.

I. De teſtimoniis rurſum agitur Auguſtini conſonis communi orthodoxorum ſententiæ. II. Proponuntur, & explicantur Sancti ejuſdem Doctoris loca ex lib. XII. de Geneſi ad Litteram, ex Epiſtola ad Dardanum, ex Tractatibus in Johannem. III. Ex Enarrationibus in Pſalmos, ex Libris adverſus Manichæos, & Pelagianos perſcriptis. IV. Exque Sermonibus de SS. Machabæis, de SS. Innocentibus, deque Lazaro, & Epulone, quibus locis Cadonicus poſt novos-Lutheranos, & Calvinianos abutitur.

DE locis Auguſtini ex Epiſtola ad Evodium ſatis eſt, ut arbitror, diſputatum Capite ſuperiore. Atque ea quidem loca expendentes vidimus, quam levia ſint argumenta, quæ inde ab Cadonico, ejuſque patronis concluſa ſunt. Sequitur, ut doceam, multo eſſe leviora, quæ iidem ex aliis quibuſdam Sancti ejuſdem Doctoris locis concludere conantur. Quod antequam faciam, ferent, opinor, Lectores mei, ipſis ut in memoriam revocem Sancti Antiſtitis teſtimonia, quibus communis omnium orthodoxorum firmatur ſententia, quæque Capite ſuperiore fuſe, copioſeque perſequuti ſumus. Sic

hhhhh 2 autem

1 Vide *pag. hujus operis* 688. *not.* 2.

autem illis confirmo, atque recipio, me ipſis moleſtum non futurum. Nam omnia equidem comprehendam brevi.

§. I.

De teſtimoniis rurſum agitur Auguſtini conſonis communi orthodoxorum ſententiæ.

Ergo Auguſtinus populo explicans Pſalmi LXXXV. *verſum* 13. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*, modos ejus interpretandi affert omnino duos, quorum certe unus non ſolum non pugnat cum altero, ſed etiam conſiſtit una, facileque componitur [1]. Qua in re ea ſe prorſus ratione gerit, qua geſſit ſeſe, cum in II. Retractationum libro [2] locum Apoſtoli e 1. *ad Corith. cap.* XV. *v.* 50. in-

1 Vide *p.* 749. *ſeqq. not.* 1. *hujuſce operis.*

2 *Cap.* III. *p.* 31. *tom.* 1. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. » Liber, *inquit*, de *Ago-
» ne Chriſtiano* fratribus in eloquio latino ineruditis humili ſermone conſeri-
» ptus eſt fidei regulam continens, & præcepta vivendi. In quo illud poſitum
» eſt: *Nec eos audiamus, qui carnis reſurrectionem futuram negant, & commemo-
» rant, quod ait Apoſtolus Paulus, caro, & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt,
» non intelligentes quod ipſe dicit Apoſtolus: oportet corruptibile hoc induere incor-
» ruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem; cum enim hoc factum fuerit,
» jam non erit caro, & ſanguis, ſed cæleſte corpus:* non ſic accipiendum eſt, quaſi
» carnis non ſit futura ſubſtantia, ſed carnis, & ſanguinis nomine, ipſam cor-
» ruptionem carnis, & ſanguinis intelligendus eſt Apoſtolus nuncupaſſe, quæ uti-
» que in regno illo non erit, ubi caro incorruptibilis erit. Quamvis & aliter poſ-
» ſit intelligi, ut carnem, & ſanguinem opera carnis, & ſanguinis dixiſſe accipia-
» mus Apoſtolum, & eos regnum Dei non poſſeſſuros, qui perſeveranter iſta di-
» lexerint «. Videſne, ut Auguſtinus ipſe cognorit, aliqua ſe alicubi dixiſſe, quæ
accipi poſſent in pejorem partem, eaque ipſe per ſe declararit, ne iiſdem abute-
rentur, qui tunc reſurrectionem carnis negabant? Hinc intelligere poteris, ſi
fuiſſent tunc exorti ii, qui præſentem Chriſtum eſſe in Eucharistia inficiantur,
aliquot loca opuſculorum ſuorum fuiſſe item Auguſtinum declaraturum. Quin
etiam ſi Eccleſiæ auctoritate finita tunc controverſia illa fuiſſet, quæ inter Scripto-
res Eccleſiaſticos fuerat, de differenda, an non differenda viſione Dei ad judicii
diem, nullum dubium eſt, quin Auguſtinus multa ſuorum operum loca fuiſſet
illuſtraturus, ne in pejorem ſignificationem a quoquam raperentur. Quo ſpe-
ctat egregia illa Thomæ Aquinatis animadverſio *in Epiſt. ad Urbanum IV. P. M.
præfixa opuſculo* 1 quod eſt *contra errores Græcorum pag.* 1. *edit. Bergom. an.* 1741.
» Quod aliqua in dictis Græcorum antiquorum Sanctorum, *inquit Thomas*, in-
» veniantur, quæ modernis dubia videntur, ex duobus exiſtimo provenire; pri-
» mo quidem, quia errores circa fidem exorti occaſionem dederunt Sanctis Ec-
» cleſiæ Doctoribus, ut ea, quæ ſunt fidei, majori circumſpectione traderent ad
» eliminandos errores exortos; ſicut patet, quod Sancti Doctores, qui fuerunt
» ante

interpretaretur. Nam ibi quoque duo genera interpretationum verbis Apoſtoli: *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*: &: *caro & Sanguis Regnum Dei non poſſidebunt* adhibet; quorum eſt genus unum, ut *τὸ caro, & ſanguis corruptionem carnis, ſanguiniſque* indicet, quæ *utique* corruptio *in Regno* Dei *non erit*: alterum, ut verba eadem, *caro & ſanguis opera carnis* ſignificent, ut *ii Regnum Dei non ſint poſſeſſuri*, qui *perſeveranter* opera *iſta dilexerint*. Etſi autem horum generum alterutro intelligi verba illa Apoſtoli poſſint; ſitque, aut eſſe queat in eo uno, alterove modo interpretando diſſenſio: tamen orthodoxorum erit omnino nemo, qui ſine hæreſeos crimine audeat, aut *corruptionem in Regno Dei* futuram; aut eos, qui *perſeveranter opera carnis dilexerint*, Regno ipſo eſſe potituros defendere. Quod idem de re noſtra ſtatuendum eſt. Etſi enim ſit interpretatio verſui 13. Pſalmi LXXXV. ab Auguſtino adhibita duplex, poſſitque eſſe in *verſus* ejuſdem propria ſignificatione diſſenſio; tamen doctrinæ capita, quibus interpretatione illa duplici aptatur verſus idem Pſalmi, tam ſunt, aut tam eſſe poſſunt certa, atque teſtata,

» ante errorem Arii, non ita expreſſe loquuti ſunt de unitate Divinæ eſſentiæ, ſicut » Doctores ſequentes, & ſimile de aliis contigit erroribus, quod non ſolum in » diverſis Doctoribus, ſed in uno EGREGIO DOCTORUM AUGUSTINO ex» preſſe apparet. Nam in ſuis libris, quos poſt exortam Pelagianorum hæreſim » edidit, cautius loquutus eſt de poteſtate liberi arbitrii, quam in libris, quos » edidit ante dictæ hæreſis ortum, in quibus libertatem arbitrii contra Manichæos » defendens aliqua protulit, quæ in ſui defenſionem erroris aſſumſerunt Pela» giani divinæ gratiæ adverſantes. Et ideo non eſt mirum, ſi moderni fidei Do» ctores poſt varios errores exortos CAUTIUS, ET QUASI ELIMATIUS LO» QUUNTUR circa doctrinam fidei ad omnem hæreſim evitandam. Unde ſi ali» qua in dictis Antiquorum Doctorum inveniuntur, quæ cum tanta cautela non » dicantur, quanta a modernis ſervatur, non ſunt contemnenda, aut abjicienda, » ſed NEC ETIAM EA EXTENDERE OPORTET, SED EXPONERE RE» VERENTER. Secundo, quia multa, quæ bene ſonant in lingua Græca, in » Latina fortaſſis bene non ſonant &c. » Contra animadverſionem Thomæ, quæ plane Auguſtiniana eſt (Vide *lib* x. *de Civ. Dei cap.* II. *p.* 314. *tom.* VII. *opp. Auguſt. edit. Antuerp. an.* 1700. & *lib.* XVIII. *cap.* LI. *p.* 403. *ſeq.* & libro *de Vera Religione cap.* x. *num.* 20. *p.* 562. *ſeq. tom.* I. *edit. ejuſd.* & libro *de Catechizandis Rudibus cap.* XXIV. *p.* 211. *tom.* VI. & libro *de Dono Perſeverantiæ cap.* XX *pag.* 563. *tom.* x.) agit perpetuo in operibus ſuis Cadonicus, cum malit Auguſtinum non *interpretari reverenter*, ut Eccleſiæ Catholicæ doctrina ſciſcit, ſed *extendere* ejus ſententias ad novorum Lutheranorum, Calvinianorumque commentum.

teſtata, ut nemini orthodoxo liceat iiſdem impune reſiſtere.

Jam vero poſterior ei verſui ab Auguſtino adhibita interpretatio eſt omnino hujuſmodi [1]: „ Fortaſſis apud „ inferos eſt aliqua pars inferior, quo truduntur iniqui, „ qui plurimum peccaverunt [2]. Etenim apud inferos „ utrum in locis quibuſdam non fuiſſet Abraham, non „ poſſumus definire [3]. NONDUM ENIM DOMINUS „ VENERAT AD INFERNUM, UT ERUERET INDE „ OMNIUM SANCTORUM PRÆCEDENTIUM ANI- „ MAS, ET TAMEN ABRAHAM IN REQUIE IBI „ ERAT [4]. Et quidam dives cum torqueretur apud in- „ feros, cum videret Abraham, levavit oculos: Non „ enim poſſet levatis oculis videre; niſi ille eſſet ſuperius, „ ille inferius [5] „. Quis autem non plane videat, τὸ *fortaſſis* non in *infernum* [6] generatim, atque univerſe cadere, quaſi dubium ſit, in inferis reprobos torqueri; ſed in *diſtinctionem* duorum *infernorum*, quorum eſſet ſuperior alter, alter inferior? Rurſum quis umquam locum hunc Auguſtini legens non ſtatim intelligat, τὸ *non ſatis poſſumus definire*, non eo ſpectare, quaſi dubitarit Auguſtinus, fuerit ne, an non fuerit Abrahamus [7] in inferno? Nam ſi dubitaſſet, quo demum illud evaderet, quod nihil hæſitans, nullaque adhibita conditione idem excipiendo addit Auguſtinus: *Et tamen Abraham ibi erat*? Quo illa tam certa, tamque firma nihil titubantis ab Auguſtino ipſo reddita ratio: *Nondum enim Dominus venerat ad infernum*; ut *erueret inde omnium Sanctorum præcedentium animas*? Fuerit quacumque de re velis τὸ *non ſatis poſſumus definire* [8] ab Auguſtino adhibitum, fuerit etiam

1 Vide *pag.* 751. *ſeqq. hujus operis in not.*
2 Vide, quæ ſcripſi *ibid.*
3 Confer, quæ ſcripſi *ibid.*
4 Vide *pag. hujus operis* 753. *ſeqq. in not.*
5 *Ibid.*
6 *Vide hoc opus noſtrum pag.* 751. *ſeqq. in not.*
7 Vide hujus operis *pag.* 752. *ſeqq. in not.*
8 Qua de re, quo ſenſu, & cur dictum id ab Auguſtino fuerit, oſtendi libri *hujus cap.* 1. *pag.* 753. *ſeqq. in not.*

etiam τὸ *fortaſſis* [1], quod hæſitationem indicare videtur; illud certe firmum ſemper, atque immotum ex Auguſtini ſententia manebit, quod poſitum ab eo uti firmum, ratum eſt nullaque particula involutum aut conditionis, aut dubitationis. Manebit igitur certum, Auguſtini ſententia, *Abrahamum* in inferis fuiſſe, propterea quod nondum Chriſtus Sanctorum animas inde eruturus ad infernum veniſſet.

Age vero ſi hæc vera non eſt Auguſtino viſa ſententia, cur hanc unam explicando Pſalmi LXXXV. verſum 13. protulit, docuitque populum; oppoſitæ contra, quam Cadoniciani ei fuiſſe probatam defendunt, non modo non monuit eſſe adjungendam aſſenſionem, ſed ejus ne mentionem quidem fecit? Ita ne Auguſtinus populum docebat, ut veras ſententias prætermitteret, eique opiniones leves, vanas, abſurdas proponeret, dum Scripturas interpretaretur; neque indicium daret ullum, unde ſuſpicari ſaltem quis poſſet, cavendum ſibi ab iis eſſe, neque committendum, ut iiſdem conſenſiſſe umquam videretur? Credat hoc qui volet; equidem, niſi qui injuriam conflare Auguſtino velit, fore puto, qui credat, neminem.

Rurſum Auguſtinus in *vigeſimi libri de Civitate Dei quinto* ac *decimo capite*, locum illum ex Apocalypſi Johannis [2] explicans: *mors, & infernus dederunt mortuos ſuos*: „ Nec, *inquit*, non ſatis fuit ut diceret *mors*, aut *infer-* „ *nus*, ſed utrumque dictum eſt, *mors* propter bonos, „ qui tantummodo mortem perpeti potuerunt, non & „ *infer-*

1 Oſtendi item ibid. cur., & quo ſenſu τὸ *fortaſſis* uſurpatum fuerit ab Auguſtino. Quamquam particulas dubitandi interdum Auguſtinus adhibeat de rebus etiam, quas certiſſimas eſſe noverit. Velut in 1. *Retractat. cap.* IV. *num.* 3. *pag.* 5. *tom.* I. *opp. edit. ejuſd.* „ Nec illud mihi placet, *inquit*, quod in iſta vita „ Deo intellecto jam beatam eſſe animam dixi, NISI FORTE SPE „. At ſpe eſſe GAUDENTEM hominem, & BEATUM proinde, plus millies nihil hæſitans certo dixit, quemadmodum aliquot etiam exemplis adductis oſtendimus, quæ ſane exempla revocaſſet Auguſtinus, ſi minus accurate propoſita fuiſſe putaſſet. Verum qui potuiſſet, non impugnata Apoſtoli, reprobataque ſententia?

2 *Cap.* XX. *v.* 13.

„ *infernum* : *infernus* autem propter malos, qui etiam „ pœnas apud inferos pendunt. SI ENIM NON AB- „ SURDE CREDI VIDETUR, ANTIQUOS ETIAM „ SANCTOS, QUI VENTURI CHRISTI TENUE- „ RUNT FIDEM, LOCIS QUIDEM A TORMEN- „ TIS IMPIORUM REMOTISSIMIS, SED APUD „ INFEROS FUISSE, DONEC EOS INDE SANGUIS „ CHRISTI, ET AD EA LOCA DESCENSUS „ ERUERET; PROFECTO DEINCEPS BONI FI- „ DELES EFFUSO ILLO PRETIO JAM REDEMTI „ PRORSUS INFEROS NESCIUNT [1] „. Ecce autem ut iterum Auguſtinus Scripturam interpretans communem doctrinam proponit; Cadonicianam vero ne commemoratione quidem dignatur. Numquam vero Doctor imprimis ſapientiſſimus commiſiſſet, ut ineptum in modum veram præteriret; eamque ſententiam, quam aut inanem, aut minus ſimilem putaſſet veri, conſectaretur. Ac ſi hanc eſſe non veram, propterea que improbandam exiſtimaſſet, non eamdem unam commemoraſſet; & ſi etiam commemoraſſet, monuiſſet lectores ſuos, eam ut negligerent, aut ſcirent eſſe ſaltem ab ea ſibi, ut ab re incerta, cohibendam aſſenſionem. Tantum autem abſuit, ut hanc minus eſſe probandam innueret, ut contra hujus unius meminerit, ac prætermiſſa quavis alia, ad hanc unam Apocalypſeos locum accommodarit. Hæc igitur una vera illi eſt viſa ſententia. Quod autem Auguſtinus ait, *non abſurde credi videtur*, ejuſmodi eſt, ut ſignificet, *non contra, atque ratio poſtulet, credi videtur, ſed apte ad rationem*; quod adductis aliquot S. Doctoris teſtimoniis demonſtravi capite ſuperiore adverſus contortas, atque a communi ſenſu alienas interpretationes Cadonici [2]. Neque particula *ſi*, qua vir ſummus utitur, quidquam mihi negotii exhibet. Non enim dubitantis eſt,

1 *Pag. 448, tom. VII. edit. Antwerp. an. 1700.*
2 Vide *pag. 759. ſeqq. hujus operis*.

eſt, ſed rem certam *ſupponentis*, atque inde rem item certam conſtituentis, velut illud eſt Evangelicum: *ſi in digito Dei ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei*. Atque hoc erit reliqui, ut Cadoniciani, dubitaſſe Auguſtinum dicant, an *ante tempus legis, & tempore ipſo legis juſtos Patres ex fide viventes, non poſſibilitas naturæ infirmæ, & indigæ, ſed Dei gratia per fidem juſtificaret, & nunc etiam eadem in apertum jam veniens revelata juſtificet*; propterea quod idem ſanctus Antiſtes ſcripſerit: *SI & ante tempus legis &c.* [1] Sed ab afferendis aliis exemplis ſuperſedebo, ne longus ſim. Horum autem mihi ſuppetunt perplura. Quod ſi *conditionem* in re noſtra τὸ SI Auguſtini dubitantis, non rem ſibi uti certam ſumentis indicaret; hac una ſententia contentus s. Doctor non fuiſſet, neque ad hanc umam, ut animadverti, accommodaſſet Apocalypſeos locum de morte, & inferno; ſed contrariam huic doctrinam, ſi judicaſſet aut veram, aut ſimiliorem veri, vel ſolam propoſuiſſet, vel cum hac noſtra una commemoraſſet, indicaſſetque hanc negligi, illam contra defendi oportere. Ridiculum enim eſt, ei ſententiæ aptare Scripturæ locum, quam ſententiam falſam, aut inanem, aut minus eſſe ſimilem veri arbitrere; neglecta, ac prætermiſſa contraria, quam putes aut veram eſſe, aut ad veritatem propenſiorem [2].

Quin etiam Auguſtinus in I. contra Julianum libro [3] hoc Johannis Chryſoſtomi ex Homilia de Reſuſcitatione Lazari teſtimonio deſcripto: „ *Flebat Chriſtus, cur uſque* „ *ad hoc mortalitas deliquiſſet, ut excuſſa de perennitatibus* „ *inferos adamaret &c.* „. Sic diſſerit: „ Quid dici poſ- „ ſet expreſſius? Si Adam grandi peccato ſuo omne „ genus humanum in commune damnavit, numquid niſi

iiiii damna-

1 *Epiſt.* CLXXVII. *al.* XCV. nomine Epiſcoporum quinque ad Innocentium I. Pontificem Maximum ſcripta. *n.* 15. *p.* 477. *to.* II. *edit. Ant. an.* 1700.

2 Confer, quæ ſcripſi *pag.* 763. *ſeqq.* & 765. *ſeq.* quo loco oſtendi doctos, Sanctoſque viros, qui ætatem Auguſtini proxime attigerant, hunc item locum, ut a nobis accipitur, intellexiſſe.

3 *Cap.* VI. *num.* 24. *p.* 337. *tom.* X. *edit. opp. Antuerp.* Vide *p.* 770. *hujus operis*.

„ damnatus parvulus naſcitur? Et per quem, niſi per „ Chriſtum ab iſta damnatione liberatur? Si ET IN LA„ ZARO dicitur EXCUSSA de PERENNITATIBUS „ mortalitas INFEROS ADAMASSE, quis mortalium „ non ad ISTAM CULPAM, CASUMQUE pertineat? „. PECCATO igitur ADÆ (Auguſtino contra Julianum agente teſte locupletiſſimo) INFEROS *adamavit de perennitatibus excuſſa mortalitas*, Lazaruſque ipſe ad eam CULPAM, CASUMQUE pertinuit. Amicus autem Chriſti erat Lazarus, nec proinde culpa illigatus fuiſſe credendus eſt. Itaque reſtat, ut reatu fuerit obſtrictus ferendæ pœnæ excluſionis e Regno Dei obducto peccati cauſſa quoad Chriſtus ad inferos deſcendiſſet; utque propterea anima Lazari eo quatuor dierum ſpatio, quo a ſuo fuit ſejuncta corpore, in inferis manſerit. Quæ quidem etiam eſt Johannis Chryſoſtomi, quam, ut quiſque cernit, Auguſtinus vehementer probat [1], ſententia.

Præterea Sanctus idem P. N. Auguſtinus *in Sermone* ad *Catechumenos*, ſi modo ei tribuendus eſt, verba Symboli: *tertia die reſurrexit* &c. explicans „. In ventre, „ *inquit*, beſtiæ marinæ poſitus Jonas Sanctus oravit: „ IN INFERNO CHRISTUS DESCENDENS MOR„ TUOS SUSCITAVIT [2] „. Sic ille Catechumenorum animos informabat ad religionem. Quid autem hoc eſt: *in inferno* Chriſtus *deſcendens mortuos ſuſcitavit*? aut quid hiſce verbis intelligere Catechumeni poterant, quam eo deſcendiſſe Chriſtum, ut mortuos illos in inferno manentes exſuſcitaret? Hæc enim eſt facilis, atque obvia verborum illorum ſignificatio. Novitiis autem iis, qui ne rudimentis quidem eſſent imbuti religionis non plana, facili, obvia verborum, ſed perpaucis nota, abſtruſa, abdita ſignificatione articulos Symboli interpretari Auguſtinum, ſiquidem ejus Sermonis eſt auctor, voluiſſe, quis cre-

1 Vide *pag* 770. *ſeq. hujus operis*.
2 *Cap.* VI. *p.* 429. *tom.* VI. *o pp. edit. Antuerp. an.*1700.

credat, qui ut intelligi ab imperita rerum plebe poſſet, ne rationem quidem interdum puræ latinatis habuiſſe videtur? Quid vero opus deſcenſu, mortuorum reſuſcitandorum cauſſa, fuiſſet, ſi illi in inferis non fuiſſent? Atque eos quidem *in inferno ſuſcitatos* a Chriſto deſcendente Auguſtinus ſcribit. Eſt autem perridiculum, *ſuſcitatos* eos a *deſcendente Chriſto* ad inferos, *ſuſcitatos*, inquam fuiſſe dicere, quorum non eſſent animæ *in inferferno*. Sed qui *ſuſcitati* a deſcendente Chriſto *in inferno* fuerunt, qui tandem erant, niſi Sancti? Nam Matthæus *multa corpora* SANCTORUM, *qui dormierant, ſurrexiſſe* teſtatur [1], & Auguſtinus idem in Epiſtola, qua tantopere ſeſe adverſarii efferunt, in eis tunc ſaltem fuiſſe futurum Davidem putat [2], ſi eis ipſis reſurrectio jam æterna donata fuiſſet. Quæ res plane indicat, juſtos illos, Auguſtini ſententia, fuiſſe ſuſcitatos, quibus nihil ferendum pœnæ ſenſus fuerat, non qui pœnis purgatoriis cruciabantur, quos numquam vir maximus Sanctorum appellat nomine.

Atque hinc etiam intelligitur, quamobrem S. Doctor libri Eccleſiaſtici auctoritate fretus, veri eſſe ſimilius putarit, Samuelis animam fuiſſe in inferis, atque inde fuiſſe evocatam, Saulique interitum prænunciaſſe [3]. Age vero in inferis animæ Sanctorum, cauſſa pendendæ temporariæ pænæ, in *inferis*, inquam, ut Auguſtinus ſæpe, ac multum animadvertit, *numquam appellatis in bono* [4], animæ illæ juſtorum manentes beatæ qui tandem fuiſſent viſione Dei? Pœnam enim *animabus* iiſdem ſejunctis a ſuis corporibus *inlatam* ſine aliquo doloris, triſtitiæve genere intelligere qui poſſumus? Quemadmodum

iiiii 2 vero

1 *Cap.* XXVII. *v.* 51.

2 *Epiſt.* CLXIV. *al.* XCIX. *num.* 9. *pag.* 438. » Durum autem videtur, ut David » non fuerit in illa reſurrectione juſtorum, ſi eis jam æterna donata eſt, cujus » Chriſtus ex ſemine tam crebro, & tanta evidentia, tantaque honorificentia » commendatur ».

3 Vide quæ ſcripſi *pag.* 778. *hujuſ. operis*, & Nourrium *to.* 3. *App. in Bibl. PP. pag.* 422.

4 Vide hujus operis *pag.* 768. *ſeqq.*

vero componi ullum triſtitiæ, dolorisve genus cum *eſſentiali beatitate* poteſt, unde, Auguſtino ipſo Prædicatore [1], omnis aufugit dolor, atque triſtitia? Manet igitur, ut juſtorum animæ inferis, Auguſtini ſententia detentæ, beatæ non fuerint viſione Dei.

Quod eo certe firmatur magis, quo (quidquid demum inferorum intelligi velis nomine) opus habuerint liberatore, qui eas inde ERUERET. ERUI autem ex *inferis* numquam appellatis *in bono*, quid eſt, quam ab aliqua pœna liberari? Quotus vero quiſque eſt, qui & BEATUM aſpectu Dei quemquam eſſe, & egere LIBERATORE arbitretur, qui eum EX POENA, ſeu ex INFERIS ERUAT numquam APPELLATIS IN BONO?

§. II.

De teſtimoniis Auguſtini ex libris de Geneſi ad litteram, ex Epiſtola ad Dardanum, exque Tractatibus in Evangelium Johannis.

His etſi tam claris, tamque perſpicuis S. P. N. Auguſtini teſtimoniis Cadoniciani tamen novorum Lutheranorum, Calvinianorumque commenta ſequuti aliquot ex ceteris ejus operibus obſcuris, alioque pertinentibus locis veluti noctes, ac tenebras obducere conantur. Objiciunt autem nobis (præter Epiſtolam ad Evodium, quam expendimus Capite ſuperiore) ῥητὰ quædam ex XII. *libro de Geneſi ad litteram* [2], exque *Epiſtola* CLXXXVI. *al.* LVII. ad

1 Confer quæ ſcripſi *ibid.*

2 *C.* XXXIII. *n.* 62. *to.* III. *opp. P.* I. *p.* 239 *ſeq. edit. Antuerp. an.* 1700. » Nec » audiendi ſunt, qui affirmant inferos in hac vita explicari, nec eſſe poſt mortem. » Viderint enim quemadmodum poetica figmenta interpretentur, nos ab auctori- » tate Divinarum Scripturarum, quibus SOLIS de hac re fides habenda eſt, re- » cedere non debemus. Quamquam poſſimus oſtendere, illorum quoque ſapientes » de inferorum ſubſtantia minime dubitaſſe, quæ poſt hanc vitam excipit animas » mortuorum. Unde autem SUB TERRIS ESSE DICANTUR INFERI, ſi cor- » poralia loca non ſunt, aut UNDE inferi APPELLENTUR, SI SUB TERRIS » NON SUNT, MERITO QUÆRITUR. Animam vero non eſſe corpoream „ non

ad Dardanum [1]. Qua in re etiam rationem imitantur Elmenorſtii [2], Reiſeri [3], aliorumque e factionibus Lutheri, Calvinique [4] Scriptorum. Sed bene habet. Longe namque ante, quam hi orirentur, Sanctus Thomas providerat,

» non me putare, ſed plane ſcire, audeo profiteri: tamen habere poſſe ſimilitu-
» dinem corporis, & CORPORALIUM MEMBRORUM QUISQUIS NEGAT',
» POTEST NEGARE, ANIMAM ESSE, QUÆ IN SOMNIS VIDET, VEL SE
» AMBULARE, VEL SEDERE, VEL HAC, ATQUE ILLAC GRESSU, AUT
» ETIAM VOLATU FERRI, AC REFERRI, QUOD SINE QUADAM SIMI-
» LITUDINE CORPORIS NON FIT. Proinde ſi hanc ſimilitudinem etiam
» apud inferos gerit, non corporalem, ſed CORPORI SIMILEM, ita etiam
» in locis videtur eſſe non CORPORALIBUS, ſed CORPORALIUM SIMILI-
» BUS, ſive in requie, ſive in doloribus. Quamquam & illud me, nondum in-
» veniſſe CONFITEOR, INFEROS APPELLATOS, UBI JUSTORUM ANI-
» MÆ REQUIESCUNT. Et Chriſti quidem animam veniſſe uſque ad ea loca,
» IN QUIBUS PECCATORES CRUCIANTUR, UT EOS SOLVERET A TOR-
» MENTIS, QUOS ESSE SOLVENDOS OCCULTA NOBIS SUA JUSTITIA
» JUDICABAT, NON IMMERITO CREDITUR. Quomodo enim aliter ac-
» cipiendum ſit, quod dictum eſt, *quem Deus ſuſcitavit ex mortuis ſolutis dolo-*
» *ribus inferorum*, *quia non poterat teneri ab eis*, non video, niſi, ut quorum-
» dam dolores apud inferos eum ſolviſſe accipiamus ea poteſtate, qua Dominus
» eſt, cui omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, per quam
» poteſtatem etiam in doloribus, quos ſolvit, non potuit, adtineri. Neque
» enim Abraham, vel ille pauper in ſinu ejus, hoc eſt in ſecreto quietis ejus, in
» DOLORIBUS ERAT, inter quorum requiem, & ILLA INFERNI TORMEN-
» TA legimus magnum chaos firmatum. Sed nec apud INFEROS ESSE DICTI
» SUNT. *Contigit enim*, inquit, *mori inopem illum*, *& auferri ab Angelis in*
» *Sinum Abrahæ*. *Mortuus eſt autem*, *& dives*, *& ſepultus eſt*, *& cum apud in-*
» *feros in tormentis eſſet &c.* Videmus igitur inferorum mentionem non eſſe factam
» in requie pauperis, ſed in ſupplicio divitis. Illud etiam, quod Jacob dicit ad
» filios ſuos, deduceris ſenectam meam cum triſtitia ad inferos, videtur hoc ma-
» gis timuiſſe, ne nimia triſtitia ſic perturbaretur, ut non ad requiem beatorum
» iret, SED AD INFEROS PECCATORUM. Neque enim parvum animæ ma-
» lum eſt triſtitia, cum & Apoſtolus cuidam tam ſollicite timuerit, ne majore
» triſtitia abſorberetur. Proinde ut dixi, nondum inveni, & adhuc quæro, nec
» mihi occurrit inferos alicubi in bono poſuiſſe Scripturam dumtaxat Canonicam:
» non autem in bono accipiendum Sinum Abrahæ, & illam requiem, quo ab
» Angelis pius pauper ablatus eſt, neſcio utrum quiſquam poſſit audire: & ideo
» quomodo eam APUD INFEROS CREDAMUS ESSE, non video. Verum hoc
» dum quærimus & aut invenimus, aut non invenimus, urget nos longitudo li-
» bri hujus eum aliquando concludere». Hunc nobis locum objectum ab ſe dicit Cadonicus *Vindiciar. Auguſtinianar. cap.* XVI. *p.* 256.

1 *Cap.* II. *num.* 5. *ſeqq. p.* 517. Hunc nos locum deſcripſimus *p.* 744. *ſeq. in not.* Eumdem nobis opponit Cadonicus *cap.* XVI. *Vindiciar. Auguſtinianar. p.* 214.

2 *In cap.* LXXVIII. *lib. a Gennadio perſcripti, de Dogmatibus Eccleſiaſticis: pag.* 179. *ſeq. edit. Hamburg. an.* 1614.

3 In Opere inſcripto: *Sanctus Auguſtinus in Africa Epiſcopus Hipponenſis &c. Contra Bellarminum, & alios Scriptores Papæos vindicatus: edit. Francofurt. an.* 1678. *p.* 78. *ſeqq.*

4 Chamierus *Panſtratiæ p.* 1129. *&* 1131. *edit. Genev. an.* 1726. Pearſonius *in Expoſit. Symboli Apoſtolici, edit. Francofurten. an.* 1691. *p.* 424. *in not.* Mitto ceteros, qui magno numero ſunt, quoſque ſi Cadonicus juſſerit, numerabo. Nihil enim mihi accidere poteſt jucundius, quam ut ei morem imperanti geram.

rat, hæc item s. Antiſtitis loca rapi a cupidis novarum rerum in pejorem partem poſſe; quamobrem eſſe objicienda ſibi, atque explicanda putarat. Quod quidem ita perfecit, ut Auguſtinum [1] nulla re a communi doctrina diſcrepaſſe oſtenderit.

Ego vero non quæram modo, quid Thomas dicat. Patiar, Cadonice, de inferis ita ſenſerit Auguſtinus, ut voles. Nam meditor eſſe deinceps libera lis tecum. Quid? An in alterutro horum locorum ex XII. *de Geneſi ad litteram*, exque *Epiſtola ad Dardanum* quid quam eſt, ex quo Sanctos Veteris Teſtamenti Patres, ante Chriſtum, in Abrahæ Sinu fuiſſe aſpectu Dei beatos, ſit conſequens? Nihil eſt profecto.

At eos, inquis, utroque in loco, Auguſtinus ait, fuiſſe *requieſcentes*. Quis hoc negat? Annon etiam Gregorius Magnus [2], annon Thomas [3], annon ceteri orthodoxi eoſdem in Sinu Abrahæ requieviſſe, immo gaudio etiam affectos fuiſſe contendunt, & tamen fuiſſe aſpectu Dei beatos vehementer negant? Quid? Nonne Auguſtinus ipſe Abrahamum requieſcentem *in inferis* ſtatuit, quos, ait,

1 *In* IV. *ſentent. d.*45. *qu.*1. *art.* 1. *in* 1. *Arg.* hæc ſibi opponit: „ Auguſtinus dicit „ *in* XII. *ſuper Geneſim ad Litt. cito quidem reſponderi, ad corporalia loca animam* „ *non ferri, niſi cum aliquo corpore* „. Reſpondet. „ Ad 1. dicendum, quod incor„ poralia non ſunt in loco modo aliquo nobis noto, & conſueto, ſecundum quod „ dicimus corpora proprie in loco eſſe; ſunt tamen in loco modo ſubſtantiis ſpi„ ritualibus convenienti, qui nobis plene manifeſtus eſſe non poteſt „. *Ibid. art.* II. *in* 1. *Argum.* „ Sicut dicit Auguſtinus XII. ſuper Geneſim ad litteram: *Non*„ *dum inveni alicubi in bono propoſuiſſe Scripturam*: Sed Sinus Abrahæ in bono ac„ cipitur, ut ibidem ſubjungit Auguſtinus dicens: *Non in bono accipiendo Sinum* „ *Abrahæ, & illam requiem, quo ab Angelis pius pauper ablatus eſt, neſcio utrum* „ *quiſquam poſſit audire* „. Reſpondet: „ Ad 1. ergo dicendum, quod quantum „ ad id, quod habebat de bono ſtatus Sanctorum Patrum, *Sinus Abrahæ* diceba„ tur; ſed quantum ad id, quod habebat defectum, dicebatur infernus, & ſic nec „ Sinus Abrahæ in malum accipitur, nec infernus in bonum, quamvis quodam„ modo ſint unum „. *In* III. *ſententiar. diſt.* XXII. *qu.* II. *art.* 1. *in Arg.* „ Sicut „ enim dicit Auguſtinus, *inquit*, ad Dardanum: *nomen inferni in Scriptura ſem*„ *per in malo accipitur* „. Reſpondet: „ Ad 1. ergo dicendum, quod nomen in„ ferni, ſecundum quod importat locum, non ſonat in malum tantum, & ſic po„ teſt competere Chriſto; ſecundum autem quod importat pœnam damni, vel „ ſenſus, ſic Chriſto competere non poteſt, quia ſic ſonat etiam in malum „ culpæ „.

2 Vide *hujus operis p.*755. *in not.*

3 Confer *p.* 723. *ſeq. hujus operis.*

ait, nunquam ſe reperiſſe appellatos [1] *in bono*? Næ tu prodigus eris viſionis beatæ largitor, ſi quoſcumque Auguſtinus requieſſe dicat, beatos fuiſſe perges defendere aſpectu Dei [2]. Eſt autem illud perridiculum, ut tu, qui Adamum hac tanta beatitate diminuas, quem tamen Auguſtinus fuiſſe beatum, felicitatemque obtinuiſſe dicat in *Divinitate Verbi* [3]; idem, ob unam *requiem* ab eodem Auguſtino Sinui Abrahæ, ante Chriſti mortem, attributam, juſtos tunc in eo Sinu, conſtituas, fuiſſe aſpectu Dei beatos.

Quod ſi horum duorum locorum quibus abutere, neuter quidquam continet, unde concludere fas ſit, juſtos in Sinu Abrahæ, ante Chriſti mortem, fuiſſe potitos æterna vita, ſeu beatitate, quæ in viſione Dei conſiſtit, quid eſt, quod hos nobis eſſe obiiciendos putaveris? Hac enim in primis de re inter nos eſt orta contentio. Quum autem in his locis nihil ſit, quod efficere queat, Auguſtini quidem judicio, ſanctos illos in Sinu Abrahæ vidiſſe Deum; ea nunc in nos intorquere, perinde erit, ac oblitum te eſſe inſtituti tui; dareque operam, ut nihil reipſa agas, cum adductis longiſſimis teſtimoniis plurimum agere videare.

At Auguſtinus: „ quomodo, *inquit*, eam requiem „ *Abrahæ*, apud inferos credamus eſſe non video [4] „. Sit ita. Exemerit Auguſtinus ex quibuſcumque inferis Sanctos Veteris Teſtamenti, etiam ante Chriſti tempora: quid? an erit iſtinc conſequens, Patres eoſdem tum item beatos fuiſſe aſpectu Dei? Noſti tu quidem, pleroſque omnes ſcriptores illos, qui viſionem differendam putabant eſſe ad judicii extremi diem, & Sanctos in inferis conſtitutos negabant; in requie tamen hos eſſe conceſſiſſe [5]. Nulla igitur erit ratio, quamobrem Auguſtinum

ex

1 Vide ſupra *p.* 748. *ſeqq.* & *p.* 768. *ſeq.*
2 Vide *p.* 774. *ſeqq. hujus operis*, & *pag.* 777. & 785. *ſeqq.*
3 Vide *pag.* 791. *ſeq. hujus operis*.
4 Loco deſcripto ſupra *pag.* 803. *ſeq. not.* 2.
5 Cadonicus ipſe *in Vindiciis cap.* II. *p.* 29. „ Vigilantius, *inquit*, Apoſtolos „ ſub

ex inferis Sanctos Teſtamenti Veteris eximentem, eoſque requieviſſe in Abrahæ Sinu ajentem, viſione Dei eoſdem auctos putaſſe, arbitrere; niſi quid præterea proferas, ex quo intelligi poſſit, *facie illos ad faciem* [1] intuitos fuiſſe Deum. Nihil autem quidquam ejuſmodi protuliſti, nec vero proferre poteris. Qua ex re illud eſſe video plane conſequens, te ab Auguſtino invidiam dilatæ ad judicii diem viſionis Dei eo uno nomine avertere conantem, quod ille Patribus SS. Vet. Teſt. ante Chriſti tempora in Abrahæ Sinu beatitatem viſionis datam putarit; te, inquam, cum id oſtendere numquam potueris, id egiſſe, ut Sanctus idem Doctor (quæ quidem tua ſingularis facultas fuit) in ejus quam Lutherus deinceps, atque Calvinus ſectati ſunt, de differenda ſanctis ad Judicii diem viſione Dei, in ejus, inquam, hæreſeos luto hæſiſſe videatur.

Quamquam nihil eſt etiam cauſſæ, cur ex locis illis concludendum ſit, Veteris Teſtamenti Sanctos ne in inferno quidem ſuperiore fuiſſe. Nam dum eos in inferis non fuiſſe Auguſtinus *ibidem* ſcribit, de *inferis* agit *peccatorum*, de *inferis tormentorum*, & *ſuppliciorum*, in quibus ditem Epulonem fuiſſe detruſum legimus, de *inferis* denique, quos magnum chaos dividebat ab requie juſtorum. At hi *inferi* ſunt *inferiores*, ut alibi ab Auguſtino ſcribi animadvertimus. Ceterum ne verbo quidem Auguſtinus uſquam in iis locis indicavit, Sinum Abrahæ non fuiſſe in *inferno ſuperiore*. Cum autem alibi in *inferno* [2] *ſuperiore* fuiſſe Sinum eumdem Abrahæ affirmarit, ſtandum ea ſancti Doctoris tam aperta ſententia eſt, cui in XII. libro de Geneſi ad litteram, vel in Epiſtola ad Dardanum nihil ſit adverſi. De Epiſtolæ quidem ad Dardanum

loco

» ſub cuſtodia detineri uſque ad judicii diem dixerat, Dei quidem viſione, &
» conſortio orbatos, SED TAMEN IN REFRIGERIO, ET, IN ALIQUA FE-
» LICITATE, ET PACE, QUIA, UT PRÆNOTATUM EST IPSOS IN FOR-
» TUNATORUM INSULIS, ET CAMPIS ELYSIIS RECLUDEBAT ».

1 Vide *p. 787. not. 1. hujus operis*.

2 Vide *pag. hujus operis 748. ſeqq. in text. & in not.*

loco egiſſe me ſupra, memini [1]. Locum autem ex libro XII. de Geneſi ad litteram a nobis paulo ante deſcriptum conſulito, deprehendeſque, nil ei a nobis ipſis ademtum, nil additum fuiſſe.

Quamquam non video, quemadmodum tibi, Cadonice, liceat *libros* hoſce *de Geneſi* Sermonibus Catecheticis Auguſtini opponere. Nam de his ipſis libris Auguſtinus idem (mitto enim quæ ad Marcellinum ſcribit [2]) in altero *Retractationum libro cap.* XXIV. [3] hoc in „ opere, *inquit*, „ plura quæſita, QUAM INVENTA SUNT; ET EO- „ RUM, QUÆ INVENTA SUNT, PAUCIORA FIR- „ MATA; cetera VERO ITA POSITA, VELUT ADHUC „ REQUIRENDA SINT „. Hujus ne generis libros, non Sermones Catecheticos ſequeris, quibus Auguſtinus aperte, diſtincte, determinate, ut erat opus, docebat Chriſtianam plebem? Hiſce ne libris, in quibus plura *quæſita, quam inventa* ſunt, & ea *quæ inventa ſunt pauciora firmata, cetera vero ita poſita, velut adhuc requirenda ſint*, clariſſimis S. Doctoris teſtimoniis expreſſis ex Enarrationibus in Pſalmos, quibus ille populum inſtituebat, tenebras offundere conare? Quod ſi ob rationem ſimilem iſti tuæ implicandorum clariſſimorum Auguſtini e Sermonibus Catecheticis locorum, quæ ſunt de Euchariſtia, Proteſtantes a Controverſiarum Theologicarum Tractatoribus caſtigati ſunt [4], qui tandem ſperes, te impune laturum?

1 *Pag.* 774. *in not.*

2 *Epiſt* CXLIII. *al.* VII. *num.* IV. *p.* 352. *tom.* II. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700: Auguſtinus ſcribit: „ Periculoſiſſimarum quæſtionum libros *de Geneſi* ſcilicet, & „ de *Trinitate* diutius teneo, quam vultis, & fertis, ut ſi non potuerint, niſi „ habere aliqua, quæ merito reprehendantur, ſaltem pauciora ſint, quam eſſe „ poſſent, ſi præcipiti feſtinatione ederentur. Vos enim, ut veſtræ indicant lit- „ teræ (nam hoc mihi etiam ſanctus Frater, & Coepiſcopus meus ſcripſit Floren- „ tius) ideo ut edantur urgetis, quo poſſint a me, dum in hac carne vivo, defen- „ di, cum vel ab inimicis mordentibus, vel etiam AB AMICIS PARUM INTEL- „ LIGENTIBUS forraſſe IN QUIBUSDAM CŒPERINT ACCUSARI „. Jam Cadonicus ex *amicis* illis erit, ut qui, etſi non verbo, at te tamen accuſet, cum ex his libris occaſionem dicendi arripit, Auguſtinum a communi Patrum, Orthodoxorumque ceterorum doctrina diſſidere.

3 *Pag.* 17 *tom* I. *opp edit. Antuerp. an.* 1700.

4 Vide *hujus operis pag.* 741. *not.* 1.

Age vero ſi iis, quæ in libris *de Geneſi* diſputata ſunt, ſtandum tibi eſſe omnino putas, ecquid de anima humana ſtatues? Spiritum ne eam eſſe dices, etſi omni prorſus corpore vacantem, at corporis tamen ſimilem, eamque propterea ſedere, greſſu etiam ferri, volare denique [1] videri? Quid? Si ad reproborum infernum deſcendiſſe Chriſtum, indeque aliquos exemiſſe efficies? Nam non *immerito credi*, Auguſtinus ait, Chriſtum uſque ad ea deſcendiſſe loca, *in quibus peccatores cruciantur*, ut eos *ſolveret a tormentis, quos eſſe ſolvendos occulta nobis ſua juſtitia judicabat* [2]: quæ nos verba de exemptis inde aliquot animabus, quæ igne purgatorio torquebantur, intelligimus, etſi id S. Doctor hoc eodem in loco non explicet. Sic autem intelligimus, non modo quod alibi quædam ille ponat, unde percipi poſſit, de iis ipſum animabus diſſerere, quæ temporariis pœnis addictæ erant; ſed quod etiam id curandum ſit, ut ne quid tantus Doctor, quod a catholica doctrina diſſideat, uſquam ſtatuiſſe videatur. Re-

1 S. Auguſtinus *lib.* XII. *de Geneſ. ad litt. cap.* XXXIII. *num.* 62. *p.* 219. „ Animam „ habere poſſe ſimilitudinem corporis, & corporalium omnino membrorum quiſ„ quis negat, poteſt negare animam eſſe, quæ in ſomnis videt vel ſe ambulare, „ vel ſedere, vel hac, atque illac greſſu, aut etiam volatu ferri, ac referri, „ quod ſine quadam ſimilitudine corporis non fit. Proinde ſi hanc ſimilitudinem „ etiam apud inferos gerit, non corporalem, ſed corpori ſimilem ita etiam in lo„ cis videtur eſſe non corporalibus, ſed corporalium ſimilibus ſive in requie, ſive „ in doloribus „. Verum ut ſapienter animadvertit S. Thomas *in* IV. *ſententiar. diſt.* XLIV. *qu.* III. *art.* III. *Quæſtiunc.* II. *ad* 3. *Arg.* „ Dicendum, quod Auguſti„ nus ibi inquirendo loquitur, non determinando, ſicut fere per totum illum li„ brum. Patet enim, quod non eſt ſimilis ratio de anima dormientis, & de ani„ ma ſeparata. Anima enim dormientis utitur organo imaginationis, in qua cor„ porales ſimilitudines imprimuntur, quod de anima ſeparata dici non poteſt „. Hoc eſt Auguſtinum legiſſe, neque legiſſe modo, ſed etiam intellexiſſe, apteque ad ejus ſententiam, rationemque explicaſſe. Alioqui probaſſe aliquid Auguſtinum, diceres, ejus ſimile, quod in Epicureis irridet apud Ciceronem Cotta in I. de Natura Deorum *cap.* XXVI. „ negat, *inquiens*, Epicurus, corpus eſſe Deorum, SED „ TAMQUAM CORPUS ait, nec SANGUINEM, ſed TAMQUAM SANGUI„ NEM. Mirabile videtur, quod non rideat haruſpex, cum haruſpicem viderit: „ hoc mirabilius, quod vos inter vos riſum tenere poſſitis. *Non eſt corpus, ſed quaſi* „ *corpus*. Hoc intelligerem, quale eſſet, ſi id in cereis fingeretur, aut fictilibus „ figuris... Quid ſit quaſi corpus, aut quaſi ſanguis intelligere non poſſumus „. Atque hæc Auguſtinum dubitaſſe, quis credat, qui toties animam *totam* in corpore toto, rurſumque *totam* in qualibet corporis parte eſſe ſtatuit? Tota autem in qualibet corporis parte eſſe qui poſſet, ſi partes ipſa ad corporis ſimilitudinem haberet?

2 *Lib.* XII. *cap.* XXXIII. *num.* 63. *p.* 240. *tom.* III. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

Redeo ad rem. Fac Auguſtinus quæſtionem noſtram, ita ut vis, propoſuerit. Fac etiam inveſtigarit, inferorum ne nomen quodcumque bonum excludat, adeo ut ne aliunde quidem orti quidquam pati queat boni. Quid? An hoc *firmavit*? „ NONDUM, *inquit*, inveni & „ ADHUC QUÆRO [1], nec mihi occurrit, inferos ali- „ cuibi in bono poſuiſſe Scripturam dumtaxat Canoni- „ cam „. Cujuſmodi hoc eſſet *firmandi* genus, quo quis teſtetur, nondum ſe inveniſſe quidpiam, ſed adhuc quærere, & quærere quidem ex Scripturis *dumtaxat*? Quid vero hoc eſt *ex Scripturis dumtaxat*? An conſenſionis Eccleſiæ? An traditionis nullam eſſe rationem habendam putare potuit is, qui toties traditioni &c. eſſe omnino adherendum conſtituit? Quis hoc ſibi prudens perſuadeat? Qua de re autem traditio, conſenſioque Eccleſiæ & ſit, & fuerit, demonſtratum eſt. Verumtamen, ut ajebam, qui *adhuc* quidquam *quærit*, is nihil ſtatuit. Videamus nunc jam, an deinceps invenerit, quod quærebat. Librum hunc XII. abſolverat Auguſtinus anno 414. ut Monachi Sancti Mauri animadvertunt [2]. Jam vero *librum* XX. *de Civitate Dei* poſt annum 420. [3] Auguſtinus perſcripſit, ac fortaſſe non ante annum 426. Libros autem contra Julianum [4] non ante an. 421. Librum vero de VIII. Dulcitii quæſtionibus poſt an. 419. Mitto de Sermone ad Catechumenos quærere. Video enim, ut dixi, eſſe multos, qui eum Auguſtino tribuendum negent. Quam recte, ipſi viderint. Enarrationem denique in Pſ. LXXXV. [5] Auguſtinus poſt librum de Geneſi ad litteram duodecimum perfeciſſe videtur. In his porro poſterioribus operibus S. Doctor ſinum Abrahæ, ante Chriſti tempora, in inferis col-

1 *Ibid. num. 64. pag. 240.*
2 *In Admonitione in hos libros pag. 87. tom. ejuſd.*
3 Vide *Præfat. Monachor. S. Mauri in tom.* VII. *opp. S. Aug.*
4 Confer eorumdem Monachorum *Admonit. in libb. Aug. contra Julian. tom.* X. *opp. pag. 326. edit. ejuſd.*
5 Nam hac in Enarrat. Auguſtinus nihil hæſitans, ac proinde certo ſtatuit *Abraham* ibi, hoc eſt in inferis fuiſſe.

collocat, ut & ſuperiore [1], & hoc ipſo Capite demonſtratum eſt. Repererit proinde neceſſe eſt, quod ſeſe ante quæſiſſe teſtatur, *inferorum nomen* etſi per ſe ipſum non *inveniatur in bono*, at ſaltem non omne aliunde ortum, profectumque bonum excludere. Jam quot ſint cauſſæ vides, quamobrem & nihil his libris de Geneſi ad litteram contineri, quod nobis adverſetur; & ſiquid minus diſtincti contineatur, id contra aperta, perſpicua, certa Auguſtini teſtimonia, contraque Eccleſiæ univerſæ traditionem, atque conſenſionem non eſſe adhibendum. Quare deſine, oro te, communem orthodoxorum, quæ eadem etiam atque Auguſtini eſt, doctrinam iſtiuſmodi librorum, quibus abuteris, locis refellere; ac, ſi ſapis, trade rurſum te Paſtoribus Eccleſiæ in diſciplinam.

Ac de locis ex libro XII. *de Geneſi ad litteram*, exque Epiſt. ad *Dardanum* acceptis ſatis dictum eſt. Quamquam de Epiſtola ad Dardanum illud etiam addi poſſet, quod *pagina hujuſce operis* 647. *&* *pag.*648. *ſeqq.* dixi, quodque, volo, ut in memoriam revoces.

At ſuppetere tibi jactas, non *ex Epiſtolis*, neque ex *libellis*, quos ad viros eruditione præſtantes Auguſtinus ſcripſerit; ſed ex Tractatibus *in Joannis Evangelium*, ſeu ex Orationibus, quas ad Populum habuit, inſignem locum, quem Faſſonius tam pertimuit, ut ne attingendum quidem ſibi eſſe exiſtimarit. Ac *dolui*, inquis irridens, *dolui profecto, hunc præclariſſimum locum a P. Faſſonio neglectum, ne eruditionem ſuam, & in elegantioris grammatices receſſus peritiam denuo admirarer*. Lepide dictum! Verum, ſi me audis, cavebis tibi, ne quid deinceps adhibeas facetiarum. Non enim licet, mihi crede, tibi, præſertim agenti de re grammatica. Sed affer locum. Experiamur, num is locus explicari a me poſſit, ut fert revera Auguſtini, contra atque ipſe putes, ſententia. *Tractatu*, inquis, XLIX. *in Johannem* [2], ſic habet: „Si-
„cut

1 *Pag. hujus operis* 748. *ſeqq. & pag* 796. *ſeqq.*
2 *Num.* I. *pag.* 452. *tom.* III. *opp. P.* II. *edit. Antuerp. an.* 1700.

„ cut ergo diverſæ cuſtodiæ agentium in officio , ſic
„ diverſæ cuſtodiæ mortuorum, & diverſa merita re-
„ ſurgentium. Receptus eſt pauper , receptus eſt di-
„ ves; ſed ille in ſinu Abrahæ, ille ubi ſitiret, & gut-
„ tam non inveniret. Habent ergo omnes animæ, ut
„ ex hac occaſione inſtruam caritatem veſtram, habent
„ omnes animæ, cum de hoc ſeculo exierint, diverſas
„ receptiones ſuas. Habent gaudium boni, & mali tor-
„ menta. Sed cum facta fuerit reſurrectio, & bono-
„ rum gaudium amplius erit , & malorum tormenta
„ graviora, quando cum corpore torquebuntur. Re-
„ cepti ſunt in pace Sancti Patriarchæ , Prophetæ,
„ Apoſtoli, Martyres , Boni fideles; omnes autem ad-
„ huc in fine recepturi ſunt, quod promiſit Deus. Pro-
„ miſſa enim eſt reſurrectio etiam carnis, VITA ÆTER-
„ NA CUM ANGELIS, hoc omnes ſimul accepturi ſu-
„ mus. Nam requiem, quæ continuo poſt mortem da-
„ tur, ſi ea dignus eſt, tunc accipit quiſque cum mo-
„ ritur. Priores acceperunt Patriarchæ, videte ex quo
„ requieſcunt, poſteriores Prophetæ, recentiores Apo-
„ ſtoli, multo recentiores Sancti Martyres , continuo
„ boni fideles. Et alii in iſta requie tamdiu ſunt, alii
„ non tamdiu, alii paucioribus annis, alii recenti tem-
„ pore. Cum autem ab hoc ſomno evigilaverint, SI-
„ MUL OMNES , QUOD PROMISSUM EST , AC-
„ CEPTURI SUNT „.

Hiccine ille eſt tam præclarus Auguſtini, quo tantopere confidis, locus? Verum eſt is locus primum explicandus tibi: Quæ namque *vita* iſta *æterna* eſt, quam Auguſtinus in eo Tractatu diſtinguit ab *requie*; & qua *vita* quidem *æterna* poſt reſtitutionem corporum Sanctos cum Angelis eſſe potituros docet; *requie* vero jam eſſe potitos? Conatum ne illum fuiſſe, putas, populo perſuadere, differendam ad reſurrectionem uſque Sanctis eſſe *viſionem Dei*, in qua ille ipſe conſtituit rationem

ater-

æterna vita? Quod ſi contra putas, cur hunc profers locum *de æterna vita*, quam omnes Sancti una ſimul extremo ſint mundi tempore conſequuturi?

At *requiem*, inquis, Auguſtinus primum Patriarchis, inde Prophetis, poſt Apoſtolis, deinceps Martyribus conceſſam ſcribit. Quid hoc ad rem? Quotus quiſque tam pervicax Photianus [1] eſt, qui etſi, Sanctos ante reſtitutionem corporum humanorum Deum eſſe viſuros neget; non ultro concedat, eos interea frui requie? Photianis ne, atque adeo Luthero, Calvinoque præiviſſe Auguſtinum, horumque inani, falſo, pravo dogmate, arrepta OCCASIONE, INSTRUXISSE CARITATEM ſuorum auditorum defendes?

Non id, inquis, defendo. Cur igitur eo loco abutere, cui ſiquid ineſt, hoc certe ineſt difficultatis, non ut efficere poſſit, conceſſam Sanctis ante Chriſti mortem fuiſſe viſionem Dei; ſed ut ne concedendam quidem eſſe ad judicii poſtremum diem, efficere videatur?

Dices, te jam oſtendiſſe ex Epiſtola ad Evodium Sanctis Patriarchis, ſtatim atque e vita hac mortali deceſſerant, fuiſſe videndi Dei poteſtatem factam. Rurſum ad ingenium redis. Sed demonſtratum principio a me eſt, nihil plus [2] Auguſtini verbis illis, verbis, inquam, illis ex Epiſtola ad Evodium tribui Sanctis Patribus, qui ante Chriſtum in Sinu Abrahæ fuerant, quam idem Auguſtinus tribuere conſuerit juſtis mortalem hanc vitam adhuc agentibus. Quare tibi ex ea Epiſtola præſidii nihil petere licet, quo tuam de Sanctis in ſinu Abrahæ, ante Chriſtum, viſione Dei beatis ſententiam tueare. Deinde non privatis Epiſtolis [3], ut ſæpe alias animadverti, infor-

1 In Actis Synodi Florentinæ an. 1438. Tit. *Quæſtio de Igne Purgatorio p.22. to.1X. Concilior. edit. Pariſ. an.* 1714. Photianorum error his verbis exponitur: „ Sunt inter Græcos qui ita ſentiant: *Sanctorum animas non eſſe perfectam conſequutas beatitudinem, ſed in loco verſari ſeparato, ibique* LÆTARI *mente volventes cogitationem de perfecta, qua ipſos manet laureola, abſolutaque beatitudine, & adeptione regni Dei* ».

2 Vide *hujus operis pag.* 774.

3 Vide *hujus operis pag.* 741. *ſeq. not.* 2.

informata fuit plebis Chriſtianæ fides, ſed inſtitutionibus, orationibuſque Antiſtitum Catecheticis. Quemadmodum enim iis Epiſtolis inſtitui populus Chriſtianus poterat, de quibus ne fando quidem audiviſſet? Sed Tractatus hic in Johannem ſermo eſt ab Auguſtino ad populum habitus, quare Sanctus Doctor, populum ipſum eodem Sermone alloquens: *Ex hac*, inquit, *occaſione inſtruam catatem veſtram*, quæ tu verba litteris grandioribus deſcripſiſti [1], ut ad ea animum adverterent lectores tui. Atque idem Populus perſæpe ab Auguſtino acceperat, *vitam æternam* eamdem eſſe atque *viſionem Dei* [2]. Quare cum *æternam vitam* differri ad *carnis reſurrectionem* ex eo audiverit; quid, te judice, inde intelligere potuit, quam, ante extremum mundi tempus ab juſtis videndum non eſſe Deum? Id autem eo eſt concedendum omnino tibi, quod rei certæ loco ſtatueris; niſi oſtendatur, Sanctis Veteris Teſtamenti Patribus conceſſam Dei viſionem fuiſſe ex Auguſtini ſententia, id fore reliqui, ut Auguſtinus idem reus fuerit ad extremum uſque mundi tempus dilatæ viſionis Dei. Jam vero populus ab Auguſtino inſtitutus numquam ab Auguſtino acceperat, Sanctos Veteris Teſtamenti auctos ante Chriſtum fuiſſe beatitate conſiſtente in *intuitiva*, quam dicimus, *Dei viſione*. Quod ſi negas, oſtende ſi potis es, quo Tractatu, aut quo Sermone, aut qua Enarratione eam rem Auguſtinus

1 Cadonicus *in Animadverſionibus in librum P. Faſſonii* in extremum ſuum *de D. Auguſtini, qua videtur ſententia &c.* opus rejectis *p.* 293.

2 *Sermone* CCCII. *de S. Laurentio al.* III. *de diverſis cap.* VIII. *tom.* V. *opp. p.* 857. Et *Sermone* CXXVII. *al.* LXIV. *de Verbis Domini cap.* IX. *num.* 13. *p.* 416. » VIDEBIMUS EUM SICUTI EST: IPSA EST VITA ÆTERNA. Nam totum quidquid dicebamus, nihil eſt ad illam vitam. Quia vivimus, quid eſt? Quia ſalvi ſumus, quid eſt? Quia VIDEBIMUS DEUM: magnum. IPSA EST VITA ÆTERNA. Ipſe hoc dixit. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te unum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Hæc eſt VITA ÆTERNA, ut cognoſcant, VIDEANT capiant, norint, quod crediderant; percipiant, quod nondum capere poterant ». Confer etiam *Sermonem* CCCLXXII. *al. de Reſurrect. Mortuor.* II. *cap.* XXIX. *num* 30. *p.* 1001. & *Tractat.* XXI. *in Joh. n.* XV. *p.* 136. *tom.* III. *P.* II. Sed tempus me deficeret, ſi omnia, quæ hac de re ſunt in Enarrationibus in Pſalmos, in Tractatibus in Joh. in Sermonibus, inque ceteris opuſculis Auguſtini, loca deſcribere inſtituerem.

nus docuerit populum. Nam Epiſtola ad Evodium [1] (ut toties te ipſum rerum novarum cupidos imitantem refellens animadverti) neque quidquam tale continet; neque, ſi quid minus diſtincti contineret, id quoniam ſcriptum privatim fuit, cognitum eſſe poterat Chriſtianæ plebi. Age vero, ſi plebs ab Auguſtino non acceperat, atque adeo ne cognorat quidem, SS. Veteris Teſtamenti datum fuiſſe, ut ante Chriſti mortem Deum intuerentur; quid, te auctore, ſupererat, niſi ut ea audiens *vitam æternam* poſt reſurrectionem eſſe denique impetrandam, crederet, *viſionem Dei*, ex Auguſtini ſententia, differri oportere ad reſtitutionis corporum humanorum diem? Id autem cum fateri cogare, ex eo *Tractatu* eſſe conſequens; (ſi tueri perges tuum canonem de dilata ab Auguſtino ad judicii diem viſione Dei, niſi tibi Doctor idem Sanctus præiviſſet), quæ tibi mens Tractatus ejuſdem nobis opponendi fuit? An ut animas, quæ ante Chriſti mortem erant in Sinu Abrahæ, gaviſas fuiſſe aſpectu Dei confiteremur. Verum ei Tractatui & nihil uſquam tale ineſſe video; & ſiquid ineſt, ut dixi, difficultatis (quæ re tamen ipſa non ineſt) huc tandem videtur recidere, ut ad reſtitutionem uſque corporum humanorum Sanctis ſit differenda in Dei viſione conſiſtens beatitas. Quod ſi hoc tibi volebas, cur non item alia Auguſtini nobis objeciſti loca, quibus ii primum confidebant, qui ante Benedicti XII. tempora errorem ejuſmodi propagare ſtuduerant, quibuſque deinceps Lutherus, atque Calvinus abuſi ſunt? Atque adfers tu quidem locum ex Sermone I. in Pſalmum XXXVI. [2] de quo paulo poſt videro. Sed erant perplures alii, quibus perinde abuti poſſes, ut ille ex *Serm.* CCLXXX. *al.* [3] *de diverſis cap.* V. quo loco. „ Non„ dum, *inquit*, receptis fructibus ſuis beati ſunt modo „ Sancti Martyres, quoniam cum Chriſto ſunt animæ „ eorum.

1 Vide *hujus operis pag.* 774. *ſeqq.*
2 *Num.* XI. *p.* 197. *tom.* IV. *opp. edit.* 1700.
3 *Cap.* V. *pag.* 792. *tom.* V.

„ eorum . Quid autem paretur illis in reſurrectione,
„ quis poteſt verbis explicare ? *Quod oculus non vidit*,
„ *nec auris audivit*, *nec in cor hominis aſcendit*, *quæ præ-*
„ *paravit Deus diligentibus ſe* [1] „ . Et in Pſalmum XLIII. „ [2]
„ *Illa viſio facie ad faciem liberatis in reſurrectione ſerva-*
„ *tur* . Et illi Patres etiam novi Teſtamenti, quamvis
„ revelata tua myſteria viderint, quamvis revelata
„ ſecreta annunciaverint, tamen in ſpeculo ſe vi-
„ dere dixerunt, & in ænigmate. SERVARI autem
„ VISIONEM in FUTURUM FACIE AD FACIEM,
„ QUANDO VENERIT, quod ipſe Apoſtolus ait:
„ *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum*
„ *Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita ve-*
„ *ſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*. TUNC
„ ergo NOBIS SERVATUR VISIO ILLA FACIE AD
„ FACIEM &c. Etſi ergo tunc Patres noſtri non te vi-
„ derunt facie ad faciem, SECUNDUM QUOD TU
„ ES, etiamſi iſta viſio SERVATUR IN RESURRE-
„ CTIONE &c. „ . Et I. Retractationum cap. XIV. [3] Qui-
„ nam illi ſint beatiſſimi, qui jam ſunt in ea poſſeſſione,
„ quo ducit hæc vita, magna quæſtio eſt. Et Angeli
„ quidem Sancti, quod ibi ſint, NULLA QUÆSTIO
„ EST; ſed de Sanctis hominibus jam defunctis, utrum
„ ipſi ſaltem dicendi ſint jam in illa poſſeſſione conſiſte-
„ re, MERITO QUÆRITUR. Jam enim corpore cor-
„ ruptibili, quo anima aggravatur, exuti ſunt; ſed
„ adhuc expectant etiam ipſi redemtionem corporis
„ ſui; & caro eorum requieſcit in ſpe, nondum in fu-
„ tura incorruptione clareſcit. Sed utrum ad contem-
„ plandam cordis oculis veritatem, ſicut dictum eſt,
„ FACIE AD FACIEM nihil ex hoc minus habeant,
„ non hic locus eſt diſputando inquirere „ . Ab his au-
tem, aliiſque Auguſtini locis, (quæ nihil revera contra

1 Sunt hæc accepta ex *Serm*, CCCXXVIII. *al*. CXVII. *de Diverſis c.7. n.6. p.896. to.v.*
2 *Num.* V. *tom.* IV.
3 *Num.* II. *pag.16. tom.* I.

Eccleſiæ doctrinam continent, quæque ſiquid prima ſpecie evincerent, non illud certe evincerent, quod ab novis Lutheranis, Calvinianiſque contra Eccleſiam Romanam [1] defenditur, quodque tu ſequi te profitere; ſed quod Lutherus, Calvinuſque tuentur, & a quo tu liberari Auguſtinum negas poſſe, niſi ille novo dogmati communi Eccleſiæ ſententiæ adverſario, exque novis Lutheranis, Calvinianiſque accepto, tibique probato aſſenſus dicatur fuiſſe, adeo ut ad eas ſit S.Doctor anguſtias [2], temetipſo teſte,redactus, ut in alterutrum iſtarum opinionum portentum incidiſſe dicendus ſit) ab his, inquam, Auguſtini locis afferendis cur tandem temperaſti tibi, id ſi volebas, ut, quoniam in iſtam novam lapſus Auguſtinus idem non eſt,in alteram ſaltem quæ Photianorum,deindeque Lutheri,Calvinique propria fuit,egiſſe ipſum ſeſe præcipitem confirmares,teque magis magiſque non ejus vindicem probares,ſed qualis es reipſa perpetuum accuſatorem?

At urges me, ut cum neutrum horum duorum inanium dogmatum placuiſſe Auguſtino putem, ex eo me Tractatus XLIX. in Joannem loco expediam, deindeque cetera exponam excerpta ex ejus Sermonibus, exque priore *Retractationum Libro*. Ego vero, quod ad primum attinet, nihil eſt, quod tam facile expedire poſſim. Sed rogas, ut ante animadvertam, Auguſtinum dicere, primos fuiſſe Patriarchas, deinde Prophetas, poſt Apoſtolos, deinceps Martyres &c. ingreſſos in requiem. Requiem autem, qua nunc Apoſtoli, Martyres &c. gaudent, in viſione conſiſtere *intuitiva* naturæ Dei. Quæſo, ne conturbere. Jam hoc animadverti. Verum antequam tibi ſatisfaciam, peto abs te, num loci illius memineris, quem paulo ante ex Auguſtini libro deſcripſi de *Catechizandis Rudibus* [3]? Quod ſi memoria excidit, patere, ut eum iterum deſcribam. „ Fecit (Deus) omnia „ per

1 Vide *hujus operis p.* 376. *not.* 1. *ſeq. & p.* 377. *not.*4.
2 Vide *hujus operis p.* 693. *ſeq. not.* 2.
3 Vide *hujus operis pag.* 791.

„ per Verbum ſuum, & Verbum ejus ipſe Chriſtus, in „ quo requieſcunt Angeli, & omnes cæleſtes mundiſſimi „ ſpiritus in ſancto ſilentio: homo autem peccato lap-„ ſus perdidit requiem, quam habebat in ejus (Verbi) „ Divinitate &c. „ Attende nunc jam. REQUIEM hic Auguſtinus nominat, & REQUIEM quidem in Verbo, ſeu in DIVINITATE VERBI. Hanc *rudes Catechizans*, hanc, inquam, *requiem in Verbo* & Angelis, qui ſteterunt, quique gloria gaudent; & Adamo, antequam caderet, *communem* facit. Requies autem *Angelorum* Sanctorum, qua REQUIESCUNT in VERBO in SANCTO SILENTIO, viſio eſt beatifica *facie ad faciem*, qua de re nulla QUÆSTIO EST, Auguſtino ipſo teſte in 1. *Retractationum cap.* XIV. ex quo modo attuli tritum Theologorum ſermone locum. Quid? An etiam *Adamus*, antequam lapſus fuiſſet, habuerat in *Divinitate* Verbi requiem beatitatis conſiſtentis in *intuitiva* viſione Dei? Negas tu quidem. Verum attende, Cadonice, conſidera etiam atque etiam, Auguſtinum rudes docentem iiſdem verbis de requie Angelorum videntium Deum, atque de Adami requie agere. Parvi refert, inquies. Nam etſi ſunt eadem verba, diſcrepans tamen ipſum per ſe genus requietis erat. Recte tu quidem. Ad illud nunc, quod objiciebas venio. In *requiem*, inquis, Auguſtino teſte, *primi* ſunt ingreſſi *Patriarchæ*. Aſſentior. Deinde *Prophetæ*. Tibi rurſum libens aſſentior. Tum *Apoſtoli*. Tertio item ultro aſſentior. At requies, qua gaudent Apoſtoli, beatitas eſt in viſione conſiſtens Dei. Quis id neget? Aſſentior. Patriarcharum igitur, atque Prophetarum requies, ante Chriſti adventum, beatitas in viſione Dei conſiſtens erat. Nullo modo prorſus aſſentior. Qui tandem? inquies. Qui? Pacto certe eodem, eademque omnino facultate, qua tu paulo ante negaſti, Adami, priuſquam laberetur, beatitatem in viſione conſtitiſſe Dei, etſi Auguſtinus uno eo-

demque in loco Angelos requieſcere in Verbo, & Adamum requiem habuiſſe *in Divinitate Verbi* affirmet. Quamvis enim requiem illam priorem hoc eſt Angelorum, in viſione Dei conſiſtere ajebas; alteram tamen in ea viſione conſiſtere inficiabare. Utramque autem dici requiem recte poſſe confitebare; ſed vehementer negabas, utramque ad idem pertinere requietis genus. Quod vero tibi de Angelorum, deque Adami requie licet dicere; id ne mihi de requie Sanctorum ſinus Abrahæ ante Chriſtum ab requie, qua nunc gaudent, diſcrepanti dicere non licebit?

At Auguſtinus aliis in libris negat, Adamum in paradiſo terreſtri vidiſſe Deum. Quid? Annon etiam in Sermonibus, quos ad populum habuit, ſatis indicavit, Abrahamum in ſinu Abrahæ non vidiſſe Deum? Abrahamum namque in *inferis* fuiſſe affirmavit, antequam eo Chriſtus deſcenderet, ut inde omnium præcedentium Sanctorum, qui ante ſe fuerant, animas erueret [1]. Quid? Sanctos ne in *inferis* numquam *appellatis in bono* vidiſſe arbitraris Deum; in *inferis*, inquam, in quibus Sancti illi ſic erant, ut iidem egerent liberatore, qui *eos inde erueret*? Numquam id portentum opinionis populo Hipponenſi veniſſet in mentem, ut ſuſpicaretur, eos qui ERUTI, ſeu liberati a malo certe aliquo (nam a BONO ERUI quemquam ecquis niſi abſurdiſſime diceret) fuerunt, antequam eruti eſſent, vidiſſe Deum; cum toties idem populus ex Auguſtino audiviſſet, ab iis, qui Deum intuentur, *poſſideri Hieruſalem cæleſtem ſine* ANGUSTIA, *ſine* PRESSURA, *ſine diverſitate, & diviſione limitum, & hoc eſſe totum negotium eorum, ſine defectu halleluja*. Nemini autem videri debere QUASI FASTIDIUM IBI futurum.. *Si enim tanta alacritate in ipſa preſſura laudamus, quod credimus, quomodo laudabimus quod* VIDEBIMUS? Jam vero a qua re demum ERUI ſeſe cupiet is, qui nullam angu-

1 Vide *p. 798. hujus operis & p. 753. ſeqq.*

anguſtiam, *preſſuram* nullam, nullum *faſtidium* poteſt perpeti?

At cur, inquies, Auguſtinus in eo Tractatu non dixit, eamdem fuiſſe Sanctorum ante Chriſtum in Abrahæ Sinu requiem, atque ſit requies eorumdem Sanctorum, & Apoſtolorum, & Martyrum poſt Chriſtum? Cur? Quia I. *Diſputans in Catholica Eccleſia non ſe aliter intelligi arbitrabatur*; *tali quæſtione nullius pulſabatur*; *vobis nondum litigantibus ſecurius loquebatur* [1]. II. Quia idem Auguſtinus, qui populum docuerat, Abrahamum fuiſſe in inferis, exque ipſis inferis Abrahami ipſius, omniumque præcedentium Sanctorum animas a Chriſto ad inferna deſcendente fuiſſe erutas; docuit etiam Sanctorum eorumdem, poſt Chriſti mortem, ceterorumque, qui deinceps deceſſerunt, animas viſione gaudere Dei. Ac *Tractatu* quidem XXVI.[2]. In *Johannem* ſic Auguſtinus populum inſtituens loquutus eſt: „ Cum dixiſſet (*Chriſtus*) *qui manducat* „ *meam Carnem*, *& bibit meum Sanguinem*, *habet* VITAM „ ÆTERNAM; continuo ſubjecit: *& ego reſuſcitabo eum* „ *in noviſſimo die*, ut habeat INTERIM SECUNDUM „ SPIRITUM VITAM ÆTERNAM IN REQUIE, QUÆ „ SANCTORUM SPIRITUS SUSCIPIT; quod autem „ ad corpus attinet, nec ejus vita æterna fraudetur, „ ſed in reſurrectione mortuorum in noviſſimo die „. Vita autem æterna, Auguſtino eodem, dum populum doceret, teſte, eſt VIDERE DEUM IN FORMA DEI [3]. Quamobrem norat populus, Auguſtini hanc eſſe doctrinam: SPIRITUS juſtorum poſt Chriſtum decedentium INTERIM VITAM ÆTERNAM HABERE, hoc eſt VIDERE DEUM IN REQUIE, QUÆ EOS SUSCIPIT. Cum igitur populus id eſſe veluti idioma, ac linguam Auguſtini noſſet, non poterat aliorſum accipere atque nos acce-

1 *Lib.* I. *contra Julian. cap.* VI. *num* 22. *p.* 336. *tom.* X. *opp.*
2 *Num.* XVI *p.* 262. *tom.* III. *opp. P.* II.
3 *Tract.* XXI. *in Joh. num.* 14. *ſeq. p.* 336. Vide etiam, quæ ſupra deſcripſimus *pag.* 815. *not.* 2.

acceperimus, quæ ab Auguſtino ipſo de requie dicta fuerant, in quam primum Patriarchæ, tum Prophetæ, deincepſque Apoſtoli ingreſſi ſunt. Itaque non erat opus, ut Auguſtinus perpetuo ſeſe declararet, cum jam populo toties expoſuiſſet, quæ ſua eſſet ſententia. III. Quoniam rogas, cur non indicarit in eo *Tractatu*, de quo agimus, Auguſtinus diverſum illud requietis genus Sanctorum V. T.; patere, ut rogem item ego, cur non indicarit Auguſtinus genus requietis quod Adamus in Verbi divinitate habuerat, non idem fuiſſe, atque illud eſt, quod habent Angeli in eodem Verbo? Nam ſic habeto, quamcumque attuleris cauſſam, quamobrem putes, id poſtremum non fuiſſe indicatum ab Auguſtino; eidem me cauſſæ eſſe totum illud, quod ex me quæris, aſſignaturum. Quin etiam ſi, ut ipſe ſcribis, vivo Auguſtino, dogma de non differenda ſanctis ad reſtitutionem uſque corporum humanorum viſione Dei definitum ſic erat, ut qui contra ſenſiſſet, is in hæreticos rejiceretur, prohibenduſque conſortio orthodoxorum, communioneque ſacrorum eſſet; quæro cur Auguſtinus ipſe in I. Retractationum[1], *nullam quæſtionem* eſſe de ſanctis Angelis, quod ſint *in beatitudinis poſſeſſione*; *ſed merito quæri,* dixit, *de ſanctis hominibus jam defunctis, utrum ipſi ſaltem dicendi ſint in illa poſſeſſione conſiſtere*? Cur non item aperte dixit, nullam hac de re quæſtionem eſſe? Immo cur in *Pſ*.XLIII.[2] *ſtatuit, illam viſionem* facie ad faciem *liberatis in reſurrectione ſervari? Et ſervari viſionem in futurum* facie ad faciem, *quando venerit Chriſtus*? *Et tunc nobis ſervari* VISIONEM ILLAM FACIE AD FACIEM, *de qua Johannes dicit*: „ dilectiſſimi ...
„ ſcimus, cum apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam
„ videbimus eum ſicuti eſt? „ Cur non explicavit, quo ſenſu hæc dixerit, ne dogma Catholicorum de non differenda Sanctis viſione Dei ad judicii diem oppugnaſſe videretur?

1 Vide *hujus operis pag.*817.
2 Confer *hujus operis pag.* 817.

retur ? Cur ? reſponde. Niſi autem reſponderis, propterea non fuiſſe illi explicatione opus, quod populus ex eo jam intellexiſſet: animas juſtorum *vitam*, quæ propria eſſe ipſarum poteſt, *æternam* conſequi ſtatim atque ſuis ſunt ſolutæ corporibus [1]; corpora vero *vitam*, quæ ipſis poteſt competere, *æternam in reſurrectione* eſſe conſequutura; cumque id populus intellexiſſet, jam cognorat, quo ſenſu accipi deberent, quæ Auguſtinus idem de *ſervata* in futurum *viſione*, ſeu *æterna vita* prædicabat; niſi, inquam, ita reſponderis, adhibuerisque, uti quidem par eſt, interpretem s. Thomam [2]; numquam, mihi crede, quid ſis recte reſponſurus, reperies. Rurſum niſi dixeris, Auguſtinum *in* I. *Retractationum libro* [3], noluiſſe quæ-

1 Vide *hujus operis pag.* 811.

2 S. Thomas I. 2. *qu.* IV. *art.* V. *ad* 4. 5. & 6. Auguſtini teſtimonia interpretans. ,, Ad IV., inquit, dicendum, quod dupliciter aliquid impeditur ab alio: uno modo per modum contrarietatis, ſicut frigus impedit actionem caloris, & tale impedimentum operationis repugnat felicitati; alio modo per modum cujuſdam defectus, quia ſcilicet res impedita non habet quidquid ad omnimodam ejus perfectionem requiritur, & tale impedimentum operationis non repugnat felicitati, ſed omnimodæ perfectioni ipſius. Et ſic ſeparatio animæ a corpore dicitur ANIMAM RETARDARE, NE TOTA INTENTIONE TENDAT IN VISIONEM DIVINÆ ESSENTIÆ. Appetit enim anima ſic frui Deo, quod etiam ipſa fruitio derivetur ad corpus per redundantiam, ſicut eſt poſſibile: Et ideo quamdiu ipſa fruitur Deo ſine corpore, appetitus ejus ſic quieſcit in eo, quod tamen adhuc ad participationem ejus vellet ſuum corpus pertingere. *Ad quintum* dicendum, quod deſiderium animæ ſeparatæ totaliter quieſcit ex parte appetibili, quia habet id, quod ſuo appetitui ſufficit; SED NON TOTALITER REQUIESCIT EX PARTE APPETENTIS, QUIA ILLUD BONUM NON POSSIDET, SECUNDUM OMNEM MODUM, QUO POSSIDERE VELLET. Et ideo corpore reſumto BEATITUDO CRESCIT NON INTENSIVE, SED EXTENSIVE. *Ad* VI. dicendum, quod id, quod ibidem dicitur (ab Auguſtino) quod *ſpiritus defunctorum non ſic vident Deum ſicut Angeli*, non eſt intelligendum ſecundum inæqualitatem quantitatis, quia etiam modo aliquæ animæ beatorum ſunt aſſumtæ ad ſuperiores ordines Angelorum clarius videntes Deum, quam inferiores Angeli; ſed intelligitur ſecundum inæqualitatem proportionis, quia Angeli etiam infimi habent omnem perfectionem beatitudinis, quam ſunt habituri, non autem animæ ſeparatæ Sanctorum ,,. Aptato hæc Thomæ reſponſa ad Auguſtini teſtimonia, quibus abutuntur ii, qui viſionem Dei Sanctis eſſe ad judicii diem differendam cenſent; facileque quemadmodum ſint intelligenda, perſpicies.

3 Cadonicus *Sermonem* CCLIX. *al.* XIX. *ex Sirmondianis tom.* V. *opp. S. Auguſt. edit. an.* 1700. *p.* 718. eidem S. Doctori ademturus, multa comminiſcitur, quæ conſiſtere nullo modo poſſunt. Principio miſcet, confunditque millenariſmum cum errore eorum, qui differendam putant ad extrema mundi tempora viſionem Dei. Quotuſquiſque autem eſt, qui neſciat, eos qui mille annorum cum Chriſto in terris Sanctorum Regnum non concedunt, *millenarios* neque eſſe, neque dici recte poſſe ? Nam cum ex eo mille annorum commenticio regno ductum ſit mille-

quæſtionem eam dirimere, quæ erat *de Sanctis jam defunctis, utrum dicendi ſint in illa beatitudinis poſſeſſione con-*

millenariorum nomen, profecto qui id regnum non probant, dici, niſi falſo, atque inepte, Millenarii nequeunt. Etſi autem Millenarii plerique viſionem Dei differri oportere ad exitum uſque conficti, falſique mille annorum regni exiſtimarint; non tamen omnes, qui errantes differendam ad extrema tempora hujus univerſitatis rerum eamdem viſionem arbitrati ſunt, in errorem item inciderunt Millenariorum. Ac Photiani quidem, qui nonniſi poſt reſtitutionem corporum humanorum Sanctos eſſe exiſtimant viſuros Deum, millenariſmum deteſtantur. Deinde Cadonicus nullum ſe ait reperire tempus, quo Auguſtinus opinionem de mille annorum commenticio regno probarit, ut ei ſit Sermo ille CCLIX adſcribendus, quo Sermone inanis eadem opinio continetur. Quandoquidem Auguſtinum jam uſque ab initio Preſbyteratus ſui a millenariis diſſenſiſſe, animadvertit. Quaſi vero poſt Preſbyteratus initium mutare nequiverit Auguſtinus ſententiam, eamque aliquot annis, aut menſibus ſequi opinionem, quam haud paucis Doctoribus probatam fuiſſe ſciret, rurſumque eamdem opinionem rejicere, verumque dogma amplecti. Sane ut Cadonicus ex ſerie temporum Auguſtinianorum efficere poſſit, eam opinionem Auguſtino jam Preſbytero placuiſſe numquam, oportet non ſolum ut initio Preſbyteratus eam Sancto Patri probatam minime fuiſſe; ſed etiam ut nullum annum, menſem nullum præteriſſe, oſtendat, quo s. Doctor potuerit mutare ſententiam. Id vero neque oſtendit Cadonicus, neque profecto oſtendet umquam. Novimus enim quam mutare facile homo quamlibet doctus ſententiam queat, præſertim ſi mutando id ſequatur, quod non ſolum reprobatum omnium conſenſione non ſit; ſed quod etiam, etſi non pleriſque, at haud paucis magnis viris quoque tempore probatum norit: ſcimuſque præterea, quam item facile, re diligentius expenſa, reverti idem rurſum ad ſententiam priorem poſſit. Scilicet Auguſtinus *in* XX. *libro de Civitate Dei c.* VII. *p.*439. *tom.* VII. *opp. edit. Antuerp. an.*1700. » Qui propter hæc, *inquit*, hujus libri verba primam reſurrectionem futuram ſuſpicati ſunt corporalem, inter cetera maxime numero annorum mille permoti ſunt, tamquam oporteret in Sanctis eo modo veluti tanti temporis fieri ſabbatiſmum vacatione ſcilicet ſancta poſt labores annorum ſex millium, ex quo creatus eſt homo, & magni illius peccati merito in hujus mortalitatis ærumnas de paradiſi felicitate dimiſſus eſt, ut quoniam ſcriptum eſt, *unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus*, ſex annorum millibus, tamquam ſex diebus impletis, ſequatur veluti ſabbati ſeptimus in annis mille poſtremis, ad hoc ſcilicet ſabbatum celebrandum reſurgentibus ſanctis. Quæ opinio eſſet utcumque tolerabilis, ſi aliquæ deliciæ ſpiritales in illo ſabbato adfuturæ Sanctis per Domini præſentiam concederentur. NAM ETIAM NOS HOC OPINATI FUIMUS ALIQUANDO ». Hæc ego Auguſtino de ſe dicenti credam; non Cadonico, quamquam is, ſexcentis etiam, ſi velit, chronologicis argumentis contrarium efficere conetur. At Auctor *Sermonis juſtos cum impiis in eodem receptaculo detineri exiſtimavit* uſque ad judicii diem. Siccine agis Cadonice? Ubinam hujus receptaculi mentionem fieri ab Auctore Sermonis legiſti? At ſeparandos ait bonos a malis, *tumque tamquam maſſam purgatam apparituram velut in area multitudinem Sanctorum*. Næ tu omnes Patres, quin etiam Evangelium ipſum, Cadonice, damnabis crimine poſitarum juſtorum animarum, atque injuſtorum *eodem in receptaculo*. Ecquis enim eſt Doctorum Eccleſiæ, qui non dicat quod in Evangelio eſt. » Sic erit in conſummatione ſeculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum &c. *Matth.* XIII. *v.*49. Quod ſi ceteri Patres, Evangeliumque non ita intelligi debent, quaſi eodem in receptaculo bonos, maloſque ad judicii diem futuros ſtatuant, cur quæ Sermone illo eadem de re continentur, contra eſſe intelligenda, putas? Tertio loco, ab Auctore Sermonis illius corporales delicias in millenario regno futuras admitti, Cadonicus arbitratur, quod falſum eſt, ut quivis eum Sermonem expendens perſpiciet. Quarto loco neſcio, quæ *αυγατα*, minuſque recte conſuta in eodem Sermone

conſiſtere; ideoque noluiſſe eam dirimere, quod ea de re quorumdam etiam præſtantium doctrina virorum & certatum jamdiu magna diſſenſione fuiſſet, & tunc etiam certaretur; quare expectandam ipſum ſibi eſſe Eccleſiæ ſen-

m m m m m ten-

mone Cadonicus ſe deprehendiſſe jactat. Ego vero ſic ei confirmo, ſi Cadonicia na hoc in genere critica ſcientia quidquam valuerit, fore, ut nullus Sermo fere, Enarratio nulla Auguſtini pro genuino S. Doctoris fœtu habeatur.

Jam ex *cap.* VII. *lib.* XX. de Civitate Dei conſtitit, Auguſtinum revocaſſe, quæ aliquando de millenario regno opinatus fuerat, atque adeo etiam rejeciſſe, quæ comprehenderat Sermone illo, qui nunc primum a Cadonico in ſpuriis ponitur. Nihiloſecius Cadonicus idem ſic ſtatuit in priore Dialogo ſuo italice quidem ſcripto *pag.* 5 *ſeq.* » Io domando tuttavia il fondamento, dal quale ſtabilire, che il » Santo Padre ritrattaſſe queſta opinione . . . ? I ſuoi ſcritti medeſimi. Chieggo » ancora quali? E ſe mi diceſſero quelli dell' età più matura, dovremmo aſpettarci » un qualche monumento piuttoſto, che dagli altri, da' libri delle RITRATTA» ZIONI, che furon degli ultimi di ſua vita, e ch' erano appunto ſcritti col fine » di correggere le opinioni, le ſentenze, e fin le parole meno rette, che foſſero » corſe nelle opere antecedenti del Santo Padre. Ma non trovandoſi in eſſi parola » intorno a queſta dottrina da riprovarſi, anzi cavandoſi da medeſimi alcuni teſti, » onde gli oppoſitori vogliono farlo credere millenario, come vedremo nel pro» ſeguire il diſcorſo, aſpetterò volentieri, che mi moſtrino un luogo poſteriore, » dal quale rettamente dedurre queſta ſua ritrattazione, colla quale ritratti i libri » medeſimi delle Ritrattazioni ». Objicit inde ſibi: » Il luogo chiaro ſarà il ca» po VII. del libro 20 de Civitate Dei, nel quale dicendo il Santo Padre, che una » volta ha opinato co' millenarj, fa conoſcere, che non opina più con loro ». Reſpondet. » La iſtanza reſta la medeſima, mentre ſe hanno biſogno di giuſtifi» cazione i libri delle Ritrattazioni, che ſono poſteriori a quelli della Città di Dio; » pare, che (quando pure foſſe chiara in queſti la volontaria condannazione dell' » errore paſſato nel ſenſo di chi l' adduce) poteſſe temerſi, che il Santo Padre » foſſe ritornato nell' errore di prima coll' eſpreſſioni del libro 1. delle Ritratta» zioni cap. XIV. che vengono oppoſte dagli eretici per far comparire millenario » S. Agoſtino ». Sed heus tu novi generis defenſor Auguſtini, ac vindex, iſtucne eſt Auguſtini doctrinam tueri, Auguſtinum poſt rejectum in libris de Civitate Dei millenariſmum, rurſum in libris Retractationum in eumdem errorem incidiſſe dicere, & ſi minus aperte dicere, at dicere tamen ita, ut id revocare ſaltem in dubium videare? Non ſit ſermo ille ducenteſimus quinquageſimus nonus Auguſtini. Patiar. Quid? an negas, rejectum fuiſſe ab Auguſtino in XX. libri de Civitate Dei capite VII. millenariſmum, quem Auguſtinus idem probandum opinatus aliquando fuiſſet? Negare certe non poteris. Nam eſt ea de re eodem in VII. capite S. Doctoris ſatis perſpicua oratio. Quid nunc? Cenſeſne Auguſtinum, quam in capite ipſo ſeptimo libri XX. de Civitate Dei rejecerat, eamdem rurſum in I. Retractationum libro probaſſe inanem opinionem? Quod ſi non cenſes, cur novis *Retractationibus* opus fuiſſe futurum, quibus eam ipſam revocaret, jactas? Cur locum e XIV. *capite lib.* I. *Retractationum* objicis, quo abutuntur hæretici? Sin autem cenſes, fatere demum, non vindicandi Auguſtini, ſed aut accuſandi ejus, oppugnandique; aut erroris, quem ei affingis, reſtituendi cauſſa, animum te appuliſſe ad ſcribendum. At eo, dices, hæc ſcripſi, quo Sermonem illum CCLIX Auguſtini non eſſe oſtenderem. Quid mihi de eo Sermone narras? Non ſit Auguſtini, per me nunc liceat. Sed iſtud, te auctore, maneat firmum neceſſe eſt, Auguſtinum *in* I. *Retractationum* ſic egiſſe, ut in hæreſeos millenariorum luto aut hæſerit revera, aut ſaltem hæſiſſe videatur. Euge, defenſor Auguſtini. Feciſti probe. Nempe ei Doctori, quem ab invidia liberare te velle dixeras, invidiam conflaſti maximam. Sed cave tibi. Nam veri Auguſtini ſectatores id genus injuriæ impune habere non ferent, non patientur, non ſinent.

tentiam judicaſſe; niſi, inquam, hoc dixeris, quibus te inde expedire modis queas, non video. Nam quæ dicis, leviora ſunt, quam ut ſit cuiquam ſuſcipiendus eorum reprehendendorum, oppugnandorumque labor. Jam quod ad rem noſtram attinet, ut toto fere priore libro demonſtratum a nobis eſt, nulla erat inter orthodoxos ſuperioris, nulla ejus, qua Auguſtinus vixit, nulla poſterioris ætatis diſſenſio. Numquam populo Auguſtinus tradiderat, animabus Sanctorum, qui ante Chriſtum deceſſiſſent, *vitam æternam* fuiſſe datam; immo vero confirmarat, Abrahamum fuiſſe in inferis, quo Chriſtus deſcendit, ut omnium inde Sanctorum præcedentium animas erueret: de ſtatu autem ſanctarum animarum poſt Chriſtum loquens prædicarat, potitas jam ipſas eſſe æterna vita. Itaque populus ex eo audiens, primos omnium requiem fuiſſe adeptos SS. Patriarchas, deinde Prophetas, poſtea Apoſtolos &c. ne ſuſpicari quidem poterat, de genere eodem requietis Auguſtinum egiſſe; ſed norat, hoc unum eum voluiſſe, ut, *requie* primum potiti Patriarchæ, *requie* deinde Prophetæ, *requie* poſtea Apoſtoli fuerint; at non *requie* generis ejuſdem. Nam priorem *requiem* ante Chriſtum non conſtitiſſe in viſione Dei; poſteriorem vero, quæ poſt Chriſtum Sanctis omnibus conceſſa eſt, in Dei viſione conſiſtere. Quam rem ſi Auguſtinus populo ſemper explicare, inculcareque inſtituiſſet, id certe egiſſet, ut, quod neceſſe non erat, doctum docuiſſe videretur.

§. III.

Proponuntur, & explicantur Auguſtini loca ex Enarrationibus in Pſalmos, exque libris contra Manichæos, & Pelagianos.

Opponit item nobis Cadonicus Auguſtini locum ex ſermone I. *in Pſalmum* XXXVI. *n.* XI. *pag.* 177. *tom.* V. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700., qui locus ſic habet: „ Unius

„ au-

„ autem cujuſque hominis vita quanta eſt? Adde quan-
„ toslibet annos, duc longiſſime ſenectutem, quid eſt?
„ Nonne aura eſt matutina? Ergo longe ſit dies judicii,
„ QUANDO ERIT RETRIBUTIO INJUSTORUM,
„ & JUSTORUM, tuus certe dies ultimus longe abeſſe
„ non poteſt. Ad hunc te præpara. Qualis enim exie-
„ ris de hac vita, talis redderis illi vitæ. Poſt vitam
„ iſtam PARVAM NONDUM ERIS UBI ERUNT
„ SANCTI, quibus dicetur, *venite benedicti Patris mei,*
„ *percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab initio mundi.*
„ NONDUM IBI ERIS, QUIS NESCIT? Sed jam
„ poteris ibi eſſe, ubi quondam ulceroſum pauperem
„ dives ille ſuperbus, & ſterilis in mediis illis tormen-
„ tis vidit a longe requieſcentem. In illa requie poſitus,
„ certe ſecurus expectas judicii diem, quando recipias
„ & corpus, quando immuteris, ut Angelo æqueris „.

Jam proſpexerat Sanctus Thomas, futuros aliquos, qui ut juſtorum animas, ſtatim atque ſuis ſunt corporibus ſolutæ, in cælum minime deduci oſtenderent, hoc Auguſtini loco abuterentur. Sed ullum umquam futurum, qui effici inde judicaret poſſe, Sanctos Veter. Teſtamenti ante Chriſti mortem beatos fuiſſe aſpectu Dei, ne ſuſpicatus quidem fuerat. Non enim cogitarat, inveniri quemquam tam ἀλόγιστων, tamque inimicum dialecticæ facultatis poſſe, ut id conſequens alicunde eſſe putet, quod ne ſpecie quidem prima ſit conſequens. Nihilo ſecius S. Doctor (qui ita loca Patrum explicare, atque evolvere conſueverat, nulla ut cupidis novarum rerum eſſet reliqua eorum rurſum implicandorum, involvendorumque via) ubi id teſtimonium ex Auguſtini Sermone ab Auctore Gloſſæ deſcriptum objecit ſibi; ſic illud eſt diligenter, vereque interpretatus, ut non modo, qui e cælo Sanctorum nunc animas exulare cuperent, nihil, ſi bona agant fide; ſed ne Cadoniciani quidem quidquam habeant, quod contra opponant, qui Cadoniciani viſione Dei

 bea-

beatas fuiſſe ante Chriſti mortem Veteris Teſtamenti juſtorum animas, arbitrantur. Nam in *ſupplemento Tertiæ Partis Summæ Theologicæ Q.* LXIX. *Art.* II. *ad* I. *Arg.* & in IV *ſententiarum Diſt.* XLV. *quæſt.* I. *Art.* I. *Quæſtiunc.* II. *ad* I. *&* 2. *Arg.* „ Dicendum, *inquit*, quod Gloſſa ſeipſam exponit. Quod enim dicit: *Nondum erunt, ubi erunt Sancti*, ſtatim exponit, ſubdens, ideſt non habebunt geminam ſtolam, quam habebunt Sancti in reſurrectione. Ad ſecundum dicendum, quod inter illa abdita receptacula (*de quibus Auguſtinus loquitur in Enchiridio ad Laurentium cap.* CVII.) etiam ſunt computandi infernus, & paradiſus, in quibus animæ aliquæ ante reſurrectionem continentur; ſed ideo diſtinguitur tempus ante reſurrectionem, & poſt, quia ante reſurrectionem ſunt ibi ſine corpore, poſt autem erunt cum corpore; & quia in aliquibus receptaculis nunc ſunt animæ (*ut in purgatorio*) in quibus poſt reſurrectionem non erunt [1].

Sed ita, inquis, *exponit* Gloſſæ Auctor, non Auguſtinus. Quaſi vero neque Auctor ille, neque Thomas, antequam ad ſcribendum ſeſe contuliſſent, quærendum putarint, vere ne, apteque ipſorum expoſitio caderet in Auguſtini ſententiam. Atque Auguſtinum quidem norant, poſt ubi dixit, *non ibi eris* &c. addidiſſe: *in illa requie poſitus ſecurus expectas judicii diem*, QUANDO RECIPIAS ET CORPUS, QUANDO IMMUTERIS &c. Neque vero alio hæc pertinere intelligere poterant, quam ad *alte-*

1 In eodem Artic. *qu.* 1. *diſt.* XLV. *lib.* IV. *ſentent. in corp. Quæſtiuncula ſecunda*, anima juſti, inquit, *in cælum evolat, niſi impediatur aliquo reatu, quo oportuit evolationem differri, ut prius anima purgetur: & huic veritati auctoritates Scripturæ Canonicæ manifeſte atteſtantur, & documenta Sanctorum Patrum, unde contrarium pro* HÆRESI EST *HABENDUM*. Ac definitum deinceps id quidem fuit ab Synodo Lugdunenſi, a Benedicto XII. & *a Concilio Florentino*. At Cadonicus vindex ſcilicet Auguſtini (qui tantummodo cavet, ne dubitaſſe Auguſtinus videatur de dogmate, quod eſt contra Lutherum, atque Calvinum de animabus Sanctorum poſt Chriſtum ſtatim ac ſuis corporibus ſolutæ fuerint auctis viſione Dei) non æque curat, dubitarit ne Auguſtinus ipſe de altero dogmate, quod eſt de animabus iiſdem in cælo manentibus, incideritque dubitando in hæreſim, ut dici ſolet, *materialem*. Vide locum Cadonici *p.* 691. *hujuſce operis*.

alteram ſtolam illam in reſurrectione habendam. Sed eſt nobis idem Auguſtini locus expendendus diligentiſſime, ut Lectores plane perſpiciant, veritate expoſitionis Thomæ confirmata, Cadonico nos, ejuſque patronis plene, cumulateque ſatisfeciſſe. Itaque Auguſtinus, *poſt parvam hanc vitam*, inquit, *non ibi eris, ubi erunt Sancti . . . In illa requie poſitus ſecurus expectas judicii diem, quando recipias & corpus &c.* Nempe, *non ibi eris*, hoc eſt, non in eo loco, ita ut ſpatium aliquod occupes. Qui enim occupare locum anima poterit vacans corpore? Nam ut idem ait Auguſtinus in XII. ipſo de *Geneſi ad litteram* libro, quo tanto ſe opere Cadonicus effert, cito *quidem reſponderi poteſt, ad corporalia loca animam non ferri, niſi cum aliquo corpore*[1]. Jam vero *τὸ ibi*, ſi accurate loqui, atque uti verborum *proprietate* velimus, reſpondet *loco*, quem Sanctus Antiſtes *corporalem* vocat, ſeu qui occupatur a corpore. Itaque cum anima poſt brevem hanc vitam, Auguſtino etiam auctore, quod mox videbimus, omni prorſus corpore vacet; *ibi*, hoc eſt, in *corporali loco*, ſeu in loco, quem occupet, non erit, *ubi erunt Sancti*, poſtquam ſuis rurſum inſtructi erunt corporibus. Atque hæc profecto cauſſa fuit, quamobrem etiam Greg. Nyſſenus *in Dialogo de anima pag.*210. ſcripſerit; *nullam de loco controverſiam noſtra movebit oratio, quæ propriam eſſe corporum dumtaxat in loco poſitionem comprehendit; animam vero, quæ corporis ſit expers, nulla naturæ neceſſitate certis quibuſdam locis detineri*. Quin etiam Auguſtinus ipſe in IV. de Geneſi ad litteram[2], poſteaquam de rebus egit habentibus in Deo quietis locum: *ſcio*, inquit, *quod* NON PROPRIE *dixerim locum*. NAM PROPRIE *dicitur* IN SPATIIS, *quæ* CORPORIBUS OCCUPANTUR; *ſed quia & ipſa corpora non manent in lo-*

1 Objicit hunc ſibi locum S. Thomas IV. *ſentent. diſt.* XLV. *qu.* 1. *art.* 1. *Quæſtiuncula* 1. *arg.* 1. eorum nomine, qui forte nulla receptacula animabus aſſignanda dicerent, reſponderque: *Incorporalia non ſunt in loco modo aliquo noto nobis, & conſueto, ſecundum quod dicimus corpora proprie in loco eſſe; ſunt tamen in loco modo ſubſtantiis ſpiritualibus convenienti, qui nobis plene manifeſtus eſſe non poteſt*.

2 *Cap.* XVIII. *num.* 34. *p.* 130. *to.* III. P. 1. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

in loco, niſi quo ſui ponderis tamquam appetitu perveniunt, ut eo comperto requieſcant, ideo non incongruenter ad ſpiritualia verbum transfertur, ut dicatur locus, CUM RES IPSA PLURIMUM DISTET. Et *Tractatu* XXXI. *in Evang. Johannis n.* IX.[1] *Homo*, inquit, *ſecundum corpus in loco eſt, & de loco migrat*. Rurſum *Epiſt.* XVIII. *al.* LXIII. *ad Cæleſtinum*[2]: *Eſt natura*, inquit, PER LOCOS, *& tempora mutabilis, ut* CORPUS: *eſt natura per* LOCOS NULLO MODO, *ſed tantum per tempora etiam ipſa mutabilis*, UT ANIMA: *& eſt natura, quæ nec per locos, nec per tempora mutari poteſt. Hoc Deus eſt*. Quod autem *proprie in loco* non eſt, nec *proprie* mutatur *loco*, ne *proprie* quidem *alicubi* eſt. Quod vero *proprie alicubi* non eſt, ne *ibi* quidem eſſe, dici *proprie* poteſt. Nam ſi *ibi proprie* eſt, *proprie* certe *alicubi* eſt, cum fingi omnino nequeat, ut quod *ibi* ſit, non ſit *alicubi*, atque adeo non ſit *proprie* in *loco*. Nam τὸ *alicubi* Auguſtini quidem, ut mox oſtendam, ſententia, quid eſt, niſi in aliquo eſſe *loco*? Non eſt autem animus ſolutus corpore, Auguſtino teſte, *proprie in loco*, nec *proprie mutatur per loca*, non eſt igitur *proprie alicubi*. Quod ſi *proprie alicubi* non eſt, *proprie ibi* eſſe quî poterit? Auguſtinus *in libro* LXXXIII. *Quæſtionum*[3]. *Quod* ALICUBI, inquit, *eſt*, CONTINETUR LOCO; *quod* CONTINETUR LOCO CORPUS EST .. *Deus autem* (addam ipſe, & *humanus animus*) *non eſt corpus*. NON IGITUR ALICUBI EST. Rurſum idem *S. Antiſtes* in *Pſ.* VI.[4] LOCIS, inquit, CORPORA *continentur*, ANIMO *autem locus eſt* AFFECTIO SUA. *Et Pſal.* IX.[5] *locus animæ non in* SPATIO ALIQUO *eſt, quod forma* OCCUPAT CORPORIS, *ſed in* DELECTATIONE, *quo ſe* PERVENISSE PER AMOREM LÆTATUR. Hoc igitur pacto animam hominis corpore ſolutam IBI futuram

1 *Pag.* 380. *tom. eod P.* II.
2 *Num.* 2. *p.* 18. *tom.* II. *edit. ejuſd.*
3 *Quæſt.* XIX. *tom.* VI. *opp. p.* 4. *edit. ejuſd.*
4 *Num.* IX. *p.* 20. *tom.* IV. *edit. ejuſd.*
5 *Num.* XV, *pag.* 39.

turam negat, *ubi erunt Sancti* poſt corporum reſtitutionem. Non enim animus expers corporis in loco ſic eſt, ut erunt ſuis *corporibus in loco* Sancti. Eſt enim, ut Auguſtinus ſcribit *in Pſalmum* CXLV.[1] animus hominis *incorporeus, ſpiritalis, vicinus ſubſtantiæ Dei*. Id autem ille ſexcentis aliis in locis ſtatuit, quæ vel numerando percenſere longum eſſet. Neque vero ulla eſt cauſſa, cur alíorſum accipi poſſe *τὸ non* IBI *eris* videatur. Nam addit mox Auguſtinus eodem in loco, quem nobis objiciunt adverſarii: *Non ibi eris: quis neſcit?* Quid hoc eſt, *quis neſcit?* An ignorabat Auguſtinus, pleroſque Chriſtianos ei ſententiæ firmiter adhæſiſſe, quæ eſt de Sanctorum animabus nunc in *cælo* beatis aſpectu Dei? Tam ne aut immemor eorum, quæ ipſe ſcripſerat, aut imperitus rerum erat, ut ipſum fugerent, quæ divinitus tradita, perque Apoſtolos, deincepſque per Patres ad poſteros tranſmiſſa erant? Hoccine eſt Auguſtini vindicem agere, ipſum & immemorem ſui & neſcium eorum conſtituere, quæ jam uſque a Chriſti ætate ad poſteriora quæque ſecula manarunt? Atque ille quidem cum alias ſæpe, tum *Enarratione* II. *in Pſalmum* XXXIII.[2] „. Exceptis, *inquit*, „ illis CÆLIS ſuperioribus ignotis nobis in terra laborantibus, & per humanas conjecturas utcumque iſta „ quærentibus; exceptis ergo illis CÆLIS, qui quomodo ſint ſuper invicem, vel quot ſint, vel quibus modis diſtincti ſint, quibus incolis impleti ſint, qua diſpoſitione regantur, quomodo IBI unus quidam hymnus indeficiens, concinens ab omnibus prædicat „ Deum, multum eſt ad nos invenire, SATAGIMUS „ tamen PERVENIRE. IBI eſt enim PATRIA NOSTRA, quam longa fortaſſe peregrinatione obliti ſumus. Vox enim noſtra eſt in illo pſalmo: *heu me, quoniam peregrinatio mea longinqua facta eſt*. Ergo de illis „ CÆ-

1 *Num.* IV. *pag.* 1212.
2 *Num.* VI. *pag.* 148.

„ CÆLIS & mihi difficile eſt diſputare (ſi tamen non „ impoſſibile) certe qui me in his rebus intellectu præ- „ venit, fruetur quo proceſſit, & oret pro me, ut „ ſequar ego. Interim exceptis illis cælis, habeo, de „ quibus hic utcumque diſſeram, nobis proximos cælos „ Sanctos Dei Apoſtolos „. Videſne ut in cælis PATRIAM eſſe NOSTRAM confiteatur? At oſtendi equidem multis Auguſtini locis [1], deſinente hac via, *incipere Patriam*. Animi igitur Juſtorum ſoluti corpore, cum in Patria, S. Doctoris ſententia, ſint, oportet profecto, ut ſint in cælo [2]. Ac de Auguſtino quidem ſatis hæc fuerint. Venio ad Patres. Quid? An Synodi Lugdunenſis, ac Florentina definiendum umquam cenſuiſſent dogma de Sanctorum animabus in cælis beatam viſione Dei vitam ducentibus, niſi divinitus traditum, perque Patres ad nos transductum eſſe, certo ſciviſſent? Lugdunenſis enim Synodus an. 1274. habita [3]: *τούτων* (nempe juſtorum) *τὰς ψυχὰς*, inquit, *μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα λαβεῖν εἰς μηδένα ἁμαρτίας μῶμον ἐπιδραμόντων κἀκείνας τὰς μετὰ τὸ ἐφελκύσαι ἁμαρτίας μῶμον ἂν ἢ ἐν τοῖς οἰκείοις μείνασαι σώμασιν, ἢ μετὰ τὴν τούτων ἀπέκδυσιν ὡς ἀνωτέρω εἴρηται καθαρθήσονται, εἰς τὸν οὐρανὸν αὐτίκα παραδέχεσθαι*: „ Horum animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum „ nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas „ etiam, quæ poſt contractam peccati maculam vel „ in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, prout „ ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, MOX IN CÆ- „ LUM RECIPI „. Synodus Florentina in *Decreto unionis Græcorum* [4] de animabus Sanctorum ita ut actum ab Lugdunenſi fuerat, diſſerens, eas declarat *εἰς οὐρανὸν εὐθὺς προλαμβάνεσθαι, καὶ καθαρῶς θεωρεῖν αὐτὸν τὸν ἕνα, καὶ τρυ-*

1 *Tom.* v. *P.* II. *Antiquitatum Chriſtianar. p.* 171. *ſeqq.*
2 Confer *Sermonem* II. *in Pſal.* XXXI. *p.* 148 *num.* 4. & *lib.* II. *Quæſt. Evangelicar. qu.* XXXVIII. *p.* 192. *num.* 5. *tom* III. *P.* II.
3 *Tom.* VII. *collect. Concilior. edit. Hard. Pariſ. an.* 1714. *p.* 695. *ſeq.*
4 *Tom.* IX. *Concilior. edit. ejuſd. p.* 422. *ad an.* 1439.

ϗ τρυσυπόςατον θεὸν κ.τ.λ. IN CÆLUM MOX RECIPI, *& intueri ipſum Deum trinum, & unum* &c. Quum ergo & memor eſſet Auguſtinus eorum, quæ ſcripſerat, & plane noſſet, pleroſque & ſuperioris, & ſuæ etiam ætatis orthodoxos in ea verſari ſententia, ut certo ponerent, Sanctorum, quibus nihil luendum pœnæ temporariæ ſuperſit, animas in *cælum mox recipi*; dicere profecto non poterat τὸ *non ibi eris, ubi erunt Sancti* eo ſenſu, ut animas eaſdem in cælo non eſſe putaverit; ſed eo modo non *ibi futuras* dixerit neceſſe eſt, quo *ibi* erunt Sancti poſt reſtitutionem ſuorum corporum occupantes locum. Alioqui non dixiſſet, *non ibi eris, quis neſcit?* cum ei, ut dixi, exploratum eſſet, permultos fuiſſe ætate & ſuperiore, & ſua, qui *poſt parvam hanc vitam* IBI, ſeu in cælo *juſtorum animas non futuras* tam neſcirent, ut contra plane ſcirent, & vero acriter defenderent, *ibi* futuras. Quo igitur τὸ *quis neſcit* ſpectat, niſi ut ſignificet, de eo *non ibi* Auguſtinum agere, quod omnibus notum, & conceſſum eſſet? Quid autem omnibus notum, conceſſumque erat? An animas Chriſtianorum juſtorum, ſtatim atque e corporibus ſejunctæ ſint, non futuras in cælo, ubi erunt Sancti poſt corporum reſtitutionem? Nihil minus. Agat modo Cadonicus, explicet, quid notum omnibus, conceſſumque tam eſſet, ut dicere Auguſtinus potuerit: *non ibi eris, quis neſcit?* Sic autem ei confirmo, niſi τὸ *non ibi eris* intelligendum ſit ita, ut locum non ſint occupaturæ animæ vacantes corporibus; qua demum alia ſignificatione, quam *omnes ſciant*, intelligi queat, ne fingere quidem poſſumus.

At Auguſtinus, *in ſinu Abrahæ* eſſe animas corpore ſolutas poſſe, ſtatuit. „ Sed jam poteris, *inquit*, ibi eſſe „ ubi illum quondam ulceroſum pauperem dives ille ſu„ perbus vidit a longe requieſcentem „.

Non quæram, *allegorice* ne hoc loco Auguſtinus de Abrahæ ſinu diſſerat. Scio, *allegorice* de eo ab S. Docto-

re differi ut alias ſæpe, ſic etiam in II. *Quæſtionum Evangelicarum libro*[1]. Verum, ut dixi, non id quæram. Hoc enim nunc mihi expediri volo, quid S. Antiſtes vocabulis *ſinus Abrahæ* intellexerit? *Secretum*, ac *ſecretum* quidem *Dei*[2]. Quid hoc eſt ſecretum, niſi *quietis ſedes*, in qua non inſtar corporum, ſed ſuo modo ſunt animæ? Atque ideo quidem *ſecretum* dicitur, quod ita ſint animæ in cælis, ut qua ratione ibi ſint, intelligi a mortali non poſſit, explicari autem multo minus poſſit. *Multum enim* (inquit Auguſtinus agens *de incolis*, *quibus impleti ſunt cæli*) *multum eſt ad nos invenire*, *ſatagimus tamen pervenire*. Et *Tractatu* CXI. *in Johannem*[3] explicans locum illum: *volo Pater*, *ut ubi ego ſum*, *& illi ſint mecum*,, Ab-
,, ſcedat, *inquit*, ab animo omnis imaginum corpora-
,, lium cogitatio. Quidquid menti occurrerit LONGUM,
,, LATUM, CRASSUM, QUALIBET LUCE CORPO-
,, REA COLORATUM, per quælibet locorum ſpatia
,, vel finita, vel infinita diffuſum, AB HIS OMNIBUS,
,, quantum poteſt, aciem ſuæ contemplationis, vel in-
,, tentionis avertat... Si ſecundum id, quod Filius Dei
,, Deus eſt Patri æqualis, atque coæternus, accipiamus
,, hoc dictum, *ubi ego ſum*, *& ipſi ſint mecum*, in Pa-
,, tre cum Chriſto erimus. Sed ille ſicut ille, nos ſicut
,, nos.

1 *Quæſt.* XXXVIII. *num.* 5. *p.* 192. *tom.* III. *P.* II.

2 *Sermone* XIV. *al.* CXX. *cap.* III. *num.* 4. *p.* 59. *tom.* V. » Contigit mori inopem illum, & auferri ab Angelis. Quo? In SINUM ABRAHÆ, hoc eſt in SECRETUM ubi erat Abraham. Nolite enim carnaliter intelligere, quod velut in ſinum tunicæ Abrahæ levatus ſit pauper. SINUS erat, quia SECRETUM erat ». *Et lib.* IV. *de Anima*, *& ejus Origine cap.* XVI. *num.* 24. *tom.* X. *p.* 265. eum refellens, qui animam corpus eſſe diceret. » Uſque adeo, *inquit*, deſiperes, ut arbitrareris, corporeum unius hominis ſinum ferre tot animas; immo ut ſecundum te loquar, ferre tot corpora bene meritorum, quot illuc Angeli, ſicut Lazarum, perferunt? Niſi opinaris fortaſſe, illam unam animam ſolam ad eumdem ſinum pervenire meruiſſe. Si non jocaris, & errare pueriliter non vis, Sinum Abrahæ intellige remotam Sedem quietis, atque SECRETAM, ubi eſt Abraham, & ideo Abrahæ dictum, non quod ipſius tantum ſit, ſed quod ipſe Pater multarum gentium ſit poſitus, quibus eſt ad imitandum fidei principatu præpoſitus, ſicut Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob ſe Deus vocari voluit, cum ſit innumerabilium Deus ». Et *quæſt.* XXXVIII. *lib.* II. *in Evangelia num.* 5. *p.* 195. » SECRETUM PATRIS bene intelligitur, ubi etiam ANTE RESURRECTIONEM JUSTORUM ANIMÆ VIVUNT CUM DEO ».

3 *Tract.* CXI. *in Johan. num.* 2. *ſeq. p.* 569. *tom.* III. *P.* II. *edit. Antuerp. an.* 1700.

„ nos... SI ENIM LOCA DICENDA SUNT, & quibus NON CORPORA continentur, & LOCUS eſt cuique rei, ubi eſt, LOCUS CHRISTI ÆTERNUS PATER ubi ſemper eſt, & LOCUS PATRIS FILIUS EST: *Quia ego*, inquit, *in Patre, & Pater in me eſt*: & LOCUS NOSTER IPSI SUNT, quia ſequitur: & *ipſi in nobis unum ſint*. Sed QUIS IDONEUS LOCA ISTA, vel QUÆ SUNT IN LOCIS ISTIS SINE SPATIOSIS CAPACITATIBUS, ET SINE CORPOREIS MOLIBUS, COGITARE „? Igitur ne *cogitari* quidem poteſt, quemadmodum animus *mole corporis* vacans, ſpatioſamque proinde capacitatem non occupans alicubi ſit, utque *locus Patris ſit Filius*. En ergo, cur Auguſtino auctore, *ſecretum* Patris *ſinus ſit Abrahæ*. Ac *ſecretum* quidem, ſeu *Abrahæ ſinum*, quem tot ille in locis nominat, in IX. *de Civitate Dei libro* [1] indicat vocabulis *ſecretorum receptaculorum, vel ſedium, in quibus animæ piorum requieſcunt*. Reſtat modo, ut conſideremus, ſtatus ne idem *ſecretorum illorum receptaculorum, ſeu ſedium, ſeu ſecreti ſinus Abrahæ*, eademque ratio nunc ſit, ac fuerit ante Chriſti Servatoris mortem. S. Thomas, qui τὸ non *ibi eris, ubi erunt Sancti* ab Auguſtino uſurpatum de *ſecunda ſtola*, hoc eſt de *reſtitutione corporis* intellexit, quod ſane corpus *in loco* erit; idque apte intellexit ad Auguſtini ſententiam, ut multis eſt hactenus S. Antiſtitis locis demonſtratum [2]; Sanctus Thomas, inquam, in IV. *diſt.* XLV. *quæſt.* I. *Art.* 2. *ad* 12. *Argum.* ῥητὸν Auguſtini ipſius exponens e *lib.* IX. *Confeſſionum* [3], quod eſt hujuſmodi: *Quidquid illic eſt, quod Sinus Abraham vocatur, ibi Nebridius meus vivit &c.* „ Dicendum, *inquit*, quod ſicut requies Sanctorum Patrum ante Chriſti adventum dicebatur ſinus Abrahæ, ita & poſt Chriſti adventum, ſed DIVERSIMODE;

 „ Quia

1 *Cap.* IX, *num.* 2. *p* 234. *tom.* VII. *opp. edit. ejuſd.*
2 Vide *p.* 828. *ſeqq. hujuſce operis.*
3 *Cap.* III. *p.* 116. *tom.* I. *edit. Antuerp. an.* 1700.

„ Quia enim ante Chriſti adventum Sanctorum requies „ habebat DEFECTUM REQUIEI ADJUNCTUM, „ dicebatur idem INFERNUS, & SINUS ABRAHÆ; „ unde ibi NON VIDEBATUR DEUS. Sed quia poſt „ Chriſti adventum Sanctorum REQUIES EST COM- „ PLETA, CUM DEUM VIDEANT, talis requies di- „ citur ſinus Abrahæ, & nullo modo infernus, & ad hunc „ ſinum Abrahæ Eccleſia orat fideles perduci „. Jam *Abrahæ* ſinum, ante Chriſti mortem, *infernum* etiam ab Auguſtino appellari oſtendi capite ſuperiore [1]. Quin etiam *ſoluto* ſalutis generis humani *pretio* [2], *fideles* Chriſti *prorſus inferos* neſcire, adductis S. Patris teſtimoniis plane me arbitror effeciſſe. Atque *inferos* quidem numquam *inveniri appellatos* in *bono*, Auguſtini quoque auctoritate demonſtratum eſt [3]. Quibus ex rebus eſt conſequens, Patrum Sanctorum Veteris Teſtamenti animas, quæ in Abrahæ ſinu ante Chriſtum erant, non eodem fuiſſe ſtatu, quo ſunt poſt ejuſdem Chriſti Servatoris mortem. Nam illæ, quæ aliquid pœnæ ferebant, eamque ob rem in inferis *numquam appellatis in bono* detinebantur, egebantque liberatore, qui eas inde erueret, non tam erant felices, quam ſunt hæ, quæ *prorſus inferos neſciunt*, ſuntque conſequutæ *æternam vitam*, quæ Auguſtino teſte [4] in *Dei viſione* conſiſtit. Quamobrem Thomæ de Abrahæ ſinu interpretatio tam Auguſtini decretis conſentanea eſt, ut non jam Thomæ, ſed Auguſtini eſſe propria videatur.

Itaque hoc teneo: S. Patris noſtri Auguſtini locum ex Sermone I. *in Pſalmum* XXXVI., ſic omnino intelligi oportere: *Poſt vitam hanc parvam* animas juſtorum *non ibi proprie*, hoc eſt non in *loco ſpatium* occupando *futuras*, *ubi erunt Sancti* poſt corporum reſtitutionem; nam fore,

1 *Pag.* 748. *ſeqq.* & hoc ipſo *cap. p.* 804. *ſeq.*
2 *Pag.* 758. *ſeqq. hujus operis.*
3 *Ibid. p.* 768. *hujus operis.*
4 *Pag.* 721. *ſeq. hujus operis.*

fore, *quis neſcit*, ut ſancti poſteaquam ſuis rurſum inſtructi corporibus fuerint, locum occupent? Jam vero animas Sanctorum hominum, cum percipi a mortali nequeat, quo demum modo futuræ *alicubi ſint*; futuras ſpirituum modo in *requie*, ſeu *in ſinu*, hoc eſt in *ſecreto Abrahæ*, ubi illum *quondam ulceroſum pauperem dives ſuperbus vidit a longe requieſcentem*. *Requiem* autem illam, ſeu *ſinum*, ſeu *ſecretum*, non in *inferis* nunc eſſe (ut erat ante deſcenſum animæ Chriſti ad inferos) ſed in cælo [1].

Non quæret, opinor, Cadonicus, cur demum Auguſtinus ſententiæ ſuæ addiderit: *in illa requie poſitus ſecurus expectas judicii diem, quando recipias & corpus, quando immuteris, ut Angelo æqueris*? Nam hæc illi item ut nobis explicanda ſunt, ne beatitatis ratione animas Sanctorum haud æquari Angelis, adeoque expertes eſſe viſionis Dei, exiſtimaſſe Auguſtinus videatur. Atque intelligo equidem abuti etiam hoc S. Doctoris loco hæreticos illos, qui juſtorum animas ad judicii diem futuras aſpectu Dei beatas negant. Ac ſi hoc eodem de loco quid ſentiam Cadonicus roget, ſic habeat: quidquid hoc ſit difficultatis, expediri a S. Thoma 1. P. ſummæ *Theologicæ quæſt*. LI. *Art*. 1. *ad* 1. a qno ſtatuitur, Auguſtinum ex aliorum opinione egiſſe de Angelorum corporibus. Quod ſi more ſuo Cadonicus moveri ſe negat auctoritate Thomæ, etſi ſecum ipſe luctans neget [2], adeat tamen Noriſium, a quo ſunt item ſcriptæ Auguſtini Vindiciæ, cognoſcetque ex *cap*. IV. *earumdem Vindiciarum* [3]: *Dubium ſe Auguſtinum de Angelorum corpore fuiſſe, ſignificaſſe*. Igitur cum, huic ſi credatur, Auguſtinus ſic dubitaret, hæſitans quidem certe cum alibi, tum etiam *lib*. XV. *de Civit. Dei* [4], & *libro* XXI. loquutus eſt, quorum locorum alterum indicat idem Noriſius, alterum deſcribit. Quin etiam

1 *Pag*. 831. *hujus operis*.
2 Vide *hujus operis pag*. 705. *ſeqq*.
3 §. 1. *p*. 48. *edit. Patav. an*. 1709.
4 *Cap*. XXIII. & *lib*. XXI. *cap*. X.

etiam Angelicorum corporum meminit S. Pater in Enarrationibus præſertim in Pſalmos [1], ubi : Adhuc, *iuquit*, „ habet vitam utique corpus noſtrum, & tamen compa- „ rata corpori illi, quod futurum eſt, qualia ſunt AN- „ GELORUM CORPORA, invenitur corpus hominis „ mortuum, quamvis adhuc habens animam „. Cetera [2] prætereo, ne nimius ſim. Jam ne vides, ut corpora Sanctorum poſt reſurrectionem talia futura Auguſtinus ponat, qualia ſunt *corpora Angelorum*? Quid autem ille vult ſibi, dum ſcribit: *quando immuteris*? Attende, quid ſtatuat *in Pſal.* CII. [3] *Ubi*, inquit, *reſurrectio carnis? ubi exemplum membrorum, quod præceſſit in capite? Ubi? Vis audire?* MUTABITUR: *non tale erit, quale fuit. Audi Apoſtolum dicentem*, & mortui reſurgent incorrupti, & nos IMMUTABIMUR. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. *Seminatur corruptibile, ſurget incorruptibile*. MUTATIONEM *itaque expectamus*. En quid ſit τὸ *quando immuteris*. Nempe quando reſtitutum tibi fuerit corpus, non uti nunc eſt *corruptibile*, ſed *incorruptibile*, utque idem ait Auguſtinus, ANGELICUM, tunc ANGELO ÆQUABERIS. Intelligis modo, quid ſibi Auguſtinus velit verbis illis, *quando immuteris, ut Angelo æqueris*. Quamquam nunc dubitare nemini [4] fas eſt, ſint ne Angeli inſtructi corporibus; etſi, ut Noriſius putat, Auguſtinus ea de re [5] dubitaverit.

1 *In Pſ.* LXXXV. *num.* 17. *p.* 686. *tom.* IV. *opp.*

1 *In Pſal.* CXLV. *num.* 3. *p.* 1212. » Quamvis bonum aliquod ſit corpus noſtrum, » tamen quamdiu mortale propter peccatum, quamdiu indigens, quamdiu corruptibile, quamdiu ita mutabile, ut ne puncto quidem temporis conſiſtat in » ſe, procul dubio tale eſt, ut optemus redemtionem, qua ſit aliquando non » tale. Sed quale erit aliquando? Quale idem Apoſtolus dicit alio loco: *oportet* » *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. » Sed etiam cum fuerit tale corpus noſtrum, corpus jam cæleſte, & ſpiritale, » CORPUS ANGELICUM in ſocietate Angelorum, nec ſic dabit conſilium ani- » mæ: ſemper enim corpus, quoniam corpus eſt, infra animam eſt, & quævis » anima vilis excellentiſſimo corpore excellentior invenitur ». Et *num.* V. *p.* 1213. » Sit licet CORPUS ANGELICUM, inferius eſt, quam anima ».

2 *Num.* XIV. *pag.* 812.

3 Vide, quæ ſcripſi *p.* 17. *ſeqq. hujuſce operis & p.* 24. *ſeq.*

5 Loco ſupra indicato. Atque Noriſius idem *cap.* IV. §. III. *Vindiciar. Auguſtinia-*

rit. Sed ego S. Thomæ aſſentior, qui, ut paulo ante animadverti, S. Antiſtitem, quæ de corporibus Angelorum tradidit, non ſua quidem, ſed aliorum ſententia tradidiſſe, monet [1]. Cadonicus tamen a communi ſententia orthodoxorum recedens, non ſolum *Angelos* ipſe munitos putat eſſe corporibus [2], iiſque organicis, ſed ſperat etiam ſe impune laturum, ſi Auguſtinum ſe patronum dicat fuiſſe jamdiu exploſæ opinionis ſuæ, reprobatæque univerſe ab Theologis Lateranenſi quartæ Synodo, uti par eſt, adhærentibus. Qua in re viderint ſapientes, *vindex* ne Cadonicus Auguſtini, an illorum imitator ſit, qui cum perturbare, ut ſeditioſi cives rempublicam, ſic illi Theologiam bene jam conſtitutam velint, aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant ſecus, atque commune ferat dogma, ſenſiſſe, ut eorum ipſi ſimiles eſſe videantur. Sed de his hactenus. Nunc ut in Manichæis oppugnatam ab Auguſtino orthodoxorum de Patribus Veteris Teſtam. ſententiam Cadonicus oſtendere conetur, conſideremus.

Igitur ille *cap.* XXIII. Operis, quod inſcripſit: de Divi Aur. Aug. quæ videtur, ſententia [3]. „ Fauſtus, „ *inquit*, Manichæi diſcipulus veluti plaudentibus no„ ſtris [4], Patriarchas dicebat, atque Prophetas a Chri„ ſto ad lumen revocatos de tenebris inferni, ubi, pro „ malis meritis ſuis, alligabantur. Sed Sanctus Auguſti„ nus, ut repudiet tartareas tenebras, & mala merita „ a Manichæis inuſta Sanctorum animabus, quid de „ illis adhuc inquiri liceat, proponit: quid autem cer„ tum de iiſdem ſit, confirmat, ajens: *In quibus autem* „ *ſedibus erant juſti, qui exierant de hac vita, priuſquam* „ *Chri-*

ſtinianar. p. 61. *edit. Patavina an.*1709. ut paulo ante monui, animadvertit, *Sanctum Patrem de aliquo dubitaſſe, quod modo extra dubium ponitur, neceſſario dicendum eſſe.*

1 I. *P. Summa Theologica qu.* LI. *art.* I.

2 Qua de re vide, quæ ſcripſi hujus vol. *p.* 17. *ſeqq. & p.* 107. *not.* 3. *&* 4.

3 *Num.* IV. *pag.* 191.

4 Vide, quæ ſcripſi *pag.* 654. *hujus operis in not.*

„ *Chriſtus in carne veniſſet, & utrum etiam ipſos ad aliquod* „ *melius* paſſio Chriſti tranſtulerit, *qui in eum venturum,* „ *paſſurum, reſurrecturum non tantum crediderant, ve-* „ *rum etiam hoc ipſum, ſicut oportebat, prophetico ſpiritu* „ *prænunciaverant, in Scripturis Sanctis indagandum eſt,* „ *ſi quo modo ad liquidum indagari poteſt* [1] „.

Sed quid hinc conſequi commodi potes, Cadonice? „ Cum inquirendum, *inquis*, admoneat, in Scripturis „ Dei, ſi quo modo ad liquidum indagari poſſit, utrum „ animæ Juſtorum per Chriſti paſſionem ad aliquid me- „ lius fuerint tranſlatæ, palam demonſtrat, illas ſtatum „ ſatis bonum, etiam antea obtinuiſſe „. Verum non id quærimus, *ſtatum* ne *ſatis bonum illæ obtinuerint*; nam hoc catholici omnes concedunt, & lubentes quidem: ſed cujus generis is ſtatus bonus, eaque beatitas fuerit, an ſcilicet in viſione conſiſtens Dei; id vero eſt, quod nunc quærimus, & quo tu genere beatitatis ante Chriſtum fruitas fuiſſe animas Sanctorum Veteris Teſtamenti, ex Auguſtini, ex Auguſtini autem? immo vero ex Scriptoris alicujus catholici ſive antiqui, ſive recentis ſententia oſtendere numquam poteris. At addis: „ nec ita ſe „ Manichæorum inventis acquieſcere oſtendit, qui præſu- „ mebant, eas per Chriſti dumtaxat adventum effectas „ beatas, ut eodem tempore concederent, Sanctos Pa- „ triarchas propter propria mala merita, in tartareis „ tenebris uſque tunc fuiſſe concluſos „. Iſtud ne tu orthodoxis hominibus perſuadeas, ut quod *rudimentorum etiam ſuorum temporibus in catholica Eccleſia* de Sanctis Veteris Teſtamenti tum primum beatis aſpectu Dei, cum Chriſtus deſcendit ad inferos, didicerunt; id cenſeant in *Manichæorum inventis* eſſe numerandum? Ne ſpera, Cadonice, ullum te catholicum reperturum, qui Eccleſias univerſi Orbis, non dicam in Manichæiſmum, ſed in errorem, quamvis leviſſimum, cujus tandem cumque gene-

1 *Lib.* XXXIII. *contra Fauſtum cap.* IV.

generis conſpiraſſe, perſuaderi ſibi patiatur. Hoc cave potius, ne in te omnes impetum faciant, ulciſcendamque una voce pronuncient tam gravem injuriam abs te ipſo orthodoxis quibuſque Parochis, Epiſcopis, Pontificibus denique Maximis conflatam, quaſi majorum traditione contemta, inventis ſint aſſenſi Manichæorum. Verum id Patribus Eccleſiarum, iiſdemque judicibus eſto curæ. Nunc quam inſigniter fallare, id demum oſtendere mihi ſcito curæ deinceps futurum.

Atque hoc in primis abs te expediri volo: cur orthodoxorum communem ſententiam in inventa rejicias Manichæorum? Eos ne, qui malum Veteris Teſtamenti Deum, qui Patriarchas, qui Prophetas, qui juſtos, quos & ante legem, & legis tempore vixiſſe credimus, graviſſimis ſceleribus inquinatos, ac diaboli miniſtros, cultoreſque fuiſſe defenderent [1], ſecum ipſos ita pugnaſſe putem, ut quos impietatis reos ducerent, eoſdem ſalutem fuiſſe conſequutos arbitrarentur? Scio, te ad Fauſti, qui ſeculo IV. princeps ejus factionis fuit, auctoritatem confugere. Sed eſt illud incredibile, ut qui ſe Manichæorum dogmatum vindicem conſtituerat, is ſalvos voluerit, quos & conditor ſectæ Manes, & qui ex eo profecti deinceps fuerant, perpetuo periiſſe affirmarent. Deinde annon idem Fauſtus Catholicis vitio dare eſt auſus, quod Moſen, & Prophetas *nunc* Deum intueri ſtatuant? Libro enim XXX. [2] balſphemus ille ſcribit hoc

ooooo modo:

1 Jam hæc tam nota ſunt iis, qui mediocriter ſunt in Archelai, Didymi, Serapionis, Epiphanii, Titi Boſtrenſis, Auguſtini, ceterorumque, qui adverſus Manichæos ſcripſerunt, libris verſati, ut mirer, Cadonicum antea de Manichæorum dogmatibus agere inſtituiſſe, quam ea, cujuſmodi fuerint, ex majorum operibus didiciſſet. Quid? ſi Fauſtus Manichæus, cujus ſententiis, quas certe non intellexit, Cadonicus expugnare communem orthodoxorum doctrinam ſtudet; quid, inquam, ſi Fauſtus ipſe apud Auguſtinum *lib.* XIII. *cap.* I. *p.* 193. *to.* VIII. *opp. edit. Antuerp. an* 1700. blaſphemans ſcribat: *Amator ille veſter, & pudoris corruptor Hebræorum Deus . . . nec ipſe, quæ promittit, implere poteſt, & nos ea faſtidimus accipere?* Rurſum an non idem Fauſtus *ibid. lib.* XVI. *cap.* I. *p.* 201. ſtatuit, *Moſen alienum eſſe a Chriſto? & legem nihil a paganiſmo diſtare? ibid. p.* 202. Confer & *lib.* XXX. *cap.* I. *ſeqq p.* 315. *ſeqq. & lib.* XXXI. *cap.* I. *p.* 317. *ſeq.*

2 Apud Auguſtinum *lib.* XXX, *contra Fauſtum cap.* I. *ſeqq. p.* 315. *edit. Antuerp. an.* 1700.

modo: „ Hactenus non tantum *dæmoniis* EXAGITATOS
„ conſtitit Moſen, & Prophetas, cum tantas de cibo-
„ rum differentiis tulerint leges, ſed etiam, quod IM-
„ MUNDI ipſi fuerint, & COINQUINATI MENTE,
„ ATQUE CONSCIENTIA SUA, ut congrue in ipſos
„ & illud cadere poſſit, quod ſequitur: Deum ſe ſcire
„ profitentur, operibus autem negant. Cui autem hoc
„ magis competit, quam Prophetis, atque Moſi, qui
„ longe aliter vixiſſe probantur, quam Dei cognito-
„ ribus congruebat? Ego tamen nunc uſque præter
„ ADULTERIA, & FRAUDES, & HOMICIDIA, ni-
„ hil aliud eſſe putaveram, unde CONSCIENTIAS POL-
„ LUTAS habuiſſe viderentur Moſes, & Prophetæ:
„ nunc autem demonſtrante capitulo, ſcire jam datur,
„ etiam hinc eos inquinatæ mentis fuiſſe, quia aliquid
„ putaverint inquinatum. QUORSUM ERGO TALI-
„ BUS etiam NUNC vos VISIONEM DIVINÆ MA-
„ JESTATIS CONTINGERE POTUISSE ARBITRA-
„ MINI, CUM SIT SCRIPTUM, NISI EOS, QUI
„ CORDE PURI FUERINT, DEUM VIDERE NON
„ POSSE? At vero hi etiamſi caſti ab illicitis facinoribus
„ extitiſſent, ſola tamen hæc abſtinendi a quibuſdam
„ eſcis SUPERSTITIO, ſi mentem contaminat, DIVI-
„ NITATIS IIS POTUIT NEGARE CONSPECTUM„.
Verum quid multis eſt opus? Fauſtus idem in eo ip-
ſo, quem tute indicaſti, libro [1], non Manichæorum
id eſſe de juſtis Veteris Teſtamenti a Chriſto ereptis ex
inferis, ſed Catholicorum teſtatur dogma. „ Per hoc,
„ *inquit*, & Judæorum Patres, Abraham ſcilicet, &
„ Iſaac, & Jacob, SI EST HOC PRO CERTO DE
„ IISDEM CHRISTI TESTIMONIUM, QUOD AF-
„ FERTIS (*multi venient ab oriente, & occidente, & re-
„ cumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cælorum*)
„ quamquam fuerunt ipſi quidem FLAGITIOSISSIMI, ut
„ fere

1 Auguſtini *contra Fauſtum lib.* XXXIII. *cap.* 1. *ſeqq. p.* 327. *ſeqq.*

„ fere Moſes indicat eorum pronepos, ſive quis alius
„ hiſtoriæ hujus conditor eſt, quæ dicitur *Geneſeos*, qui
„ eorum vitas nobis odio omni, faſtidioque digniſſimas
„ ſcripſit, SINT tamen & ipſi jam in regno Cælorum;
„ SINT IN LOCO, QUEM NON CREDIDERANT
„ UMQUAM, NEC SPERAVERANT, ut fere ex eo-
„ rum liquido libris apparet; dummodo tamen conſtet,
„ VOBIS ETIAM CONFITENTIBUS, longo intervallo
„ DE TERRA, ac POENALI INFERORUM CUSTO-
„ DIA, ubi ſe vitæ merito coercebant, a Chriſto Domi-
„ no noſtro LIBERATOS, per ejus ſcilicet myſticam
„ paſſionem pervenire ad hoc ipſum potuiſſe, SI PER-
„ VENERUNT, quod ſcriptum de eis eſt. Neque enim
„ quia & latronem quemdam de cruce liberavit idem
„ noſter Dominus, & ipſo eodem die ſecum futurum
„ dixit eum in paradiſo Patris ſui, quiſquam inviderit,
„ aut inhumanus adeo eſſe poteſt, ut hoc ei diſpliceat
„ tantæ benignitatis officium. Sed tamen non idcirco
„ dicemus & latronum vitas, ac mores nobis probabi-
„ les eſſe debere, quia Jeſus latroni indulgentiam dede-
„ rit; aut quia publicanis, & meretricibus ignoverit
„ errata, dixeritque, quod etiam præcederent ipſi ad
„ Regnum Cælorum eos, qui ſe ſuperbe geſſerunt. In
„ injuſtitia namque, & in adulterio deprehenſam mulie-
„ rem quamdam, Judæis accuſantibus, abſolvit ipſe,
„ præcipiens ei, ut jam peccare deſineret. Quapropter
„ SI horum tale quid & CIRCA ABRAHAM EGIT,
„ & ISAAC, & JACOB, ipſi gratias: decet enim eum
„ talia operari circa animas, qui ſolem ſuum oriri facit
„ ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, &
„ injuſtos. SED HOC TAMEN MIHI UNUM IN
„ OPINIONE HAC VESTRA MOLESTUM EST, CUR
„ ID DE JUDÆORUM TANTUM PATRIBUS SEN-
„ TIATIS, AC NON DE CETERIS QUOQUE PA-
„ TRIARCHIS GENTIUM, quod & ipſi ſenſerint ali-

„ quando noſtri liberatoris hanc gratiam : præſertim
„ cum de ipſorum filiis magis Chriſtiana conſtet Eccle-
„ ſia, quam de ſemine Abrahæ, Iſaac, & Jacob. Sed
„ ais utique, illos quidem Idola coluiſſe, hos vero
„ omnipotentem Deum, idcircoque ſolum ipſorum cu-
„ ram habuiſſe Jeſum. Ita Dei omnipotentis cultura IN
„ TARTARA DETRUDIT, ET FILII EGET AUXI-
„ LIO, QUI COLUIT PATREM? Sed videris. CON-
„ SENTIAMUS, inquam, hactenus in cælum reductos
„ eos, non quia mererentur, ſed quia vincat divina
„ clementia vim peccatorum. Verumtamen utrum &
„ hoc a Chriſto dictum ſit, dubios etiam nos, & in-
„ certos ſcribentium ipſa varietas facit. Namque cum
„ duo Evangeliſtæ Matthæus, & Lucas de Centurione
„ quodam pariter narrent .... ſolùs tamen Matthæus
„ hoc adjecit Jeſum proſequutum eſſe, ut diceret: *Amen*
„ *dico vobis, quia multi venient ab Oriente, & Occidente,*
„ *& recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regno*
„ *Cælorum* .... Nec immerito nos ad hujuſmodi Scri-
„ pturas tam inconſonantes, & varias numquam ſane
„ ſine judicio, ac ratione aures afferimus; ſed con-
„ templantes omnia, & cum aliis alia conferentes, per-
„ pendimus, utrum eorum quidque a Chriſto dici potue-
„ rit, nec ne .... Sed videris: de hoc interim, ut in-
„ quam, capitulo tecum non nimium ego contenderim,
„ cum mihi illud ſatis ad præſidium ſit, quod ante po-
„ ſui, & quod *NEC IPSIS VOBIS NEGARE LICET,*
„ *ANTE DOMINI NOSTRI ADVENTUM, PATRIAR-*
„ *CHAS OMNES ISRAEL, ET PROPHETAS TARTA-*
„ *REIS IN TENEBRIS JACUISSE* pro meritis ſuis;
„ unde *SI UMQUAM LIBERATI A CHRISTO AD*
„ *LUMEN REDUCTI SUNT, QUID HOC AD O-*
„ *DIUM ATTINET VITÆ IPSORUM? ODIMUS* enim
„ *NOS, ET RESPUIMUS*, non quod fuerunt, ideſt
„ homines, *SED QUALES FUERUNT*, ideſt *MALOS*,

nec

„ nec *QVOD NVNC SVNT, IDEST PVRGATOS*, „ ſed quod fuerunt, ideſt impuros aliquando. Ac per „ hoc nobis interim, *VTCVMQVE VOS ID ESSE VVLTIS*, nihil obſtat capitulum hoc; cum, ſive eſt verum, „ Chriſti hic miſeratio commendetur, & bonitas; ſive „ falſum, Scriptoribus ejus crimen inhæreat. Nos utro- „ vis modo in tuto ſumus, ut ſemper „. Hæc Fauſti eſt a nobis integra fide ex tertio, ac triceſimo Auguſtini libro deſcripta oratio. Quo igitur ore audes, Cadonice, ex eodem libro omnino effici, dicere, *inventum* eſſe *Manichæorum*, quod orthodoxi omnes de ereptis ex inferis Sanctorum Veteris Teſtamenti Patrum animabus tradunt? Fauſtus ecce ſibi objicit Evangelii locum, *multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in Regno Cælorum*. Negat ſe ei loco plane aſſentiri. Non enim (ille ait ſacrilegus) tam *inconſonantibus Scripturis ab ſe ſine judicio aures afferri*. Quod ſi *pro certo* locus idem Evangelii ab Catholicis (adverſus Manichæorum iniquum dogma de interitu Patriarcharum eorumdem ſempiterno) allatus, de Patriarchis iiſdem intelligendus eſt, quos tamen Manichæi ponebant fuiſſe *flagitioſiſſimos*; nihil tamen hinc eſſe conſequens, addit Fauſtus, quamobrem ſui conturbarentur. Etſi enim non concedit, in regno eos cælorum eſſe, quod, ut idem impie mentitur, *non crediderunt, nec ſperaverunt*; tamen hoc permittit adverſariis ſuis Catholicis; ac *ſint*, inquit, *in regno cælorum, ſint in loco, quem non crediderunt unquam, nec ſperaverunt; dummodo tamen conſtet, vobis etiam* (Catholicis) *confitentibus, longo intervallo de terra, ac pœnali inferorum cuſtodia, ubi ſe vitæ merito coercebant, a Chriſto Domino noſtro liberatos, per ejus myſticam paſſionem pervenire ad hoc ipſum potuiſſe*, *SI PERVENERVNT* &c. Ea re permiſſa, illud ſe commodi, ut vides, conſequutum Fauſtus putat, ut, fatentibus noſtris, longo temporum intervallo in inferis Patriarchæ manſerint. Tamdiu autem

autem eos futuros in inferis non fuiſſe (ſuo Fauſtus arbitratu ſumit) niſi malorum meritorum, ſeu ſcelerum, quæ ipſi perpetraſſent, cauſſa. Jam vero, quod Catholici addebant, ex inferis exemptos morte Chriſti Patriarchas ipſos fuiſſe, perductoſque ad cælorum regnum, id Fauſtus dat, quamquam conditione adhibita, *SI PERVENERVNT*; quare ſatis oſtendit, eam ſibi minus placere ſententiam. Quam quidem conditionem rurſum adhibet, ſcribens: *SI horum tale quid & circa Abraham, egit* &c. Verum, quid pluribus te, Cadonice, moror? Mox ecce Fauſtus adjungit, Catholicorum hanc eſſe ſententiam, non ſuam. Atque hanc ipſam ſibi minime placere. *Sed hoc tamen unum*, inquit, *IN OPINIONE HAC VESTRA MOLESTVM EST, cur id de Judæorum tantum Patribus ſentiatis &c.* „

Audin'? *In opinione*, inquit, *hac veſtra*. Catholicorum igitur hoc ille adfirmat eſſe dogma, non *inventum*, neque *opinionem* Manichæorum. Quin etiam eſſe in ea animadvertit aliquid *moleſtum* ſibi. Qua ergo tu, Cadonice, confidentia eamdem ſententiam in *inventis* Manichæorum numeras, ejuſque rei confirmandæ cauſſa Fauſtum illud ipſum aperte negantem appellas [1] teſtem? Cognoſſe ne hoc te, dices; & fide tamen egiſſe bona? Quis credat? An negabis, comperta fuiſſe tibi, quæ tradita capitibus ejus libri, quem laudas, primis a Fauſto fuerant? Id ſi ita eſt, cur Fauſtum nominaſti, ejus non ante inveſtigata, perſpectaque ſententia? Quid enim indignius ſapientis gravitate, atque conſtantia, quam quod ſatis compertum, cognitumque non ſit, ſine ulla dubitatione defendere? Sed age, Cadonice, cumque plane videas, quid ille ſcripſerit, collige tandem aliquando te, atque una confitere, ei te ſententiæ indixiſſe imprudentem bellum, quam non ſolum Majores qui-

que

1 Cadonicus *cap.* XXIII. Operis inſcripti *de Divi Aurelii Auguſtini, quæ videtur, ſententia, num. 4. p.191. ſeq. & in Vindiciis Auguſtinianis cap.x. p.124. ſeqq.*

que noſtri(quod eorum auctoritate demonſtratum eſt) uti veram, atque orthodoxam probarunt, ſed Fauſtus etiam, quem tibi, cum appellaris, recuſare modo teſtem non licet, propriam eſſe confirmat Catholicorum, quamque ipſe eo nomine reprobat, quo tu fere eſſe putaſti rejiciendam. Nam ut tu in inferis eos fuiſſe non patere, qui amici fuiſſent Dei; ita Fauſtus orthodoxos irridens, qui ideo ex inferis Patriarchas, Prophetaſque exemptos a Chriſto fuiſſe pugnabant, quod Omnipotenti inſerviſſent Deo: *ita*, inquit, *Dei Omnipotentis cultura in tartara detrudit, & Filii eget auxilio, qui coluit Patrem?* Qua ex re intelligitur, non ſententiam Catholicorum omnium, quæ eſt de Patriarchis, atque Prophetis eductis Chriſti morte ex inferis; ſed *rationem* potius, qua ipſe tantopere confidis, tuam ex fontibus eſſe hauſtam Manichæorum.

Sed pergam Fauſti reliquam orationem expendere. Jam ſicuti tu orthodoxis omnibus proponis, ut viderint, quemadmodum inferos, juſtificationemque Patrum Sanctorum Veteris Teſtamenti poſſint componere; ita ſane Fauſtus, *ſed videris*, inquit. Rurſum Fauſtus rem non concedens noſtris, ſed quaſi cum ipſis liberaliter ageret, permittens, addit: *conſentiamus hactenus in Cælum reductos eos*. Verum quoniam Catholici Sanctos illos merito eorum reductos in cælum ajebant, id Fauſtus improbans, *non quia mererentur*, inquit, *ſed quia vicit divina clementia vim peccatorum*. Adjungit porro. ſatis ſibi ad *præſidium* eſſe, (*quod nec* IPSIS, Catholicis, NEGARE LICET) *ante Domini noſtri adventum Patriarchas omnes Iſrael, & Prophetas tartareis in tenebris jacuiſſe*. Adeo firma in Eccleſia Chriſti ea erat ſententia, ut vel Fauſtus intelligeret, Catholicorum nemini eamdem negare LICUISSE. Sed hoc erat, uti tu quidem ſcribendo jactas, divino beneficio reſervatum tibi, ut quod tam conſtans, ſtabile, immotum apud orthodoxos a tot ſeculis fuiſſe, hoſtes

ſtes etiam ipſi catholici nominis confiterentur, id tu dogma nunc demum evertere conarere. Redeo ad Fauſtum. Quod Catholici ſtatuebant, juſte (ob originalem culpam, qua tamen ſoluti fuerant) Patres veteris Teſtamenti detentos ad Chriſti mortem fuiſſe in inferis cauſſa reatus pendendæ temporariæ pœnæ excluſionis e regno cælorum; hoc idem Fauſtus, ut ſolent hæretici, in pejorem rapiens partem, *pro meritis ſuis* Patres eoſdem in tenebris inferorum tamdiu conſtitiſſe, mentitus eſt: quibus ex tenebris *liberati* ne fuerint, non concedens, ſed, ut dixi, permittens Catholicis: *unde*, inquit, SI UMQUAM LIBERATI *a Chriſto ad lumen reducti ſunt, quid hoc ad odium attinet vita ipſorum?* Catholici namque accuſabant jure Manichæos, quod hi Sanctos Patres veteris Teſtamenti, quos in cælum ex inferis a Chriſto tranſlatos fuiſſe conſtat, non juſtos, ſed flagitioſos, impioſque fuiſſe dicerent, adeoque odio haberent ipſorum vitam. Eam accuſationem depulſurus Fauſtus, dat quidem (contra tamen atque ipſe ſentiat, quaſi liberalitate quadam utatur) dat, inquam, Patres eoſdem ex inferis fuiſſe, non vera (quæ impietas fuit Manichæorum) ſed myſtica Chriſti morte, exemptos, reductoſque ad lumen; veruntamen (quæ illius, ceterorumque ejus factionis hominum inſania fuit) effici hinc negat poſſe, caſte eos, integre, ſancteque vixiſſe, additque: *odimus enim nos, & reſpuimus, non quod fuerunt, ideſt homines, ſed quales fuerunt, ideſt*. MALOS; NEC QUOD NUNC SUNT, ID EST PURGATOS, (ſi quidem verum eſt, eos fuiſſe liberatos; nam hæc perpetuo a Fauſto adhibetur conditio) *ſed quod fuerunt, ideſt impuros aliquando; ac per hoc nobis interim, utcumque vos* (Catholici) *id eſſe vultis, nihil obſtat capitulum hoc, cum*, SIVE EST VERUM, *Chriſti hic miſeratio commendetur, & bonitas* (non eorum ſanctitas, quod contra Catholicos Manichæi pugnabant;) *ſive falſum, Scri-*

ptori-

ptoribus ejus crimen inhæreat. Nos utrovis modo in tuto ſumus. Intellextin'? Cadonice. Quidquam ne clarius deſiderare quis poterat, qui ſtatui (fatentibus etiam Catholici nominis hoſtibus) vellet, majorum noſtrorum ſententia, juſtos fuiſſe, ſanctoſque Veteris Teſtamenti Patriarchas, atque Prophetas; & nihilo ſecius, ob reatum pendendæ temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei, quoaduſque Chriſtus morte ſua cælos aperuiſſet, detentos fuiſſe in inferis? Quid nunc tibi eſſe reliqui putas, niſi ut lapſum fuiſſe te graviter; eoque, ad quem ipſe provocaſti, teſte, non Manichæorum id eſſe inventum confiteare, ſed vetuſtate robuſtam, latiſſime patentem, ſtabilemque doctrinam Catholicorum?

At Auguſtinus. Quid is? An id genus dogmatis in inventa refert Manichæorum? Nihil minus. Cur igitur Doctorem hunc Sanctum nominas? Sed *cognoverat*, inquis, Auguſtinus *conceſſionem hanc (de Sanctis Patriarchis propter propria mala merita in tartareis tenebris uſque tunc concluſis) pluribus prohiberi, quæ Manichæi ex hac occaſione ſumere anhelabant; & præcipue, quia ſi Antiqui Patriarchæ propriis malis meritis interim fruitione Dei fuiſſent orbati ante Chriſti deſcenſum, non fuiſſent juſtificati; quo dato hæretici viciſſent in multis.* Quæ iſta eſt tua res quaſque miſcendi, turbandique, ratio? Quis umquam Catholicorum conceſſerat, Sanctos Veteris Teſtamenti Patres, propter ipſorum ſcelera, ſeu mala merita fuiſſe detruſos in inferos? Annon ex Fauſti loco illo oſtenſum plane ad veritatem eſt, hac de re in primis fuiſſe inter Orthodoxos, & Manichæos contentionem, ut Orthodoxi Patriarchas, Prophetas, pioſque ceteros Veteris Teſtamenti homines (juſtificationis certe, quam eſſent conſequuti, ratione) integre, ſancteque vixiſſe; Manichæi contra improbos eos, ſceleſtos, impios fuiſſe defenderent? Quæ ergo te cauſſa movit, ut ſcriberes: *cognoverat* Auguſtinus, quid illa conceſſio ſecum importa-

ret mali, quaſi vero id minus notum aliis, unique Auguſtino exploratum ſatis, & cognitum fuiſſet? Pergis: *Huic igitur capiti dum adverſatur ſanctus Auguſtinus*. Cui *capiti*? quæſo te. An ei, quod eſt de Patribus ante Chriſti mortem conſtitutis in inferis? Minime gentium. Nam cum id permiſſum a Fauſto Catholicis fuiſſet, de eodem contendendum non putavit. Cur ergo non aperte eloquutus es, cui *capiti* Auguſtinus *adverſaretur*? At hoc animadvertit: *de ſedibus, in quibus erant juſti, qui exierant ex hac vita priuſquam Chriſtus in carne veniſſet, & utrum etiam ipſos ad aliquid melius paſſio Chriſti transtulerit . . . qui Chriſtum paſſurum &c. ſicut oportebat, prophetico ſpiritu prænunciaverant, in Scripturis Sanctis indagandum eſſe, ſi quo modo ad liquidum indagari poteſt; non hinc temeritates opinantium conſectandas quorumlibet hominum, nedum tam execrabilis hæreſis perverſitates, nimis longe a veritate aberrantium*.

Quæro, quid hinc velis tibi? Fauſtus ſcilicet affirmarat, Catholicorum eam, pro qua pugnamus, eſſe ſententiam, ac talem quidem, ut eamdem ipſis negare non LICERET. Quod idem erat ac dicere, dogma id eſſe Eccleſiæ Catholicæ, quod proinde negare fas eſſet nemini. Quid Auguſtinus? An Fauſtum calumniæ arguit, ut alias conſuevit arguere, quaſi in certis ſententiis orthodoxorum ita firmis, atque immotis, ut negari omnino non poſſent, eam numerarit, quæ non eſſet ejuſmodi? Si autem non ſolum non arguit calumniæ, ſed ne negat quidem vera ab eo prædicari, adeoque non negando, remque omittendo reipſa concedit; quid eſt, quod hunc nobis Auguſtini opponas locum? Sed *de ſedibus*, inquit, *in quibus erant juſti, qui exierant de hac vita priuſquam Chriſtus in carne veniſſet, & utrum etiam ipſos ad aliquid melius paſſio Chriſti transtulerit, in Scripturis Sanctis indagandum eſt, non hinc temeritates opinantium conſectandæ quorumlibet hominum &c.* An hoc vis tibi, ut Auguſtinus, unius Scriptu-

ræ

ræ auctoritate, non Eccleſiæ, non Traditionis de religionis rebus eſſe ſtatuendum putaverit? Fauſtus obiicit Catholicis, eorum eſſe doctrinam, quam ipſorum nemini negare fas ſit (quod idem eſt, ac dogma eſſe Catholicæ Eccleſiæ conſenſione firmum, ac ſtabile) Sanctorum veteris Teſtamenti animas ereptas fuiſſe ex inferis. Id Auguſtinus non inficiatur, ſed ait in eo, quem nobis objectas, loco: ex *Scripturis Sanctis eſſe indagandum*, quod eſt *de Sedibus Patriarcharum &c.* non vero eſſe *temeritates opinantium quorumlibet conſectandas*. Quid tu hinc efficies? Soliſne Scripturis res eſſe finiendas, conſenſionemque Catholicorum, quæ certe Eccleſiæ conſenſio eſt (nam ex Catholicis ſolum Eccleſia conſtat) *temeritatem eſſe quorumlibet opinantium non conſectandam*? Quod ſi hoc non vis efficere, qua demum ratione hunc modo in nos ipſos intorques locum? Atque is locus, ſi non alio pertinere dicatur, ſed ad rem accommodetur abs te noſtram; hoc erit reliqui, ut te doctore *temeritas* quædam ſit Catholicorum in re doctrinæ conſenſio.

At enim Auguſtinus Orthodoxorum conſenſioni, ſeu Eccleſiæ non modo toti, ſed etiam fere toti in aliquam ſententiam conſpiranti, aliis in libris ſuis, eſſe auſcultandum docet. Quid? An non etiam in ſuis ad Populum Orationibus, Patrum Sanctorum Vet. Teſtam. animas ex inferis a Chriſto fuiſſe ereptas, Abrahamumque ipſum in inferis fuiſſe, firmæ illi, communique Orthodoxorum ſententiæ aſſenſus [1], docuit? Quod ſi quia alibi ille conſenſioni Orthodoxorum ſtatuit eſſe inſiſtendum (etſi Scripturas hic ſolum nominet) longe abfuit (ut abfuit revera) a Proteſtantium errore deſpicientium conſenſionem, traditionemque Orthodoxorum; profecto non negans hoc loco, Orthodoxos ipſos convenire in hanc, quæ eſt de Patriarchis ereptis ex inferis a Chriſto, doctrinam, adeo ut nemini fas ſit ab ea recedere; probanſque in aliis libris ſuis, orationibuſque ad populum doctrinam eamdem

PPPPP2

1 Vide ſupra *pag.* 748 *ſeqq.*

dem, oſtenderit neceſſe eſt, quam longe abſuerit ab opinione inani, ac nova tua. Sed roges me, cur ille contra Fauſtum diſputans, aperte non dixerit ſententiam de exemptis morte Chriſti ex inferis *animabus* Sanctorum Veteris Teſtamenti Patriarcharum communem eſſe omnium Catholicorum, negarique proinde non poſſe? Eodem jure ipſe abs te petam, cur ex *Scripturis indagandum* eſſe, quod eſt de Patriarcharum ſedibus, affirmarit; nec traditionem, nec conſenſionem Eccleſiarum aperte commemorarit, ne quis ipſum Scripturis ſolum; non Eccleſiæ, non divinis Traditionibus auctoritatem adhibuiſſe, ſuſpicaretur? Verumtamen geram tibi morem, & quamobrem Auguſtinus aperte, quod rogas, non dixerit, explicabo brevi. Scito igitur non fuiſſe opus, ut diceret. Nam Fauſto ajenti, noſtram eſſe eam ſententiam, quam negare cuiquam Catholico non liceret, Fauſto inquam hæc ajenti non reſtitiſſe, idem ſane fuit, atque vera illum prædicare, dicere.

Sed quo, inquies, ſpectant hæc Auguſtini verba: *non hinc temeritates opinantium conſectandæ*? Audi nunc jam. Eadem Auguſtini fuit, atque ceterorum Chriſtianorum Orthodoxorum de Sanctorum Veteris Teſtamenti animabus ante Chriſtum in inferis conſtitutis ſententia; eamque ipſe non comprehenderat modo libris ſuis, ſed populum etiam, ut ſupra [1] eſt demonſtratum, docuerat. Jam vero cum eam docuerit; *temeritatis* loco habendam profecto non putavit. Sed in quibus locis inferis animæ illæ detinerentur, inter Catholicos non conveniebat. Fuiſſe namque aliquos animadvertimus, qui in inferno reproborum Sanctas item animas illas non cruciatas, ut reprobi cruciantur, ſed requie gaudentes manſiſſe arbitrarentur [2]. Horum minus Fauſto diſplicebat opinio. Nam cum ſceleſtos, impioſque Patriarchas eoſdem fuiſſe contenderet, in inferiori inferno, in quo ſedes ſunt

1 *Pag. hujus operis 748. ſeqq.*
2 Vide *pag. 751. ſeq. hujus operis in not.*

ſunt reproborum, eas animas conſtitiſſe, putarit neceſſe eſt. Hinc Auguſtinus; quoniam ea de re inter Catholicos erat diſſenſio; ſtatuit, non de inferis quidem generatim, in quibus Patriarcharum eorumdem animæ fuiſſent, qua de re dubitabat nemo, ſed *de ſedibus*, ſeu de diſtinctis locis in Scripturis ſacris eſſe indagandum. Quid autem Scripturæ eadem de re ferrent, proponendum hoc loco non cenſuit, ſatiſque illi fuit animadvertere ex Evangelio Lucæ, *in ſinum Abrahæ, id eſt in neſcio cujus felicitatis magnum, abditumque ſecretum abſtuliſſe Angelos pauperem illum ærumnoſum a divite ſuperbiente contemtum*. Nam hoc uno loco ſatis oſtendi poſſe (non contra Catholicos illos, qui in requie ſanctas ipſas animas fuiſſe confitebantur, ſed adverſus Fauſtum) arbitrabatur, Patriarchas ipſos non fuiſſe impios, ſceleſtos, improbos; ſed juſtos, ac pios. Niſi enim pii, ſanctique fuiſſent, ea felicitate potiri nequiviſſent. Verum quod hoc loco non duxerat proponendum, propoſuit, dum opus fuit, etiam populo in concione [1], infernum ſuperiorem, auctoritate ductus Pſalmiſtæ, ab inferiore diſtinguens, atque in ſuperiore quidem Sanctorum Patriarcharum &c. animas ante Chriſtum conſtitutas fuiſſe ſtatuens, in inferiore autem animas torqueri impiorum. Quæ cum ita ſint, qui tibi illud venit in mentem, ut diceres, in *facie Eccleſiæ adverſus Manichæos* defenſum ab Auguſtino fuiſſe genus iſtud a communi Catholicorum ſenſu alienæ opinionis tuæ?

At Auguſtinus *in Scripturis indagandum docet, utrum ipſos* Sanctos Patriarchas ad *aliquid melius paſſio Chriſti tranſtulerit, non hinc temeritates opinantium conſectandas quorumlibet hominum*. Quis hoc negat? Sed principio, quod indagandum in Scripturis, animadvertit, id ne ille, te judice, ſtatuit eſſe falſum? Quod ſi non ſtatuit, quemadmodum inde efficies, defenſam *in facie Eccleſiæ* ab Auguſtino contra Fauſtum diſputante opinionem communi ſen-

1 Confer *hujus operis pag.* 748. *ſeqq.*

ſententiæ Orthodoxorum contrariam? Deinde, Auguſtinum ne, cujus eſt abs te, ut jactas, ſuſcepta defenſio, tam abſurdo ingenio fuiſſe dices, ut conſectaretur eas, quas tu ab eo appellatas putas *quorumlibet hominum opinantium temeritates*? Atqui Auguſtinus in Pſal. LXXXV. [1] ut ſupra demonſtratum eſt, Abrahamum in inferis manſiſſe, indeque Chriſti morte ipſum, Sanctoſque ceteros veteris Teſtamenti erutos fuiſſe ſcribit. Erui autem ex inferis, ut idem Auguſtinus animadvertit, *numquam* memoratis *in bono* [2], quid eſt, niſi liberari a re quapiam adverſa, adeoque in aliquid melius transferri? Cave, obſecro te, ne inſignis temeritas ſit, Auguſtinum id ut *temerarium* rejeciſſe, defendere, quod Auguſtinus non modo probarit, ſed etiam populum in concione docuerit. Sed quæres, quas demum ille opiniones *temeritatum* indicarit nomine. Modo ne communem Catholicorum ſententiam indicarit, ut certe non indicavit, quod plane oſtenſum a me eſt; quaſcumque demum indicaverit, non laboro. Quamquam tibi etiam id onus incumbit, ut demonſtres, quid eo indicarit nomine, ne, quem ab invidia vindicare ſtatueris, effeciſſe temerarium videare. Mea autem ſic eſt ratio: hominem Eccleſiæ fuiſſe neminem, qui, ante adventum Chriſti animas juſtorum, qui deceſſiſſent, Dei aſpectu fuiſſe beatas, contenderet. Incredibilis enim omnium fuit de animabus iiſdem non ſolum expertibus ejus generis beatitatis, ſed etiam in inferis conſtitutis conſenſio. Id quod ne Pearſonius [3] quidem negat vir is e ſecta Britannorum Epiſcopalium, quem tibi in adſerendo iſto opinionis portento facem prætuliſſe, ſupra docuimus. Ac ſi contra cenſes, afferto unum aliquem majorum noſtrorum, qui ſecus exiſtimarit. Hilarium tu quidem, atque Chryſoſtomum, invito certe Pearſonio, nominas, ſed qua fide nomines & oſtenſum alias a me

1 *Pag.* 748. *ſeqq.*
2 Vide *hujus operis pag.* 768.
3 Loco indicato ſupra *pag.* 377. *not.* 1.

a me eſt [1], & paulo poſt etiam diligentius videro. Præterea Pearſonium eumdem (qui Auguſtinum primum omnium, ac ſolum fere adverſus majorum ſententiam agere cœpiſſe mentitur) Reiſerum, Vagenſeilium, alioſque Lutheranos novos, Calvinianoſque ſequutus [2], Auguſtinum ipſum commemoras. Verumtamen id tibi primum uti certum ſumis, quod eſt poſitum in quæſtione. Deinde cum S. Doctorem perpaucis Scriptoribus, quorum meminiſti, aſſenſum fuiſſe ſtudes efficere, id conare, ut ille (contra, atque præſcripſerat) paucis, non innumerabilibus prope aliis, hoc eſt non toti fere Eccleſiæ conſenſiſſe videatur. Poſtremo, falſo tibi iſtud quidem ſumis, ut plane Auguſtini tot illuſtribus locis demonſtratum eſt [3]. Cum igitur omnium orthodoxorum fuerit eadem de re tanta conſenſio, ſententia certe eorum communis non fuit, ut ſæpe dixi, ab Auguſtino in *temeritatibus quorumlibet opinantium hominum* numerata. Aliam vero, conſtat, jamdiu fuiſſe inter Eccleſiæ homines controverſiam, num ſanctorum Patriarcharum, poſt Chriſti mortem, ceterorumque juſtorum veteris, novique Teſtamenti animæ beatitate potiantur conſiſtente in intuitiva, quam dicimus, viſione Dei; an ea ſit beatitas differenda ad judicii extremum diem. Hæc, cum diu multumque agitata fuiſſet, ſeculo tandem XIV. finita eſt a Benedicto XII. deincepſque a Florentina, & Tridentina Synodis quæſtio. Cumque proinde finita Auguſtini temporibus nondum fuiſſet, factum hinc fuit, ut Sanctus Antiſtes (etſi, ut oſtendimus, ad judicii diem non differri Sanctis putarit viſionem Dei) in 1. tamen Retractationum libro cap. XIV. nihil ſtatuens [4] ſcriberet; *ſed quinam illi ſint beatiſſimi, qui jam ſunt in ea poſſeſſione, quo ducit hæc vita, magna quæſtio eſt. Et Angeli quidem Sancti, quod ibi ſint*, NULLA QUÆSTIO EST: *ſed de* SAN-

1 *Pag. 576. ſeqq. & pag. 590. ſeq.*
2 Vide *pag. hujus operis 376. ſeqq.*
3 Vide *hujus operis pag. 748. ſeqq.*
4 *Num. 2. p. 16. tom. 1. opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

SANCTIS HOMINIBUS *jam defunctis*, *utrum* IPSI *ſaltem* DICENDI SINT, JAM IN ILLA POSSESSIONE CONSISTERE, MERITO QUÆRITUR. *Jam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggravatur, exuti ſunt; ſed adhuc expectant etiam ipſi redemtionem corporis ſui, & caro eorum requieſcit in ſpe, nondum in futurâ incorruptione clareſcit. Sed utrum ad* CONTEMPLANDAM CORDIS OCULIS VERITATEM, *ſicut dictum eſt*, FACIE AD FACIEM, *nihil ex hoc minus habeant, non hic* LOCUS EST DISPUTANDO INQUIRERE. Rurſum aliquorum fuiſſe opinionem intelligo, Chriſti quidem animam ad inferos deſcendiſſe, Patreſque inviſiſſe, ſed inde ipſos non exemiſſe: immo Sanctorum deinceps ſpiritus in inferis futuros, neque inde eſſe vindicandos, beatitateque augendos, niſi poſteaquam Servator idem Chriſtus genus hominum judicaturus advenerit. In his, qui ſic exiſtimarent, fuiſſe Novatianum [1] in eo, quem de Trinitate inſcripſit, libro, Tertullianum item [2], ac fortaſſe etiam Irenæum. Horum autem ab Auguſtino fuiſſe rejectum dogma, ut ex Enarratione in Pſ. LXXXV. aliiſque ejus locis efficitur [3]. Jam vero Auguſtinum ipſum numquam id fuiſſe in *temeritatibus* poſiturum, quod omnium eſſet conſenſione firmatum (alioqui ſecum ipſum, qui tantum conſenſioni tribuerat, fuiſſe pugnaturum) quodque ipſe populo traderet; ſed illud de quo fuiſſet quæſtio, quodque non conſenſu plurimorum, multoque minus auctoritate Sacrorum Bibliorum, ſed aliquorum arbitratu defenderetur. Hujuſmodi autem fuiſſe eorum commentum, qui in inferis relictas Sanctorum Vet.Teſt. animas, non vero *ad aliquid melius Chriſti paſſione tranſlatas* ajebant; neque eorum modo, ſed illorum etiam, qui (contra conſenſum plurimorum, per quos ad noſtram uſque ætatem eſt propagata de viſio-

1 *Cap.*1. *pag* 712. *edit. Veneta an.*1744. Confer Pamelium *in Tertull. Parad.* IX. *pag.* XLI. *edit. ejuſd.*

2 *In lib. de Anima*. Vide *locum pag. hujus operis* 617. Confer, quæ de Tertulliani ſententia ſcripſi *ibid. not.* 1.

3 Sic aliqui putant. Sed injuria. Vide quæ adnotavi *p.*620. *ſeqq. hujus operis*.

viſione Dei Sanctis ad judicii diem non differenda traditio, ob quam Sedes Apoſtolica, & Synodi Florentina, & Tridentina, idem dogma definierunt) eorum, inquam, qui negabant, piorum ſpiritus, quibus nihil luendum ſuperſit, ad extrema mundi tempora viſuros Deum.

Fuiſſe alios præterea conſtat, quorum in Epiſtola ad Evodium [1] facta ab Auguſtino eſt mentio, qui Sanctorum Veteris Teſtamenti Spiritus cruciatibus purgatoriis fuiſſe vexatos, atque ex ſuppliciis ad melius quidpiam morte Chriſti fuiſſe tranſlatos contenderent, a quorum opinione minus abhorrere Fauſtus videbatur. Etſi vero ita his de rebus impune *aliqui* in Eccleſia ſentiebant, quod nondum res ipſas ſatis omnium firmatas liqueret eſſe conſenſu, eorum tamen *aliquorum* doctrinam *temeritatem opinantium* dici potuiſſe, quis neget; cum non reipſa Scripturæ, Traditioniſque auctoritate, ſed inanibus eſſet conjecturis fulta? Itaque ajo, Auguſtinum adverſus Fauſtum diſputantem, vel omnes, vel aliquas earum opinationum *temeritates opinantium* appellaſſe, veritatemque in ſacris litteris indagandam brevibus monuiſſe. Neque vero viſum ipſi cum Manichæis diſputanti fuiſſe, opus eſſe contra alios diſtinctius, copioſiuſque agere; cum ſatis jam ſe exemplo Lazari, & Abrahami juſtorum quidem certe, atque juſtitiæ cauſſa requie gaudentium, diſpuliſſe Manichæorum impium dogma exiſtimaſſet. Atque, ut ſæpe animadverti, *temeritatem* ille *opinantium* numquam id appellaſſet, quod & doceret ipſe, & eſſet omnium orthodoxorum conſenſione firmum; cujuſmodi hanc, ætate etiam Auguſtini, fuiſſe, quam tuemur, ſententiam, demonſtratum eſt. A Catholicis namque Eccleſia conſtituitur; quare quod omnes Catholici probant, probari Eccleſiæ, concedendum

1 *Epiſt.* CLXIV. *al.* XCIX. *cap.* III. *num.* 6. *pag.* 437. *tom.* II. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. Poſteaquam Auguſtinus ſtatuit, Adamum purgatoriis cruciatibus fuiſſe Chriſti deſcenſu ſolutum: » Addunt quidam, *inquit*, hoc beneficium antiquis » etiam ſanctis fuiſſe conceſſum, Abel, Seth, Noe, & domui ejus, Abraham, » Iſaac, & Jacob, aliiſque Patriarchis, & Prophetis, ut cum Dominus in infernum veniſſet illis doloribus ſolverentur ».

eſt. Auguſtinus autem in Epiſtola, qua tantopere confidis, præſcribit hoc modo [1]: *Si Eccleſia FERE TOTA conſentiat, non inaniter eam crediδiſſe, credendum eſt, undecumque illud traditum ſit, etiamſi Canonicarum Scripturarum hinc expreſſa non proferatur auctoritas*. Itaque ſtatuendum eſt, non de ea, de qua nulla erat inter orthodoxos diſſenſio, quam nos defendimus, quamque Auguſtinus probarat, populumque docuerat, ſententia, dictum illud fuiſſe *de temeritatibus* ab Auguſtino; alioqui ſecum ipſum fuiſſe luctaturum; ſed de *opinationibus* ſingularibus aliquorum, quæ de iis eſſent rebus, de quibus adhuc eſſe inter orthodoxos controverſia poterat: quamobrem lapſum eſſe te graviter, ut qui Auguſtino probatam, communemque Catholicorum, Fauſto etiam Eccleſiæ Catholicæ inimico teſte, ſententiam, in inventa ſis auſus rejicere Manichæorum. Ac de loco quidem Auguſtini adverſus Manichæos diſputantis, quo ipſe abutere, ſatis dictum eſt.

Reſtat locus contra Pelagianos, in quo implicando non minus, Cadonice, tua eſt verſata induſtria. Sic enim ſcribis *cap.* x. operis de *D. Aurelii Auguſtini, quæ videtur, ſententia &c.* [2] „Conſideremus eam Pelagianorum in Ca„tholicos fuiſſe calumniam, qua nos docere dictitabant, „*Sanctos in Vetere Teſtamento non caruiſſe peccatis, id eſt* „*nec per emendationem a criminibus fuiſſe liberatos, ſed in* „*reatu a morte fuiſſe deprehenſos* „. Conſideremus id quidem. Verum cave, ne non ſit ad rem. Nam de reatu culpæ Pelagiani agebant, non pœnæ temporariæ excluſionis e regno Dei, permanſioniſque in inferis, quoad Chriſtus pretium pro nobis ſolviſſet. Quare illud Catholicis exprobrabant, ſtatui ab ipſis, Veteris Teſtamenti Patriarchas &c. *nec per emendationem* a CRIMINIBUS FUISSE LIBERATOS. At Auguſtinus. Quid is? Quid? „Immo dicimus, *ajebat*, vel ante legem, vel tempore „Veteris Teſtamenti a PECCATIS FUISSE LIBERA„TOS„.

1 Auguſtinus *ibid.* 2 *Num.* xxi. *pag.* 88.

„ TOS „. Cur grandioribus litteris τὸ a *peccatis fuiſſe liberatos* deſcribis? Eſt ne quiſquam noſtrum, qui neget? Quod ſi nemo eſt, quid inde extundere contra nos, Cadonice, poteris? At addit Auguſtinus: „ Non virtute „ propria ... nec Vetere Teſtamento ... nec ipſa lege ſan„ cta, & juſta, & bona ... ſed liberatos eſſe per ſanguinem „ ipſius Redemtoris, qui eſt unus mediator Dei, & ho„ minum Chriſtus Jeſus [1] „. Eſt iſtud plane verum. Sed expecto, quam iſthinc ſis concluſurus ſententiam. „ Intre„ pida, *inquis*, iſta reſponſio non diluiſſet profecto hære„ ticorum objecta, niſi fides Catholicæ Eccleſiæ TUNC „ ETIAM fuiſſet, antiquos juſtos tum ante legem, tum „ in Vetere Teſtamento per merita Sanguinis Chriſti tan„ to poſt corporaliter effundendi, ita a peccato fuiſſe „ liberatos, ut in nullo reatu eos deprehenderet mors „. Serio ne, quæſo, an ludo agis? Quid iſtud eſt, *tunc etiam*? An *fidem Eccleſiæ* id ferre pugnas, ut illi reatu nullo pendendæ temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei ad mortem uſque Servatoris tenerentur? Nam τὸ *tunc etiam*, quo ſpectet, niſi huc ſpectet, ut *nunc* item id fide doceri pugnes, expedire qui tandem poteris? Verum qua confidentia id Eccleſiæ fidem umquam tuliſſe, defendes? Annon demonſtratum eſt tibi, Eccleſias univerſi orbis omnes docere, Sanctos, qui ante legem, & legis tempore floruiſſent, manſiſſe in inferis, nec ante inde fuiſſe exemtos, quam eodem Chriſtus ipſos liberaturus veniſſet? Doctrinam ne omnium Chriſti Eccleſiarum inimicam eſſe fidei Catholicæ Eccleſiæ, dices? Aut Eccleſiam nunc univerſam in ea fide verſari, quæ veteris Eccleſiæ fidei adverſetur? Aut Eccleſiam, ſeu cœtum ullum eſſe Catholicorum, qui doctrinam communem non colat, & apud quem unum Catholicæ Eccleſiæ fides conſiſtat? His vero quid dici poteſt a catholico viro indi-

 gnius?

1 *Lib. I. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap.* VI. *num.* 12. *p.* 275. *to.* X. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

gnius ? Quem autem tu indicabis catholicorum cœtum, qui tibi faveat ? Nullum profecto. Nam omnes jam demonſtravi adverſari tibi. Sed fac unum aliquem reperias, an hunc ceteris omnibus, Auguſtino etiam obnitente [1], præferas ? Tibi ne *ſingularitas*, non *univerſitas* indicium erit traditionis, contra atque nos majores quique noſtri ab Apoſtolis, qui a Chriſto acceperant, inſtituti docuerint ? Deinde fidem nunc, in qua verſatur Eccleſia, fidei veteris Eccleſiæ adverſari, ecquis, obſecro te, umquam ab hæreſi intactus dixit ? Age vero, quid fingi poteſt alienius a veritate, aut abſurdius, quam doctrinam Eccleſiæ univerſæ inimicam eſſe Catholicæ Eccleſiæ fidei; ſecumque Eccleſiam ipſam pugnare, ut aliud credat, aliud doceat ? Sed hæc aliena, quæ ex tua iſta dicendi ratione manant, omittamus. Cédo, quid ex *intrepida* Auguſtini *reſponſione* abs te effici confidas poſſe ? *In nullo*, inquis, *reatu deprehenſos Sanctos* illos fuiſſe *a morte*. De quo tu reatu loquere ? De quocumque, reſpondes, ſat ſcio. Mirificum Dialecticum nacti te ſumus, Cadonice, qui ex *intrepida* Auguſtini *reſponſione* concludas, quod nullis inde machinis extundi queat. At Auguſtinus ſtatuit *a peccatis* eos fuiſſe *liberatos*. Cur non ? At *non virtute propria*. Quis negat ? At *nec Vetere Teſtamento*. Eſt id etiam certum. At *nec ipſa lege juſta, ſancta, & bona*. Conveniat id quoque neceſſe eſt. At *per Sanguinem Redemtoris, tanto poſt*, inquis, *corporaliter effundendi*. Equidem lubens aſſentior. Quid nunc ? Eſt ne quidquam in iſta omni oratione tam nexi, ac copulati, ut a *liberatione* a *peccatis* deſcendere ad quemcumque reatum, ſeu ad reatum pendendæ temporariæ pœnæ tollendum poſſis ? Præcipitare iſtuc, mihi crede, eſt, non deſcendere. Sed quoniam ventum ad iſtud genus argumentandi eſt, attende quorſum evadat. Nullos ne fidelium putas eſſe, qui cum liberati a peccatis ſint, tum decedant ante quam

1 Vide Auguſtini locum deſcriptum a nobis *p.* 858. *hujus operis*.

quam plene divinæ juſtitiæ ſatisfecerint? Si nullos putes eſſe, jam fateare neceſſe eſt, te ab orthodoxo dogmate, quod ab Synodo etiam Tridentina [1] definitum eſt, diffidere; ſin minus putes, quæro ex te, *liberati* ne hi ſint a reatu culpæ? Quidni? inquies. Liberari enim a peccato idem eſt, atque liberari ab reatu culpæ, æternæque etiam pœnæ. Rurſum peto abs te, liberati ne ſint *per Redemtoris ſanguinem*? Ita prorſus, inquies. Optime. Quid? Hoſce ne cenſes, IN NULLO REATU eſſe a MORTE DEPREHENSOS? Si ita cenſes, expedi, cur cruciatibus purgatoriis eos torqueri declaratum [2] ab Synodo Tridentina fuerit. Pœnam enim quiſquam, SUBLATO quovis REATU, qui ferat? Quod ſi reatu eos pœnæ temporariæ dependendæ teneri, confitere (ut certe, ſi Catholicus vis eſſe, confiteare neceſſe eſt) quid eſt, quod ex iis, quæ de liberatis *per Sanguinem Redemptoris* Patriarchis, Prophetis &c. a peccatis Auguſtinus ſcribit, concludas Patriarchas eoſdem, Prophetaſque a morte IN NULLO REATU fuiſſe deprehenſos? Nam ut vere Auguſtinus Patriarchas, Prophetas &c. per Sanguinem Chriſti *liberatos a peccatis*, ita per Sanguinem Chriſti Chriſtianos illos a peccatis liberatos eſſe Religio orthodoxa docet. Si autem conſequens hinc non eſt, eos Chriſtianos in NULLO REATU a MORTE DEPREHENSOS eſſe; quemadmodum ex verbis Auguſtini id erit conſequens, quod ipſe de Patriarchis, Prophetis, juſtiſque ante Chriſtum ceteris concludis? Neque magis ferendum eſt, quod addis: „ Quem reatum, licet cum Divo „ Thoma naturæ imputaremus, non perſonæ, facili negotio „ perſonæ ineſſe monſtraſſent Pelagiani, dum nobis etiam „ faten-

1 Synodus Tridentina *Seſs.* XIV. *cap.* VIII. *p.* 94. *tom.* X. *Concilior. edit. Pariſ. an.* 1714. *& Canone* XII. *Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo &c. anathema ſit.*

2 *Seſs.* VI. *cap.* XIV. *p.* 38. *& Can.* XXX. *p.* 43. *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti culpam* ITA REMITTI, *& reatum æternæ pœnæ* DELERI DIXERIT, UT NULLUS REMANEAT REATUS PŒNÆ TEMPORALIS EXOLVENDÆ *vel in hoc ſeculo, vel in futuro in* PURGATORIO, *antequam ad regnum Cælorum aditus patere poſſit; anathema ſit.*

„ ſatentibus PERSONAM, id eſt ANIMAM, poſſeſſione
„ Dei privat, eamque in dolore conſtituit, atque hunc do-
„ lorem non tranſeuntem oſtendiſſent, aut modicum, ſed
„ fortiſſima ratione vehementiſſimum. Quatenus autem
„ dolor, licet mitiſſimus, a nobis concederetur, vel Pela-
„ giani hinc confirmarent pro ſe, reliquum fuiſſe reatum
„ in animabus Sanctorum Veteris Teſtamenti, vel juſti-
„ ſtitiæ Dei præſcriberent, eos punientis, qui nullum
„ haberent reatum. Quam objectionem, utrum Sancti
„ Auguſtini ſolidis doctrinis, an poſteriorum verbis pro-
„ fligare poſſimus, legentium judicio relinquo „. Quis enim te ferat hæc tam ἀσύςατα miſcentem, atque turbantem? Animam ne tu eamdem eſſe, atque perſonam cenſes? *Perſonam, id eſt animam*, inquis. Quid? *Animas* ne in divinis tres eſſe dices, quod tres ſint perſonæ; an in homine ſolum *eamdem* eſſe *animam*, atque *perſonam* ſtatues, naturamque Chriſti humanam *anima* carere, ne duabus ille *perſonis* ſubſiſtat; aut Chriſtum perſonis duabus ſubſiſtere? Ecquis umquam hominum in re Theologica novitiorum iſta tam falſa, tamque abſurda dixit? Equidem auctor tibi ſum, Parochum ut adeas, te ut doceat, quid *perſonæ* indicetur nomine. Cogita porro, obſecro te, Cadonice, nugis iſtis non unius te Thomæ, ſed omnium Eccleſiarum, ut oſtendi, ſententias evertere conari, idque ſumma Auguſtini injuria, qui nihil quidquam eorum, quæ defendis, habet ſimile, cuique tanto fuit opere Eccleſiæ ipſius doctrina cordi. Quid autem eſt levius argumento tuo? An tu reatu hominibus imputato ratione naturæ nullo modo perſonam affici arbitrare? Quid? reatum ne pœnæ mortis, & concupiſcentiæ, ratione perſonæ imputatum, an infectæ naturæ cenſes? Quod ſi naturæ, cur in juſtis hominibus concupiſcentiam ponis, eoſque non liberas reatu ſubeundæ mortis? Cur reatum imputatum ratione infectæ naturæ perſonis imputas? Præterea naturam ne a perſonis ſejunctam, atque abſtractam ſtatues eſſe,

eſſe, ut quod ei ſit imputatum, perſonæ pati non poſſint? Sed quid tam ridiculum, quam iſtud ſtatuere; quaſi vero reatus culpæ originalis, quo reatu, naturæ infectæ ratione, quiſque naſcitur, in unam naturam cadat, in perſonas non cadat? Abi, ac baptiſmo non perſonam cujuſque, ſed naturam tingendam præſcribito, ut eo culpæ genere ſolvatur. Verum piget me, iſta tam abſurda refellere. Redeo ad Auguſtinum. Hunccine tu in *reatu nullo pœnæ* temporariæ perſolvendæ fuiſſe Sanctos Vet. Teſt. *a morte deprehenſos*, putaſſe defendis, hunc, inquam, qui *originalis* culpæ cauſſa *excuſſam e perennitatibus mortalitatem in Lazaro* [1] amico Chriſti (qui certe *liberatus a peccato* erat) *inferos adamaſſe*, Pelagianos oppugnans ſcribit? Quid autem eſt *inferos adamaſſe in Lazaro excuſſam mortalitatem*,

1 Vide locum Auguſtini *pag.* 801. *ſeq. hujus operis*. Quemadmodum autem contra quidquam docere Auguſtinus, ſtatuereque poterat adverſus Pelagianos in *facie*, ut Cadonicus ſcribit, *Eccleſiæ*, eſſe *in temeritatibus opinantium* communem ſententiam numerandam, ſi is ipſe & in *Lazaro*, ut oſtendi, *excuſſam de perennitatibus mortalitatem inferos adamaſſe*, Johannem Chryſoſtomum ſequutus, defenſoremque Pelagianorum Julianum exagitans, tradidit; & idem Hieronymum, ejuſque Dialogos, qui contra hæreticos eoſdem perſcripti ſunt, commendavit (*lib.* II. *contra Julianum cap.* x. *num.* 36. *pag.* 563. *tom.* x. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. Confer etiam *lib.* III. *de Peccator. Meritis, & Remiſs. cap.* VI. *num.* 12. *p.* 51. & *lib.* I. *contra Julian. cap.* VII. *num.* 34 *p.* 342.) quibus quidem in Dialogis Hieronymus communem, pervulgatamque, quam tuemur, ſententiam probat? Scribit enim hoc modo *lib.* I. *p.* 503. *tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. an.* 1706. » Addis REGNUM CÆLORUM etiam in Teſtamento Veteri repromitti, poniſque » teſtimonium de apocryphis, cum perſpicuum ſit, regnum cælorum primum in » Evangelio prædicari per Johannem Baptiſtam, & Dominum Salvatorem, & » Apoſtolos. Lege Evangelia. Johannes Baptiſta clamat in deſerto: *pœnitentiam* » *agite, appropinquavit enim regnum cælorum*: & de Salvatore ſcriptum eſt: *Ex* » *eo tempore cœpit prædicare, & dicere, pœnitentiam agite; appropinquavit enim* » *regnum cælorum &c.* TU AUTEM NOS MANICHÆOS vocas cur legi Evan» gelium præferamus: in illa umbram, in hoc veritatem dicamus, & non in» telligis ſtultitiam tuam impudentiæ copulatam. Aliud eſt damnare legem, quod » Manichæus facit; aliud legi præferre Evangelium. In illa enim ſervi, in hoc » præſens Dominus loquitur. Ibi PROMITTITUR, hic IMPLETUR». Quemadmodum vero accipiendum ſit, quod Hieronymus de non *repromiſſo in Vet. Teſt. cælorum regno*, affirmat, ex iis locis intelligi plane poteſt, quos ex ejus libris deſcripſimus *p.* 572. *ſeq. hujuſce operis*, & quos Auguſtinus norat. Quod ſi libris editis quidquam, nemine animadvertente, repugnanteve, defendere, idem, te auctore, eſt, atque *in facie Eccleſiæ* illud defendere; jam nihil eorum, quæ optas, ſimile, ut oſtendi, defenſum ab Auguſtino *in facie Eccleſiæ* eſt; *defenſum* contra *in facie Eccleſiæ* ab Hieronymo fuerit, neceſſe eſt, uti *vere credendum*, quod nos credimus. Confer ejus locum, quem deſcripſi *p.* 574. *hujuſce operis*. Quid autem unum Hieronymum memoro? Ab univerſis omnium ſeculorum Scriptoribus, atque etiam ab Auguſtino, velut hactenus demonſtratum eſt, *in facie Eccleſiæ* defenſam communem hac de re noſtra doctrinam fuiſſe, debebam dicere.

tem, originalis peccati cauſſa (quo tamen peccato Lazarus ipſe ſolutus fuerat) niſi Lazarum eumdem, etſi liberatum a culpa, reatu tamen fuiſſe obſtrictum pendendæ pœnæ, quæ cuique ferenda temporaria manendi in inferis fuerat, propterea quod nondum *ſolutum illud pretium* a Chriſto fuiſſet? Quod cum ita ſit, fateare neceſſe eſt, Thomæ ſententiam reſponſioni Auguſtini eſſe conſonam, eidemque reſponſioni, immo doctrinæ univerſæ Eccleſiæ eſſe repugnantem tuam. Confer Cani locum *pag.* 480. *hujus op. not.* 9.

§. IV.

De locis agitur Auguſtini, qui ſunt de Sanctis Machabæis, de Sanctis Innocentibus, deque Lazaro mendico.

Opponis [1] item nobis, Cadonice, Sermonem Auguſtini CCC. *al. de diverſis* CIX. [2], qui ſermo eſt de *Solemnitate* Martyrum Machabæorum. Machabæos namque, Auguſtinus in eo animadvertit, fuiſſe *Chriſtianos, ſed eos nomen Chriſtianorum, poſtea divulgatum, factis anteceſſiſſe*. Addit S. Doctor: „ Chriſtum Martyres in manifeſto confeſſi „ ſunt, quem tunc Machabæi in occulto confeſſi ſunt. „ Mortui ſunt iſti pro Chriſto in Evangelio revelato, „ mortui ſunt illi pro Chriſti nomine in lege velato. „ Chriſtus habet utroſque, Chriſtus pugnantes adjuvit „ utroſque, Chriſtus coronavit utroſque, Chriſtus habet „ in miniſterio ſuo utroſque, tamquam quidam potentiſ- „ ſimus incedens cum agmine obſequentium, aliis præ- „ cedentibus, aliis ſequentibus „.

Nihil agis Cadonice. Nos quidem martyras fuiſſe Machabæos, & ante Chriſtum paſſos fatemur. Quin etiam coronatos, hoc eſt beatitate conſiſtente in viſione natu-

1 Cadonicus *cap.* XXIII. Operis, quod inſcripſit *de Divi Aurelii Auguſtini, quæ videtur ſententia p.* 146. *ſeqq.*

2 *Num.* V. *pag.* 851. *tom.* V. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

naturæ Dei auctos dicimus. Verum ante Chriſti mortem coronatos, ſeu viſione illa beatos fuiſſe negamus. Jam Auguſtinus *coronatos* eos fuiſſe a Chriſto ſcribit, *coronatos* autem ante Chriſti mortem non ſcribit.

Confugis ad Serm. ccc I. *al. de diverſis* cx. [1], quo in Sermone Sanctus Doctor de Matre Machabæorum diſſerens: „ Non amittebat, *inquit*, Filios, ſed præmittebat; „ nec intuebatur, quam vitam finirent; ſed quam in„ choarent. Deſinebant enim vivere ubi quandoque „ fuerant morituri, & incipiebant vivere ſine fine vi„ cturi „. Rurſum de tribus pueris Sidrach, Miſach, & Abdenago, deque iiſdem Machabæis agens: „ Quare, „ *inquit*, illi ab ignibus liberantur; iſti ab ignibus con„ ſumuntur? Ergo illis Deus aderat, hos deſeruerat? „ Abſit. Immo utriſque adfuit; illis in aperto, iſtis „ in occulto. Illos viſibiliter liberabat; iſtos inviſibi„ liter coronabat. Illi quidem a morte liberati ſunt; ſed „ in hujus vitæ tentatione manſerunt ... Fratres mei „ ſicut Chriſtiani intelligite: Machabæi melius, & tu„ tius liberati ſunt ... Ab iſtis vita finita, quæ tota „ tentatio eſt „.

Volvito, quamdiu voles, Cadonice, ſaxum iſtud; verum ſcito fore, ut ne hilum quidem proficias. Nemo enim eſt Catholicorum, quin ultro concedat, *finiſſe* Machabæos martyrio mortalem hanc vitam, aliamque *inchoaſſe*, *incœpiſſeque vivere ſine fine victuros*; quare *liberatos fuiſſe tutius*, quam erepti e cruciatu tres pueri fuiſſent. Nam cum martyrio perfuncti vitam eam *inchoaßent*, qua ſic eſſent in tuto, ut non modo metuere deinceps naufragium nullum, ſed ne *tentationem* quidem poſſent; cumque vitam tranquillam, felicem, tutam, a *tentationibus* liberam ſine fine victuri eſſent (poſt mortem enim Servatoris Chriſti non tollenda quidem iis, neque minuenda, ſed beatitate conſiſtente in viſione

1 *Num.* 1. *ſeq. pag.* 851. *tom. eod.*

Dei mirum in modum augenda erat requies, atque ſecuritas) cum, inquam ita res ipſa ſeſe haberet, quis tam eſſe aut imperitus Chriſtianorum dogmatum, aut amens poteſt, ut aliam eos *vitam inchoaſſe*, *incœpiſſeque vivere ſine fine victuros*, inficietur? Quod autem Auguſtinus adjungit: Machabæos Deus *inviſibiliter coronabat*, quale tandem eſt? An indicat ille, de corona ab ſe agi, quæ ſit in viſione Dei conſiſtens beatitas? Cedo, quonam id ille in loco indicet. Nullum affers. Ego vero *τὸ coronabat* hanc in eo Sermone vim obtinere video, ut ſignificet *ingreſſum in eam vitam*, quæ vacua *tentationibus*, ac libera omnino eſſet. Mox enim Auguſtinus addit: *Machabæi melius ac tutius liberati ſunt ... Ab iſtis iſta vita finita eſt, quæ tota tentatio eſt*. Næ tu hiſce monumentis, quæ explicari facile poſſint, clariſſima, atque certiſſima Auguſtini, quæ ſupra deſcripſimus teſtimonia, implicare, atque eludere numquam poteris. Ac tu quidem de Machabæis diſputans, non ſolum Auguſtini dogmata, ſed auctoritatem etiam libri II.[1] Machabæorum videris obſcurare, atque evertere conari. Nam hoc in libro de Eleazaro viro Sanctiſſimo (quem pernicioſo humanitatis genere amici hortabantur, ut non violaret legem, ſed violare tamen ſimularet) ſic habetur: *reſpondit cito dicens, præmitti ſe velle IN INFERNUM: non enim ætati noſtræ dignum eſt*, inquit, *fingere &c.*

Neque in alio Sermone illo, qui Auguſtino tribuitur, quemque nobis opponis[2], quidquam eſt, quod cauſſæ communi noceat. At hæc, inquis, in eo de Sanctis Innocen-

1 *Cap.* VI. *verſ.* 21. *ſeqq.*

2 Cadonicus in Vindiciis *cap.* XVI. *p* 259. » Addatur, *inquit*, ſententiam gloriæ » ſtatim a morte Sanctis Innocentibus tributæ, quæ in Sermone X. de Sanctis Au» guſtino alias inſcripto continetur, in die Natali Sanctorum Innocentium in Bre» viario Romano, poſt tot ejuſdem correctiones, legendam relinqui (quamvis » hunc ſermonem in Appendicem rejecerint Maurini *num.* 220. ſub hac cenſura: » *Conſtat excerptis ex Auguſtini Sermone* VIII. *&* XLVIII. *ex Ambroſiano de ss. Na» zario & Celſo, aliiſque laciniis, quæ Cæſarium ſapiunt* ». Sit is ſermo Cæſarii: Non alia certe ratione intelligi debet, quam Cæſarius idem voluerit. Quæ autem Cæſarii fuerit ſententia, demonſtratum eſt *p.* 550. *not.* 2.

nocentibus leguntur [1]. „ Ecce profanus hoſtis numquam „ beatis parvulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, „ quantum profuit odio. Nam ſicut ſacratiſſimum præ- „ ſentis diei feſtum manifeſtat, quantum in beatos „ parvulos iniquitas abundavit, tantum in eis gratia be- „ nedictionis refudit „. Euge Cadonice concludito argumenti ſententiam. Quid hinc efficere velis, demonſtrato. Nam horum, quidquid eſt, verborum, quæ Sermone illo continentur, tibi omnino a nobis negatur nullum. At hæc, inquies, ad rem non pertinent. Quam ob cauſſam igitur lectores tuos oneras, eaque ut conſiderent, cogis, quæ ad rem non pertineant? Perge porro, idque recitato, quod ad inſtitutum ſpectare arbitrere. Adjungit, *dices*, Auctor Sermonis: „ Digne „ natalem illorum colimus, quos beatius æternæ vitæ „ mundus edidit, quam quos maternorum viſcerum par- „ tus effudit. Siquidem ante vitæ perpetuæ adepti ſunt „ dignitatem, quam uſuram præſentis acciperent. Alio- „ rum quidem pretioſa mors martyrum laudem in con- „ feſſione promeruit, horum in conſummatione compla- „ cuit. Quia incipientis vitæ primordiis ipſe eis oc- „ caſus initium gloriæ dedit, qui præſentis terminum „ impoſuit „. Ego vero locum aliquem abs te afferri expectabam, in quo *gloriæ* non initium, ſed *conſummationem* tunc eos infantes fuiſſe conſequutos ſtatueretur. Quin etiam, in *regnum Cælorum, inque æternam vitam, quæ in viſione Dei conſiſtat*, inductos eoſdem infantes, ex Sermone ipſo, effici abs te poſſe, ſuſpicabar. Sed nihil tu effeciſti tale. Verba nobis objeciſti ex eo Sermone, quæ, ut intelliguntur ab orthodoxis omnibus, ſic intelligi profecto debent de vita, & requie illa, qua in ſinu Abrahæ potiti fuere infantes, quæque non eadem eſſet, atque conſiſtens in viſione Dei beatitas. Verum heus tu Auguſtini vin-

1 *In Append. tom. v. opp. S. Auguſt. ſerm. ccxx. al. x. de Sanctis num. 1. p. 257. ſeq. edit. Antuerp. an. 1700.*

ni vindex, fac Auctor ejus Sermonis, qui in Beviario Romano extat, de genere illo perfectæ beatitatis loquutus fuerit. Quid? An oblitus eorum es, quæ Auguſtinus in Epiſtola ad Dardanum, qua tu maxime abutere, animadvertit? Oſtenſurus enim, cur quædam dicamus de parvulis, aliiſque veluti plene perfecta, quæ perfecta plene nondum fuerint; *multa dicuntur in Scripturis*, inquit, *tamquam facta ſint, cum in ſpe adhuc eſſe intelligantur* [1]. In Epiſtola vero ad *Bonifacium* [2], Bonifacio eidem roganti: *Si conſtituam ante te parvulum, & interrogem, utrum, cum creverit, futurus ſit caſtus..... ſine dubio reſpondebis, neſcio; quid eſt illud, quod quando ad baptiſmum afferuntur, pro eis parentes, tamquam fidedictores reſpondent, & dicunt,* ILLOS FACERE, *quod illa ætas cogitare non poteſt, aut ſi poteſt occultum eſt?* annon reſpondet: *Nempe ſæpe ita loquimur, ut paſcha propinquante dicamus, craſtinam, vel perendinam Domini paſſionem, cum ille ante tam multos annos paſſus ſit, nec omnino, niſi ſemel, illa paſſio facta ſit; nempe ipſo die Dominico dicimus, hodie Dominus reſurrexit; cum ex quo reſurrexit, tot anni tranſierint? Cur* NEMO TAM INEPTUS EST, UT NOS ITA LOQUENTES ARGUAT ESSE MENTITOS, *niſi quia iſtos dies, ſecundum illorum, quæ geſta ſunt, ſimilitudinem nuncupamus, ut* DICATUR IPSE DIES, QUI NON EST IPSE, *ſed revolutione temporis ſimilis ejus, & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, ſed jam olim factum eſt? Sicut ergo ſecundum quemdam modum* [3] *Sacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt, Sacramentum Sanguinis Chriſti Sanguis Chriſti eſt; ita Sacramentum fidei fides eſt. Nihil eſt*

1 *Epiſt.* CLXXXVII. *al.* LVII. *num.* 27. *tom.* II. *opp. edit. ejuſd.*
2 *Epiſt* XCVIII. *al.* XXIII. *num.* 8. *ſeqq. p.* 202. *ſeqq.*
3 Obſecro, Cadonice, ne hunc Auguſtini locum aliorſum accipias, atque ipſe voluerit. Non te conturbabit, opinor, *τὸ ſecundum quemdam modum*, neque inducet, ut, Auguſtini ſententia, non eſſe revera corpus Chriſti in Euchariſtia arbitrere. Nam ſi te conturbarit, verendum eſt, ne librum alterum edas, *de Divi Aurelii Auguſtini, quæ videtur ſententia &c.*

eſt autem aliud credere, quam fidem habere; ac per hoc cum reſpondetur parvulus CREDERE, *QUI FIDEI NON HABET AFFECTUM, reſpondetur fidem habere propter fidei Sacramentum ... Itaque parvulum, etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere, reſpondetur; ita etiam fidelis vocatur, non rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo. Cum autem homo ſapere cœperit, non illud Sacramentum repetet, ſed INTELLIGET, EJUSQUE VERITATI CONSONA ETIAM VOLUNTATE COAPTABITUR.* Quod ſi quæ facta jamdiu ſunt, quaſi modo fiant, aut nondum ſint facta enunciamus; indeque Auguſtinus argumentum ſumit, ut ſtatuat, recte, quæ nondum perfecta ſunt, ea quaſi jam ſint plene, cumulateque perfecta, in libris præſertim Ritualibus efferri, dicique, Sacramenti fidei cauſſa, parvulum credere, quaſi ratione libertateque arbitrii utatur, ac ſciens, volenſque aſſentiatur decretis religionis, id, quod parvulus idem non facit, ſed eſt facturus, cum SAPERE COEPERIT; quæ cauſſa eſt, quamobrem non credas, ejus Sermonis Auctorem, Eccleſiamque ipſam, quæ Sermone eodem utitur, parvulos ab Herode interemptos, Machabæoſque, martyrii cauſſa configuratos morti Chriſti, quaſi tunc coronatos gloria, ſeu viſione Dei auctos celebraſſe, ac celebrare; cum hi in eo ſtatu fuiſſent conſtituti, ut certi jam eſſent præmii, quo nondum potiti, ſed potituri poſt mortem ipſius Chriſti Servatotis eſſent? Cavebis autem, ne ſi ſecus ſtatueris, inventum eſſe unum eorum aliquem cogamur credere, quorum ſe neminem reperiſſe Auguſtinus ſcribit. Quorſum hoc? inquies. Rogas? Audi: NEMO, inquit Auguſtinus, TAM INEPTUS EST, UT NOS ITA LOQUENTES ARGUAT ESSE MENTITOS. Quod ſi perſtas, age, dicito, Simeonem, qui Jeſum infantem *accepit in ulnas ſuas*, mortalem adhuc hanc vitam degentem beatum fuiſſe viſione Dei. Nam in eo Sermone qui CXIII.

in

in Appendice tomi v. [1] *operum Auguſtini* eſt, quique olim Sermonum Auguſtinianorum XIII. de *Tempore* fuit, legiturque in Romano Breviario ad d. II. Februarii, ſic habetur: *In templo* Chriſtus *præſentabatur, & a Simeone ſene famoſo, annoſo, probato, CORONATO agnoſcebatur. Tunc cognovit, tunc adoravit, tunc dixit*: nunc Domine dimittis ſervum tuum in pace &c. *Differebatur exire de ſeculo, ut videret natum, per quem conditum eſt ſeculum*. Abi modo, Cadonice, ac Simeonem dum adhuc mortalis inter mortales verſaretur, propterea quod *coronatus* dicatur, beatum fuiſſe aſpectu Dei, regnoque cælorum potitum concludito. Ac niſi *coronatum* dici reſponderis, propterea quod reſervata illi gloriæ corona poſt Chriſti Servatoris mortem eſſet: quodque futurum erat, id exhibitum veluti jam factum in eo Sermone fuiſſe; quid demum ſis reſponſurus, fallor. Quod ſi hæc ſunt omnino ita accipienda, quid eſt, quod premi nos Auguſtini Sermonibus de Machabæis, Sermoneque Cæſarii de SS. Innocentibus arbitrere? Sed de monumentis, quæ extant in Ritualibus Eccleſiæ libris, alias.

Quæ de Lazaro, & Divite producis [2] ex Sermone CII. alias XXIV. *de verbis Domini*; ex I. *lib. de Civitate Dei c.* XII. *n.* I. & ex Sermone XLI. al. XI. ex Sirmondianis, quæque convaſare ex aliis Sancti Doctoris operibus poteras, communi orthodoxorum ſententiæ non adverſantur, neque implicant ea tam illuſtria Auguſtini ejuſdem teſtimonia, quæ ſupra a nobis deſcripta ſunt. Quis autem noſtrum negat, ablatum fuiſſe *Lazarum in ſinum Abrahæ ab Angelis: præclaras exſequias in conſpectu hominum exhibuiſſe purpurato illi diviti turbam famulorum, ſed multo clariores in conſpectu Domini ulceroſo illi pauperi præbuiſſe miniſterium Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium ſuſtulerunt? Bona* præ-

1 *Num.* 3. *pag.* 162.

2 Cadonicus in eo libro, quem inſcripſit: *D. Aurelii Auguſtini quæ videtur ſententia &c. cap.* XIII. *num.* 8. *ſeqq. p.* 105. *ſeqq.*

prætera *Lazarum non percepiſſe in vita ſua* ; *aliam* namque *fuiſſe vitam ipſius* , *quam ſperabat in ſinu Abrahæ* : *ventura* porro *fuiſſe illa bona*; *ventura*, *ſed inviſibiliter* ? Hæc omnes facile concedunt . Hoc abs te poſtulatur , Cadonice , ut Auguſtini locum aliquem afferas , ex quo effici poſſit , in ſinu tunc illo , in illa requie , in illo gaudio id beatitatis fuiſſe , quod conſiſtit in intuitiva viſione Dei . Verum id neque effeciſti , nec efficies umquam ullo teſtimonio , non dicam Auguſtini, ſed ne alterius quidem cujuſvis Scriptoris , qui Catholicam religionem coluerit .

Eſt autem illud perridiculum, quod ſcribis cap. XII. Operis tui *De D. Aurelii Auguſtini* , *quæ videtur* , *ſententia* [1] . Demonſtraturus enim , Lazarum in lacu non fuiſſe , *in quo non eſt aqua* , cujus quidem lacus Zacharias Propheta meminit , locum ex Evangelio Lucæ deſcribis : *Mitte Lazarum*, *ut intingat extremum digiti ſui in aquam* : deinde ſic argumentare : „ Nunc igitur rem , & Evangelii „ verba prout ſonant , attendentibus , duo evidentia „ ſunt . Primo , quod dives in lacu eſſet , in quo non „ erat aqua . Si enim hæc præſto fuiſſet , numquam ab „ alio requiſiviſſet . Alterum quod Lazarus in loco degeret , ubi aqua non deficiebat , nullo enim modo flagitaret dives , quod ei deeſſet , a quo petebat . Conſequens igitur eſt , quod neque Lazarus , neque Abraham , neque reliqui juſti in ſinu ejus quieſcentes , lacum incolerent , in quo non erat aqua ; ac propterea „ textus Zachariæ (cap. IX. v. 11.) illis applicari non „ poteſt . Hic namque lacum memorat abſque aqua , „ quum Evangelium dicat Lazarum in loco , ubi aqua „ erat . Litteralem itaque ſenſum cuſtodiendo , ſi dives „ aquam , quam petebat , revera videbat , ſicut conſpexit Abraham a longe , & Lazarum in ſinu ejus ; „ inutile fortaſſe non eſt perſcrutari , utrum a commemoratione aquæ ab Evangelio exhibita , locum intel- „ ligere

1 *Num.* IV. *ſeq. pag.* 97.

„ ligere valeamus, in quo Lazarus erat. Duplicem aquæ „ locum in Scripturis invenimus. Geneſeos cap. I. habe- „ mus: *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aqua- „ rum, & dividat aquas ab aquis &c.* Scio aquam hanc „ ſuper firmamentum cæli collocatam ſupra fidem videri „ quibuſdam, qui magis philoſophorum humanis argu- „ tationibus, quam divinis eloquiis acquieſcunt, præci- „ pue quia natura aquæ proprio pondere ad terram fe- „ ratur, in eaque, & ſuper eam conquieſcat.... Cum „ D. Auguſtino, aquas, quas ſuper cælum Deus collo- „ cavit, ibi fuiſſe, & eſſe non ambigo. Quales autem „ aquæ ſint, id eſt hac noſtra leviores, nec ne, non in- „ quiro; eas tamen ibi eſſe, minime dubito .... Hoc po- „ ſito, & Divite a Lazaro guttam aquæ poſtulante, quæri „ item poteſt, utrum Lazarus iis eſſet aquis proximior, „ quæ ſub firmamento ſunt, terramque noſtram ambiunt, „ an illis, quas ſupra firmamentum eſſe, non dubitamus. „ Sed iſtis proximiorem fuiſſe, plura ſuadent „. Sanus ne tu es, qui veram aquam attingendam in Abrahæ ſinu, adeoque prope Abrahæ ſinum ponendam arbitrere? Animas ne vacantes corporibus aut digito, quo carent, aquam attingere; aut petere aquam poſſe, qua linguam (cujus ſunt expertes) refrigerent, ſtatues; ne ab *litterali* Scripturæ ſenſu recedere videare? Iſtud ne *litteralis* ſenſus Sacrarum Scripturarum feret, ut ſpiritus, qualis eſt animus humanus, linguam, & digitos, & membra etiam reliqua humani corporis [1] habeat? Hoc erit reliqui, ut ſinum, qualis

1 S. Auguſtinus *in* XXI. *lib. de Civ. Dei cap.* X. *p.* 477. *tom.* VII. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. *guttulam, quam dives Epulo popoſcit, incorporalem* dicit eſſe, *quales fuerunt oculi, quos levavit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum deſideravit infundi.* Mirum autem fortaſſe cuiquam videbitur, quod cum Cadonicus abuſus hoc Auguſtini loco, *probabilius* putet eſſe *cap.* VII. *p.* 47. *ſeq. operis de Divi Auguſtini, quæ videtur, ſententia &c. incorporalem eſſe ignem,* quo cruciari ſe dives Epulo querebatur, quoque cruciabuntur ad judicii diem reprobi; tum hoc loco ſtatuat; *corporalem* fuiſſe aquam illam, quam dives idem ſuæ linguæ infundi ſibi poſcebat ab Lazaro. Nam præterquamquod Patres, Scriptores, homines denique omnes etiam e plebe Catholici, aquam eamdem *corporalem* negant fuiſſe; Auguſtinus idem eodem in loco idipſum nihil hæſitans negat. Contra

qualis eſt corporis, attribuas animæ Abrahæ, ſinumque
ſſſſſ· tam

tra, ignem, quem corporeum eſſe, communis fert Catholicorum doctrina, ignem, inquam, illum, Auguſtinus ibidem ſcribit, eſſe corporeum. Quærens enim quomodo *in corporeo igne erit pœna etiam ſpirituum malignorum, eumdem quippe ignem fore ſupplicio hominum attribuendum, & dæmonu m;* reſpondet: *ſicut quibuſdam doctis hominibus viſum eſt, eſſe quædam etiam dæmonibus corpora*. Sed addit: » Si autem quiſquam nulla habere corpora dæmones aſſeverat, non eſt de » hac re aut laborandum operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione cer» tandum. CUR enim NON DICAMUS, quamvis MIRIS, tamen VERIS MO» DIS etiam ſpiritus INCORPOREOS POSSE PŒNA CORPORALIS IGNIS » AFFLIGI, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi INCORPOREI & nunc potuerunt » includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis » inſolubiliter alligari? ADHÆREBUNT ergo, ſi eis nulla ſunt corpora, SPI» RITUS DÆMONUM, immo SPIRITUS DÆMONES licet INCORPOREI, » CORPOREIS IGNIBUS CRUCIANDI; non ut ignes ipſi, quibus adhære» bunt, eorum junctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu, » & corpore; ſed ut dixi, MIRIS, ET INEFFABILIBUS MODIS ADHÆRE» BUNT ACCIPIENTES EX IGNIBUS PŒNAS, non dantes ignibus vitam; quia » & iſte alius modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, om» nino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt, & hoc ipſe homo eſt ». Qua ex oratione plane perſpicitur, Auguſtinum nihil hæſitantem, ſpiritus etiam omnino vacantes corporibus, quales ſunt animæ hominum, qualeſque eſſe Angelos contra doctos quoſdam homines alii credebant, igne corporeo torqueri, ſtatuiſſe. Neque vero movere quemquam poteſt, quod hæc extulerit Auguſtinus verbis futuri temporis. Nam & paulo poſt, futuri temporis verbo uſus, ignem *fore* corporeum dicit, cum tamen hunc ignem creatum jam eſſe, ac paratum diabolo, ejuſque Angelis ſtatuat; & eo etiam fortaſſe *fore* dici t, quo aliquos & fuiſſe olim, & eſſe ſua ætate ſciret, qui juſtis beatitatem, & mali s ſupplicia differri ad judicii diem dicerent; propterea quod non 'adhuc liquido conſtitiſſet plena Eccleſiarum contra eam opinionem conſenſio: quare omittendam eam quæſtionem, idque olim ſibi ſtatuendum generatim a dverſus Ethnicos diſputans putavit, quod tunc etiam nemini Catholicorum negare permittebatur: impios, Angeloſque malos ſupplicio ſenſus eſſe afficiendos. Verum id ſupplici um ſenſus in igne etiam corporeo, nihil dubitans ponit, quo ſupplicio ſpiritus etiam expertes omnino corporibus plectendi ſint. Ait quidem ille, uſurum ſe fuiſſe ad eam rem confirmandam Evangelii loco de divite, cujus eſſet cruciatus in flammis: verum cum locum non tam eſſe clarum, tamque perſpicuum, ut intercludat ei, qui velit reſiſtere, ipſius loci aliter explicandi viam: » Dicerem quidem ſic ARSUROS, *in» quit*, ſine ullo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos ille dives, quan» do dicebat: *crucior in hac flamma*, niſi convenienter reſponderi cernerem, ta» lem fuiſſe illam flammam, quales oc uli, quos levavit, & Lazarum vidit; qua» lis lingua, cui humorem exiguum deſideravit infundi; qualis digitus Lazari, » de quo id ibi fieri poſtulavit, ubi tamen erant ſine corporibus animæ. Sic » ergo incorporalis & illa flamma, qua exarſit; & illa guttula, quam popoſcit; » qualia etiam ſunt viſa dormientium &c. ». Sed etſi argumento, quod duci ex eo loco Evangelii poſſet, vim ineſſe ad rem confirmandam, Auguſtinus negarit: tamen conſtans in ſententia ſtatuit: ignem reprobis ſpiritibus paratum eſſe corporeum. Nam mox enim addidit: » AT VERO GEHENNA ILLA, QUOD » ETIAM STAGNUM IGNIS, ET SULPHURIS DICTUM EST, CORPOREUS » IGNIS ERIT, ET CRUCIABIT corpora damnatorum, aut & hominum & dæ» monum, ſolida hominum, aerea dæmonum; aut tantum hominum corpora » CUM SPIRITIBUS, dæmones autem SPIRITUS SINE CORPORIBUS HÆ» RENTES SUMENDO PŒNAM, NON IMPERTIENDO VITAM CORPORA» LIBUS IGNIBUS. UNUS QUIPPE UTRISQUE IGNIS ERIT, SICUT VERI» TAS DIXIT ». Quod ſi quia ob eam rationem Auguſtinus uti ſe nolle loco illo

Evan-

tam magnum, ut ferre *tot animas bene meritorum*[1] membris inſtructas, adeoque ſpatia occupantes, poſſit. Quin etiam, propterea quod in ſacris litteris & *digitum*, & *manum*, & *brachium*, & *pedes Dei*, & Dominum *ſuper aquas multas* legamus, expectandum erit, ut *litterali* Scripturæ *ſenſu* inducas nobis corpore inſtructum, eumque *aquis* innatantem Deum, unaque inveſtiges, quænam ejuſmodi aquæ ſint, eæ ne, quæ ſub firmamento ſunt, an contra, quæ ſupra firmamentum. Cogita, oro te, Cadonice, quid ſcribas. Nam quid iſtud eſt, niſi divina Scripturarum

Evangelii Lucæ dixit, concludendum eſt, ignem corporalem, quo crucientur Spiritus, ab Auguſtino ipſo tum fuiſſe aut negatum, aut in dubium revocatum. ſtatuendum item ob cauſam eamdem erit, negatum idipſum fuiſſe a S. Thoma, etſi is *Q.* XXVI. *de veritate art.* II. *in corpore* ſic habeat. » Ignis ille corporeus agens ut inſtrumen» tum divinæ juſtitiæ facit aliquid ſupra virtutem naturæ, ſcilicet animam » detinere, vel ligare, ſed ipſa unio per modum prædictum eſt naturalis; & » ſic patitur anima ab igne corporeo, prout dicimus pati omne id, quod impedi» tur a propria actione, vel ab alio ſibi competenti: & hunc modum paſſionis Au» guſtinus ponit in XXI libro de Civitate Dei ſic dicens: *cur non dicamus, quam» vis miris, tamen veris modis &c.* Hunc modum Gregorius ponit in IV. Dialo» gorum, ſic dicens: *Dum veritas peccatorem divitem damnatum in igne perhibet,* » QUISNAM SAPIENS *reproborum animas teneri ignibus neget* »? Nam etſi S. Thomas ſic ſtatuat, tamen *ad* I. *ejus Articuli Argum.* quod *ſed contra* vocant, reſpondet hoc modo: » Dicendum, quod illam probationem (*ex loco » Evangelii Lucæ de Divite*) Auguſtinus oſtendit eſſe invalidam *in* XXI. *de Ci» vitate Dei: Dicerem quidem ſic arſuros ſine ullo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ar» debat apud inferos ille dives, quando dicebat, crucior in hac flamma; niſi » convenienter reſponderi cernerem &c.* ». Deſcripto autem eo Auguſtini teſtimonio, quod a nobis quoque deſcriptum paulo ante eſt; adjungit: „ Et ſic patet, quod » illa auctoritas non eſt efficax ad probandum propoſitum, niſi aliud addatur ». Si autem Sanctum Thomam, hujuſce reſponſionis cauſſa, vocare in eam invidiam non licet, quaſi negarit, ignem illum, quo cruciantur Spiritus impiorum, corporalem eſſe, cur vocare Auguſtinum in eamdem invidiam licebit, atque ita quidem vocare, ac ſi probabilius id eſſe ſtatuerit, quod (ut Leonardus Coquæus Eremita Auguſtinianus vir doctiſſimus animadvertit *in not. ad c.* X. *lib.* XXI. *de Civ. Dei pag.* 791. *edit. Lugdun. an.* 1664.) repugnat communi, eidemque *certæ* doctrinæ Catholicorum? Atque Coquæus quidem ad illa Auguſtini verba: *quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna coporalis ignis affligi:* „ CERTUM quidem eſt, *inquit*, ex SCRIPTURA, & PATRUM AU» CTORITATE TORQUERI IGNE ILLO inferni & DÆMONES, & ANI» MAS DAMNATORUM: Qua vero ratione, cum ſint ſubſtantiæ & ſpiritua» les, & incorporeæ, patiantur AB ILLO IGNE CORPOREO, non ITA CER» TO conſtat. De hoc, cum D. Auguſtino hoc loco, diſputat D. Gregorius lib. IV. » Dialogorum *cap.* XXIX. „. Sed ea eſt Cadonici facultas, ut in Auguſtini libris reperiat, quæ reperit nemo; immo vero quæ ne Auguſtinus quidem reperiret, ſi nobiſcum viveret; utque ea non reperta quidem, ſed excogitata omnium orthodoxorum ſententiis, quæ CERTÆ habeantur, præponat; eſſeque *probabiliora* pugnet, contra atque ſenſus etiam communis poſtulet.

1 Confer, quæ deſcripſi ex Auguſtini *libro* IV. *de Anima, & ejus origine pag. hujus operis* 834. *not.* 2.

rarum oracula ludos facere? Et vis tamen, Auguſtini te haberi diſcipulum. Indigne, mihi crede, iſta Auguſtinus ferret [1], nobiſcum ſi viveret, ac te non vindicem eſſe diceret, ſed oppugnatorem doctrinæ ſuæ. Quidni tu Interpretes Sacrorum Bibliorum ſequere, qui aquæ vocabulo in eo Evangelii Lucæ capite non aquam [2] *naturalem*, ſed tranſlatione quadam *requietem*, quæ *refrigerium* etiam dicatur, ſignificari docent, qua *requie* certe dives ille carebat Epulo, cum *miris modis in flamma* [3] cruciaretur, quem cruciatum ſibi imminui prece Lazari cupiebat? Cur inſignes Theologos, Interpretes Scripturarum, Patres denique averſaris, locum Zachariæ de Abrahæ ſinu intelligi oportere ajentes; eoque laberis, ut quæ in eodem loco leguntur [4]: *tu quoque in Sanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*: ad divitem Epulonem accommodes, quaſi *is in Sanguine Teſtamenti Chriſti de lacu, in quo non eſt aqua, emiſſus* fuerit; itaque loqueris, quaſi de communi hac, qua utimur, aqua Propheta egerit, quamque ſi habuiſſet dives, non ei aqua illa fuiſſet opus, quam petebat a Lazaro: quæ inventa tua nugatoria ſunt, planeque etiam indigna commentatione anicularum. An difficile fuit, interpretem aliquem Scripturarum parare tibi, exque eo cognoſcere, *lacus, in quo non eſt aqua*, vocabu-

 bulis

1 Conſule Auguſtini teſtimonia, quæ attuli *pagina eadem ſeqq.*

2 S. Ambroſius in Evang. Lucæ *lib.* VIII. *cap.* XVI. *n.* 18. *tom.* II. *opp. edit. Venets an.* 1748. *pag.* 1014. » Eo, *inquit*, in inferno dives inducitur cupiens ali» quid de paupere ſpiritus refrigerantis haurire. AQUA enim REFECTIO EST » ANIMÆ IN DOLORIBUS CONSTITUTÆ, de qua dicit Eſaias: *& ſaliet » aqua cum delectatione de fontibus ſalutaris* ». Sed omnes Interpretes numerare, longum eſt, qui certe omnes veteres, recenteſque uno ore ſimilia horum, quæ ſunt ab Ambroſio tradita, confirmant.

3 Vide Auguſtini locum, quem deſcripſimus *p.* 814. *hujus operis*.

4 S. Thomas III. *par. quæſt.* LII. *art.* V. pluribuſque aliis in locis. Auguſtinus Calmetius in *cap.* IX. *Prophetiæ Zachariæ* VIII. » Explicantur, inquit, (a Hie» ronymo, Cyrillo, Divo Thoma, a SANCTIS, & INTERPRETIBUS CATHO» LICIS PASSIM) hæc verba de Jeſu Chriſto ad inferos deſcendente, unde is » captivos eduxit Veteres Patriarchas, novi fœderis vi, quod ſuo Sanguine fir» maverat „. Atque horum quidem Theologorum, Interpretum, Patrum teſtimonia afferre poſſem, ſed non eſt opus. Afferam autem, ſi opus deinceps fuerit.

bulis ærumnas [1], mœrorem, triſtitiamve indicari, qua triſtitia Patres Vet. Teſtamenti in inferis (in quibus tunc ſinus erat Abrahæ) afficiebantur, ob dilatam ſibi ad Chriſti tempora beatitudinem conſiſtentem in viſione Dei? Neque hoc pugnans tibi videri dices, ut qui in requie eſſent, iidem triſtitia afficerentur. Quam enim id non ſit pugnans, meminiſti fuiſſe tibi libro hujus operis ſuperiore [2] demonſtratum non opinione quidem, ſed plane ad veritatem. Quamquam ferendum non eſt, ut id ſibi quiſque rejicere licere putet, quod ipſi ſibi repugnans, contrariumque eſſe videatur. Nam ea licentia erumperet, mihi crede, in aliquod magnum malum. Myſterium enim Religionis nullum eſſet, quod non unus aliquis repugnans, atque adeo impune rejiciendum eſſe judicaret. Sed pudet me, tamdiu in nugis iſtis repellendis luſiſſe operam.

Quare ad Auguſtinum revertatur, unde huc eſt digreſſa oratio. Jam ut ſit ejus perſpicua ſententia, plane vides [3].

Quod

1 Confer Calmetium *ibidem*, quoſque voles Interpretes Prophetiæ Zachariæ. Nemo enim eſt, qui eum Cadonico ſentiat.

2 Vide quæ ſcripſi hujus operis *p.* 146. *ſeqq.*

3 Nullo enim Auguſtini teſtimonio efficere potuit Cadonicus, Sanctos in Abrahæ ſinu, ante Chriſti mortem, vidiſſe Deum. Nam quod unum affert ex Epiſtola ad Evodium, quodque perſpicuum putat, ita non efficit, beatitate conſiſtente in Dei viſione fuiſſe gaviſos Sanctos illos in ſinu Abrahæ, ut locus ex Geneſi ad litteram non evincit mortalem vitam degentes juſtos gaudere aſpectu Dei; & ſicut locus alter ex opere de Catechizandis Rudibus non oſtendit quidem Adamum in paradiſo terreſtri intuitum fuiſſe Deum. Vide quæ ſcripſi *p.* 774. & *pag.* 791. Deinde conſtat, Auguſtino probatam fuiſſe Chryſoſtomi ſententiam *de excuſſa e perennitatibus mortalitate inferos adamante*, peccati originis cauſſa, *in Lazaro* ipſo amico Chriſti. Quid autem hoc eſt, niſi Lazari animam ob reatum pœnæ excluſionis, ad Chriſti mortem, a regno Dei, quod regnum clauſum hominibus propter peccatum primi parentis fuerat, niſi, inquam, Lazari animam in inferis manſiſſe? Perſpicua ſunt Joh. Chryſoſtomi, quibus Auguſtinus aſſentitur, & quo Pelagianos refellit, loca, ut nulla circuitione verborum implicari, eludique poſſint. Vide teſtimonia & Auguſtini, quæ *p.* 801. *ſeqq.* & Chryſoſtomi, quæ *p.* 576. *ſeqq.* hujuſce operis deſcripſi. Quid? Si S. P. Auguſtinus Samuelis, ut oſtendi *p.* 771. *hujus operis*, & Abrahami, ceterorumque Sanctorum Vet. Teſtamenti animas detentas in inferis, indeque a deſcendente Chriſto ERUTAS teſtatur, ut *hujus operis p.* 748. *ſeqq.* demonſtratum eſt? Scio, nobis ab Cadonico opponi Monachi cujuſdam Congregationis Sancti Mauri animadverſionem de Auguſtino aut negante communem de ereptis animabus Sanctorum V. T. morte Chriſti ex inferis, aut eadem de re dubitante. Sed is Monachus neque jure dubitaſſe Auguſtinum ſcribit; neque attribuit Auguſtino Cadonicianum dogma de Sanctis

iiſdem

Quod ſi etiam eſſet obſcurior, quam velimus; non tamen rapienda in pejorem partem eſſet, ſed eo reducenda, quo poſtulat Eccleſiarum Catholici orbis conſenſio. Atque etſi ſunt ejus de Euchariſtiæ ſacris, deque viſione Dei (ſit ne, nec ne ſit differenda ad judicii poſtremum diem [1]) obſcuriora quædam loca, quotus tamen quiſque orthodoxorum eſt, qui non ea ita interpretetur, ut fidei doctrina poſtulat, a qua ille reipſa diſceſſit numquam? Majores noſtros (qui ante Nicænæ Synodi tempora claruerunt, quique non tam explicate, neque verbis tam appoſite, quam poſteriores Patres, de Sacroſancto myſterio Trinitatis loquuti ſunt) quiſquam ne Arianis concedendos, non explicandos [2] apte ad Eccleſiæ Catholicæ dogma ſtatuet? At definita, dices, jam Eccleſiæ judicio ſunt de Euchariſtia; de Dei Viſione non dilata Sanctorum animabus, quibus nihil pœnæ luendum ſuperſit; deque Trinitate dogmata; res autem, de qua eſt inter nos orta contentio, non item eſt definita. Quid hoc ad rem? Quaſi vero obſcura Sanctorum dicta ante definitionem dogmatis ſecus atque Eccleſiæ doctrina ferat, interpretari liceat; propterea quod poſt definitionem non liceat. Quod autem nos defendimus, nonne illuſtribus monumentis demonſtratum eſt, ab

iiſdem ante Chriſti mortem beatis aſpectu Dei; neque ſua auctoritate nos contra tot præclara teſtimonia, quæ attulimus, maximi illius, ſanctiſſimique Doctoris movere poteſt. Neque enim is ego ſum, qui cum explicare apte ad Eccleſiæ doctrinam Auguſtini loca poſſim, tum id non modo non faciam, ſed Maurinorum aliquos ſequutus, Auguſtinum, quaſi minus recte ſenſerit, oppugnem. Atque Monachi illi Congregationis ejuſdem, qui Hilarii operum editionem curarunt, in *not. ad Pſ.* LVIII. *nu.* XI. » Auguſtinus, *inquiunt*, peccatores ex inferis fuiſſe liberatos mavult, quam Sanctos. In hanc abit ſententiam motus verbis *Act.* II. *v.* 24. » quibus Chriſtus prædicatur a Deo ſuſcitatus *ſolutis doloribus inferni*. Sed ſi » juſti dicantur ideo doluiſſe, quia ardenter exoptabant Chriſtum, quo Salva» tore indigebant, præſentia ipſius dolores eorum ſoluti quidni dicantur »? Ita illi refellunt Auguſtinum ea certe ratione ducti, quod humani aliquid, cujuſmodi eſt errare interdum, labi, decipi, paſſum fuiſſe judicarent. Equidem certo ſcio, auctoritatem Eccleſiarum omnium, ac etiam fere omnium præferri auctoritati cujuſcumque Doctoris oportere; ſed ſi nihil manifeſto obſtet, quin ejuſdem Doctoris ſententiam accommodem ad communem Eccleſiæ doctrinam, id curo libens; multoque etiam libentius, ſi Doctor ipſe, quod certe Auguſtinus fecit, argumenta, quamobrem id curem, ſuppeditet.

1 Vide, quæ protuli *p.* 745. *hujus operis in not.* & *p.* 816. *ſeq.*

2 Confer S. Thomæ locum a nobis deſcriptum *p.* 796. *ſeq. hujuſ. oper. in not.*

ab Eccleſiis orthodoxis ubique gentium doceri [1], proponique Chriſtianis omnibus ad credendum ? Neque vero quidquam deripitur veritati, certitudinique capitis alicujus doctrinæ Eccleſiæ, quod ab Eccleſia ubique ad credendum proponatur; non, inquam, ei capiti doctrinæ quidquam deripitur, propterea quod nulli ſint adhuc orti hæretici, qui illud oppugnent, quique definitione proinde coercendi ſint, atque anathematis plectendi pœna. Alioqui dogmata de Trinitate, deque Incarnatione incerta ante definitionem fuiſſent, quo quid fingi poteſt indignius ? Ac de Auguſtino quidem hactenus. Cadonicum autem hortor,

„ Dehinc ne fruſtretur ipſe ſe, aut ſic cogitet:
„ Defunctus jam ſum, nihil eſt, quod dicat mihi.
„ Is ne erret, moneo, & deſinat laceſſere.
„ Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur,
„ Quæ proferentur poſt, ſi perget lædere
„ Ita, ut facere inſtituit [2].

CAPUT III.

I. De Hilario Pictavienſi, II. deque Joh. Chryſoſtomo agitur, demonſtraturque, quam longe a novo dogmate Cadonicianorum abfuerint.

QUod nunc dogma ab Cadonico, ejuſque patronis defenditur, primi omnium, ut ſæpe animadverti, excogitarunt, contraque Romanæ Eccleſiæ doctrinam ab ſe propugnari dixerunt Proteſtantes [3]. Horum ego etſi multorum libros perlegerim, nullum tamen memini offendiſſe me, qui Hilario Pictavienſi veniſſe illud in mentem, putaverit. Scilicet Cadonico, ejuſque patronis id ut ſuſpicarentur, inveſtigarent, invenirent denique reſerva-

1 Id vero a nobis demonſtratum copioſe eſt *p.*108. *ſeqq. hujus operis*.
2 Terentius in *Prolog. Eunuchi p.* 71. *ſeq. edit. Pat. & Baſſ. an.* 1747.
3 Vide *p.* 373. *ſeqq. hujuſce operis*.

ſervatum erat, ne quis ipſos nihil intuliſſe in rem Theologicam novi arbitraretur. Sed quam illud, quidquid eſt novi, longe ut a vero, ſic ab Hilarii doctrina diſtet, demonſtrandum eſt.

§. I.

Hilarius Pictavienſis Antiſtes longe abſuit a novo dogmate Cadonicianorum.

Hilarii teſtimonia omnino tria, quibus communis adſeritur orthodoxorum ſententia, deſcripſimus libro ſuperiore [1]. His quartum addidimus ex *Libello Fidei*, quem eidem Hilario adſcribit Trombellius ex Ordine Canonicorum Congregationis S. Salvatoris vir doctiſſimus, & amicus nobis. Lectores nunc oro, ea ut memoria repetant, expendant, etiam atque etiam conſiderent. Id ſi fecerint, non dubito, quin ſatis eſſe clara, atque perſpicua confiteantur. Claris autem, atque perſpicuis Scriptoris, de quo ſit quæſtio, explicanda eſſe illius obſcura, ſi qua ſunt, loca, nemo tam eſt rationis expers, qui aut neſciat, aut neget. Quod ſi de rebus ad doctrinam, diſciplinam, hiſtoriam denique pertinentibus dictum ab eo quidquam ſit involute; id (ſi iiſdem de rebus nihil ille explicate dixerit) Scriptorum aut ejus, qua ille floruit ætatis, aut ætati eidem propinquorum manifeſtis teſtimoniis eſſe illuſtrandum, criticæ facultatis periti rationem ducem ſequuti docent. Si autem de dogmatibus ille, ſententiiſve egerit, quæ attingant religionem, neque tam diſtincte, tamque aperte quam velimus, loquutus fuerit, tunc in ejus dictis exponendis, etiam ſi alia præſidia deſint, valebit certe Eccleſiarum omnium Chriſtiani Orbis in dogmate eodem, ſententiave conſenſio. Horum (quamvis comperta omnibus, certa, rataque ſint) nulla

1 *Pag. 590. ſeq. hujus operis.*

nulla tamen eſt ab Cadonicianis habita ratio de Hilarii ſententia differentibus. Non enim eos omnium Theologorum, non Eccleſiarum, non quorumque Scriptorum, qui ſuperioribus ſeculis claruerunt, in eamdem ſententiam conſpiratio movit, ne eorum quidem, qui Hilarii ætatem proxime attigerunt, aut qui illius temporibus vixerunt, quibuſque cum eo ſumma fuit doctrinæ, amicitiæ, conſuetudiniſque conjunctio. Nam ſunt hæc ab illis omnia ſilentio prætermiſſa. Hoc illis unum fuiſſe videtur curæ, ut claris, apertis, manifeſtis S. Doctoris teſtimoniis tenebras, nocteſque obducerent conquiſitis undique obſcuris locis, quæ fidenter tamen in claris ponerent, arreptiſque voculis quibuſdam, quas ſuo arbitratu interpretarentur. Quæ quidem involvendæ, implicandæque doctrinæ Veterum ratio, ſi apud Scriptores noſtros obtinere cœperit; equidem proſpicio fore, ut nullum tam patens ſit, tamque manifeſtum dogma, quod non hac tanta licentia aut obſcurari ab aliquibus, aut in res adiaphoras, ſeu indifferentes rejici poſſit. Sic autem adverſarios facere, oſtendendum eſt.

Atque Cadonicus in Vindiciis [1], nihil tam verens, quam ne, ſi indicium hæſitationis dediſſet ullum, prodidiſſe cauſſam videretur, cum unum Hilarii de *Divite*, & *La-*

1 *Cap.* XVI. *pag.* 266. Is ubi Tournelium accuſavit, quaſi is durius in Auguſtinum egerit (qua de re, cum non ſit mihi otium, nihil eſt, cur eſſe multis agendum putem) ſic tandem loquitur. » Cum textus Hilarii *in Pſal.* 2. *num* 48. » (*Tournelio*) objiceretur ea intentione, ut beatitas ſanctis animabus uſque ad » judicii diem etiam ab hoc ſubtiliſſimo doctore retardata monſtraretur, in hæc » verba: *Judicii dies vel beatitudinis retributio eſt æternæ, vel pœnæ. Tempus vero* » *mortis habet interim unumquemque ſuis legibus, dum ad judicium unumquemque* » *aut Abraham reſervat, aut pœna*. Reſpondet Tournely: *Judicii dies, de qua lo-* » *quitur, eſt dies judicii non ultimi, & univerſalis, ſed particularis, quod ſtatim* » *a morte quilibet homo experitur. Quod ibidem probat Sanctus Doctor exemplo di-* » *vitis Epulonis, & Lazari, qui uterque ſine mora ſtatim judicatus fuit; & iſte* » *gloriam, ille vero debitam pœnam reportavit. Unde Teſtimonium illud Sancti* » *Hilarii favet plurimum cauſſæ Catholicæ, ne dum noceat* . . . Notabunt lectores, » alium item Eccleſiæ Doctorem hoc cum Auguſtino EXPRESSE dicere, in La- » cujus verbis nullam culpam invenit Tournely, quamvis apertiſſime ſentiat, » zarum in ſinu Abrahæ gloria, quæ in videndo Deo conſiſtit, gaviſum fuiſ- » ſe. Nam profecto Lazarus illic receptus eſt, antequam Chriſtus pateretur, nec » LIBERARI OPUS HABUIT jam beatus, dum Chriſtus in inferna deſcendit ». Hæc Cadonicus.

& *Lazaro* memoraſſet locum, qui certe locus ei præſidio eſſe non poteſt, *tum interim*, inquit, *notabunt lectores alium item Eccleſiæ Doctorem cum Auguſtino hoc expreſſe dicere*. Eodem loco maxime ſeſe confidere, teſtatur Feltrius in eo libro, qui *Sancti Hilarii Pictavorum Epiſcopi de piorum ſtatu in ſinu Abrahæ ſententia* inſcribitur [1]. Eſt autem is Hilarii locus hujuſmodi: „ De via juſta im-
„ pii pereunt, quia in ea non erunt; pereunt autem de
„ via juſta, cum exarſerit in brevi ira ejus. Non mo-
„ roſa hæc ira eſt, per quam de juſta via pereunt; ne
„ quis ſibi interim in pœnæ lucro inter moras judicii
„ blandiatur. In brevi namque exardeſcit ira. Excipit
„ enim nos ſtatim ultor infernus, & decedentes de cor-
„ pore, ſi ita vixerimus, confeſtim de via recta peri-
„ mus. Teſtes nobis Evangelicus dives, & pauper, quo-
„ rum unum Angeli in ſedibus Beatorum, & in Abrahæ
„ ſinu locaverunt; alium ſtatim pœnæ regio ſuſcepit.
„ Adeo autem ſtatim pœna mortuum excepit, ut etiam
„ fratres ejus adhuc in ſupernis manerent. Nihil illic di-
„ lationis, aut moræ eſt. Judicii enim dies vel beatitu-

t t t t t „ dinis

1 *Num.* 3. *p.* 2. Is irem Tournelii ſeſe præſidio munitum cenſet. „ Teſtimonium quoddam Hilarii, inquit, ex *Tract. in Pſ.* 2. *nu.* 48. adverſus hæreticos ita emollire, ac explanare conatur, ur velit, Sanctiſſimum illum Epiſcopum exiſtimaſſe, Lazarum ſtatim ab obitu, ac proinde (*hoc addit de ſuo Feltrius*) antequam Dei Filius ſeipſum pro nobis devoveret Patri, gloriam reportaſſe; divitem vero epulonem debitam pœnam: poſt quæ ira triumphat: *unde teſtimonium illud S. Hilarii favet plurimum Eccleſiæ Catholicæ, nedum ipſi noceat*. Jure quidem meriro. Si enim, de Hilarii ſententia, Lazari animus, antequam Chriſtus inferos adierit, Dei pulcritudine, atque præſentia, qua nimirum vera & ſolida continetur beatitudo, potitus fuit; multo magis juſtis, optimiſque viris in Novo Teſtamenro conringere id debet ». Et *nu.* 5. *p.* 3. » Quod aurem ex Honoraro Tournely acceperam, arridebar maxime &c. . . . dolebam ramen, gratis a Clariſſ. Theologo illud aſſumi; quod nonniſi graviſſimis ſuffultum momentis erar proponendum, cum præſertim COMMUNI SCHOLASTICORUM JUDICIO contrarium id eſſe, doctiſſimus vir ignorare non poſſet. Hinc orta apud me eſt ſuſpicio, verba illa ex ejus ore forraſſe excidiſſe &c. Verum ſuſpicioni huic locum minus eſſe perſuadebar, ubi PRÆSTANTISSIMUM DOCTISSIMUMQUE Johannis Cadonici opus &c. pervolvens animadverti, virum tantum, ac tam emunctæ naris in eamdem conceſſiſſe ſententiam, plurimumque uti Tournelii interpretatione, immo & illud tam aperte addere: *ſed interim notabunt lectores, alium item Eccleſiæ Doctorem cum Auguſtino hoc expreſſe docere*, Tanti viri AUCTORITAS apud me magnopere valuit, effecitque, ut de Tournely reſponſione Cadonici calculo probata honorificentius ſentire inciperem „. Hactenus Feltrius.

„ dinis retributio eſt æterna, vel pœnæ: Tempus vero „ mortis habet interim unumquemque ſuis legibus, „ dum ad judicium unumquemque aut Abraham reſer- „ vat, aut pœna [1].

Sed heus tu Cadonice, hiccine locus ille eſt, ex quo effici ajebas poſſe, *Hilarium expreſſe* iſtuc *dicere*, quod tibi in mentem venit? Mihi quidem certe is locus tam involutus, tamque obſcurus eſt, ut, quoad ejus fieri poteſt, illuſtrandus ipſe aliis Hilarii teſtimoniis ſit, non illuſtrare alia poſſe videatur. Abs te autem, Feltrioque ſciſcitor, quî demum in iſtam ſententiam incideritis, ut conſtare ex eo Hilarii loco putetis, ſanctos ante Chriſti mortem gaviſos fuiſſe viſione Dei? Video vos ad Tournelii auctoritatem confugere. Tantum opinio præjudicata poteſt, ut cujus contemta a vobis hactenus eſt, ejus nunc, quod ita lubeat, apud vos ipſos ſine ratione valeat auctoritas. Equidem non is ſum, qui quod obſcurum per ſeſe, implicatumque eſt, id uno Tournelii teſtimonio fieri arbitrer poſſe perſpicuum. Quamquam iſtius, quod fingitis, nihil eſt quidquam ullibi a Tournelio ſcriptum ſimile. Mentiar, ſi quid ejus protuleritis verborum, commentum iſtud veſtrum firmantium. Quæ autem tanta iſta ſcribendi licentia eſt, ut Tournelium ejus rei appelletis teſtem, quam ille non modo non affirmarit, ſed ne ſomniarit quidem?

At Lazarus (ſic enim argumentamini) ante deceſſit, quam Chriſtus objiſſet mortem. Id ego non patior modo, ſed etiam lubens fateor. Hiſtoricam enim eam eſſe narrationem puto, quæ ſexto ac decimo Evangelii Lucæ capite de Lazaro, ac divite comprehenſa eſt. Sed quiſnam vos docuit, viſam eam Hilario non fuiſſe parabolam; idque ex Tournelii ſaltem opinione: quæ quidem parabola a Servatore Chriſto regnum cælorum annunciante dicta fuerit, indicandi ſtatus juſtorum cauſſa, qui deinceps eſſent morituri,

1 *In Pſ.* II. *n.* 48. *p.* 47. *tom.* I. *opp. edit. Veneta an.* 1749.

rituri, non qui ante Chriſti ipſius mortem deceſſiſſent? Quam enim Johannes Chryſoſtomus (quod paulo poſt demonſtrabo) quam Cyrillus Alexandrinus [1], quam alii

tttt‡2 haud

1 Confer Catenam PP. Græcor. in Lucam *p.* 406. *edit. Antuerp. an.* 1628. Natalis Alexander in *cap.* XVI. *Evangelii Luca p.* 1114. *edit. Pariſ. an.* 1703. » S. Johannes Chryſoſtomus, *inquit*, in Homilia de Divite, & Lazaro, & S. Cyrillus Alexandr. in Catena Græcorum PP. ex qua ejus teſtimonium profert S. Thomas, & Theophylactus parabolam vocant. Auctor Quæſtionum, & Reſponſionum ad orthodoxos inter opera S. Juſtini, nec hiſtoriam, nec parabolam eſſe cenſet, ſed hypotypoſim.... Eorum, qui parabolam eſſe volunt, opinionem juvat vetuſtiſſimus Codex Græcus, quo Beza utebatur, & aliud MS. exemplar, in quibus ſic legitur: *dixit autem & aliam parabolam: homo quidam erat dives &c.* Hanc præfationem Robertus Stephanus ex vetuſtiſſimo exemplari ab amicis in Italia collato, ad marginem hujus loci etiam adjecit in græca, quam adornavit, Novi Teſtamenti editione ». Videndus Calmetius ad *cap* XVI. Evangelii Lucæ *p.* 463. *edit. Ven. an.* 1756. *Commentarior. in Scr. to.* VII. Hiſtoriam eſſe, probabilius tantum ait eſſe Corderus in *Adnotat.* ad locum modo indicatum Catenæ PP. Græcorum. Idem ſtatuit Benedictus XIV. Pont. Max *lib.* III. *cap.* XXX. *n.* 4. *tom.* III. *Operis de Serv. Dei Beatificatione, & Canonizatione Beatorum.* Poterat igitur Hilarius ſine erroris nota ei opinioni favere, quæ in parabolis hanc de Lazaro narrationem numerat. Feltrius ipſe *nu.* 49. Diſſertationis ſuæ: *Habenda porro*, inquit, *eſt ratio eorum, quæ* (Hilarius) *apertiſſime tradidit, ubi de Lazaro ante Chriſti mortem defuncto Sermonem habet, occaſione ſcilicet accepta a Chriſti parabola, ſive hiſtoria.* Verum quî tu, mi homo, Lazarum, ante *Chriſti mortem, defunctum* ſtatuis, ſi ea narratio *parabola*, non *hiſtoria* eſt? At is idem Feltrius §. IX. *p.* 10. *not.* 2. » Hiſtoria ne ſit, *inquit*, an parabola, ad argumenti, quod verſamus vim, poteſtatemque nihil penitus refert „. At refert profecto, cum de Hilarii ſententia ſermo ſit. Verum addit Feltrius. „ *Ex eo* ſiquidem illud traditur, quod inter judæos conſtabat, poſt mortem contingere tum juſtis, cum impiis „. Sed hoc evinceret, Sanctos in ſinu Abrahæ ante Chriſtum non vidiſſe Deum. Nam hæc erat Judæorum ſententia. Qua de re poſt videro. Pergit Feltrius. » Cæterum Hiſtoriam exiſtimavit Hilarius, ut ſatis apte apparet ex loco mox adducto, maxime vero ex Tractatu *in Pſ.* 122. *n.* 11. ». At ex *adducto loco* nihil omnino apparet ſimile. Quid? Si ne ex Tractatu quidem illo in *Pſ.* 122. Hinc intelligitur, quam parum cauſſæ fidat Feltrius. Nam ſi documenta illi, quibus magnopere fideret, eſſent in promtu, non ad hæc figmenta confugeret.

Agat modo, atque in hiſtorias, non in parabolas referri ab Hilario dicat narrationes de Phariſæo, & de Publicano, deque decem Virginibus, propterea quod is Doctor *in Pſal.* XIV. *num.* 11. *p.* 59. *& in Pſ.* CXVII. *nu.* 150. *p.* 227. *& lib.* IX. *de Trinit. num.* 65. *tom.* 2. *pag.* 242. his de rebus ita agat, ac ſi aliquando eveniſſe videantur Ac mirum ſane, quin Feltrius Lazarum vita ante Davidis tempora fuiſſe functum ex Hilarii ſententia dixerit, quia Hilarius idem *in Pſal.* 21. *num.* 22. *pag.* 72. *edit. ejuſdem* ſcribit: » In Dei domo juſtus, & ſanctus Propheta tamquam fructifera oliva conſiſtens... ſperavit in miſericordia Dei... Extendit enim ſpes ſuas ad infinitam perennitatis ætatem, nec concluditur mortis occaſu, cum ſciat ſibi in Abrahæ ſinibus EXEMPLO PAUPERIS LAZARI eſſe vivendum ». Nam eſt is, cujus *exemplum* quiſquam imitatur, imitatore antiquior. Sed, quis non videat, *parabolam, ſimilitudinem*, COMPARATIONEM, EXEMPLUM idem eſſe Hilario? ut ipſe *de ſervo, cui Dominus debitum relaxavit*, agens loquitur; *Commentar. in Matthæum cap.* XVIII. *num.* 11. *pag.* 594. *tom. ejuſdem.* Quod ſi parabola, ſeu *exemplum* narratio illa de Lazaro viſa Hilario eſt, nihil agit Feltrius ſtatuens *num.* XI. Diſſertationis ſuæ, Theologos (qui eo Hilarii de Lazaro teſtimonio utuntur, ut oſtendant, viſionem Dei differendam non eſſe

juſtis

haud pauci in parabolis numerarunt, quid obſtabat, quin parabolam item eſſe Hilarius judicaret; aut quin Tournelius arbitraretur habitam ab Hilario fuiſſe parabolam?

Quod ſi Hilarius iis in locis, in quibus agit de Lazaro [1], de ſedibus agit, quæ non ſunt in inferis, & in qui-

juſtis ad judicii diem, cogi demum oportere, ut Sanctos Veteris Teſtamenti, ſtatim atque deceſſerunt, beatos fuiſſe Dei aſpectu, confiteantur. Etenim ſi parabolæ loco eam de Lazaro narrationem habuit Hilarius, numquam in eas anguſtias redigentur Theologi, ut ſit eis tali quidpiam concedendum. Quin etiam ſpe inani ſeſe Cadonicus, Feltriuſque alunt, quum convinci ab ſe putant poſſe Pougetium aut conceſſæ opinionis, quam tuentur ipſi; aut volubilitatis, & inconſtantiæ, qua factum fuerit, ut ſecum ille pugnaverit. Ac Feltrius quidem §. IX. *not.* 1. *pag.* 10. poſt ubi animadvertit, exemplo Lazari a Pougetio ſtatui, Juſtorum animas ſuis corporibus ſolutas præmiis *affici non expectato ultimi judicii die*, ſumit urgetque hoc modo: » At ſi tranſlatum velis Lazarum in ſinum Abrahæ, a quo longe abeſſet ſo» lida illa, ac ſempiterna felicitas, quæ in Deo videndo, poſſidendoque ſita eſt, » inanis eſt prorſus reſponſio ». Cadonicus autem *n.* 16. *Præfat. ad opus de D. Auguſtini, quæ videtur, ſententia*, *p.* IX. eumdem Pougetii locum notans: *At numquid alibi*, inquit, *quam in ſinu Abrahæ, ceteri juſti erant? . . . Hinc percipiant lectores, quales ambages, quales ſententiarum pugnas eorum ſcripta contineant, qui ſtatum inquirentes animarum in Abrahæ ſinu degentium, ab excellentibus, ſummiſque magni Auguſtini meditationibus deſciſcunt*. Verum quas hi reſponſiones inanes, quas pugnas memorant, quæ nullæ revera ſint? Pougetius ecce non ſolum affirmat Sanctos Veteris Teſtamenti ante Chriſti mortem in inferis conſtitiſſe, ibique expertes manſiſſe viſionis Dei; ſed etiam id ferre fidei catholicæ doctrinam monet, ut pagina hujuſce operis 313 *in not.* demonſtratum eſt. Quin etiam Pougetius ipſe *tom.* 1. *ſuarum Inſtitutionum Catholicarum P.* 1. *ſect.* II. *cap.* VII. §. 16. *pag.* 392. Sanctis poſt Chriſti mortem non differri ad judicii diem præmium viſionis Dei conſtituit, idque confirmaturus, ex Scripturis narratione, veluti parabola, utitur ea, quæ eſt de Lazaro, quemadmodum item eamdem in parabolis numeravit Calmetius. Si autem hujus rei confirmandæ cauſſa parabolæ loco uſus ea narratione Pougetius eſt, quæ parabola refertur ad tempora reſerati a Chriſto regni cælorum; nulla profecto uſus ratione fuerit neceſſe eſt, quæ inanis ſit, cumque ipſius aſſertione, quam priore loco memoravi, pugnet. Age vero, quoniam huc tandem deducti ſumus, ex Cadonico, Feltrioque ſciſcitor, Pougetium ne ſibi ipſis faviſſe putent? Negabunt. Nam eſt ejus de inferis, quibus Sancti Vet. Teſt. detinebantur ante Chriſti mortem, ſatis perſpicua ſententia. Quid is? Annon Lazari exemplo utitur? Parvi refert. Potuit eo uti parabolæ, non hiſtoricæ narrationis loco. Recte ſane. Quid igitur cauſſæ eſt, quamobrem Scriptores iidem recentes duo Hilarium perſpicue ajentem, Sanctos eoſdem ante Chriſti mortem inferis detentos fuiſſe, egiſſeque liberatore Chriſto, quid eſt, inquam, quamobrem Hilarium ad ſe pertrahant, propterea quod exemplum Lazari, confirmandi dogmatis de præmio cauſſa, adhibuerit? Annon is quoque uti eodem exemplo ceu parabola potuit? Rurſus ſi quis ob exemplum Lazari a Pougetio uſurpatum, interpretari Pougetii ipſius ſententiam conaretur, ſecus atque verba illius perſpicue per ſe ipſa ferant; nonne is corruptor ejus ſententiæ, non interpres & haberetur, & eſſet? Cur igitur non eodem eſſet habendus numero, qui ſententias claras Hilarii ob uſurpatum ab eo exemplum Lazari implicare, atque involvere conaretur?

1 Præter eum Hilarii de Divite & Lazaro locum, quem ſupra deſcripſimus, alios quoſdam attulit Feltrius §. XV. *ſeqq. p.* 14. *ſeqq. Diſſertationis ſuæ*. Sed antequam cos

quibus Sancti *facie ad faciem* intuentur Deum, plenaque felicitate, atque libertate fruuntur; eam profecto de Divi-

cos deſcriberet, §. XII. animadvertit, Theologos Hilarium a Millenariſmi errore vindicaturos tribus uti capitibus argumentorum. Horum primum peti ex ejus Doctoris Tract. in *Pſ.* 67. *n.* 4. eſſeque hujuſmodi. *Æqua judicii cæleſtis moderatio eſt, ut peccatores morte conficere, ita & juſtos lætitia munerari*: alterum ex iis vocabulis, quibus piorum ab Hilario ipſo locus poſt mortem deſcribitur, ſtatuſque *in ſedibus beatorum, beatitudinis retributione &c.* tertium, ex voce *æterna* ei ſtatui addita, quem ſtatum *beatitudinis retributionem* appellavit *Hilarius*. Inde §. XIV. *pag.* 13. hoc ſumit Feltrius. „ Atqui hæc omnia æquo jure evincunt, Hilarium idem „ ſenſiſſe de piorum in ſinu Abrahæ beatitudine ante Chriſti obitum „. Addit Feltrius „. Et re quidem vera aperte probatum habemus Evangelica narratione, „ e corpore diſcedentes confeſtim vel pœnæ, vel beatitudinis regione excipi, „ quemadmodum contigit EVANGELICO DIVITI, & LAZARO. 2. habemus de „ LAZARO diſertiſſime pronunciatum, quod ab Angelis *in ſedibus Beatorum*, „ & in Abrahæ ſinu fuerit locatus. 3. tandem habemus juſtos quoſlibet in par- „ ticulari judicio Lazari exemplo *recipere beatitudinis retributionem æternam*.. „ ..... Neceſſe eſt ergo, ut iiſdem tribus ex capitibus inferamus, Lazarum „ quoque, & ceteros Veteris legis optimos viros ſtatim a morte fuiſſe ex Dei „ præſentia lætatos „. His animadverſis, loca Hilarii deſcribit *ſeqq.* §§. quæ tribus illis capitibus argumentorum reſpondere putat, quæque ad narrationem Evangelicam de Lazaro, & Divite Epulone pertinent. Atque ad 1. quidem caput refert. §. XV. *p.* 14. quod Hilarius habet Tract. in *Pſ.* LVII. *n.* 5. & 6. *p.* 110. *to.* 1. „ Neque ſuſpenſo adhuc judicii tempore quieſcere peccatores ſine pœna erat „ dignum: viventes itaque eos, cum pœnæ ſcilicet ſenſu abſorbet ignis, etiam „ antequam reſurgant „. Hæc Cadonico non placent, qui pœnam ſenſus differri peccatoribus pugnat ad judicii diem: & is tamen, qui hæc tam perſpicua Hilarii teſtimonia negligit, obſcuris nos implicari confidit poſſe. Pergit Hilarius. „ Ante reſurrectionem carnis, ideſt antequam ſpinas ſuas rhamnus emittat, „ vivens abſorbetur ad pœnam anima ejus ſecundum divitem Evangelicum pu- „ nienda, quæ vivens ſit. Sed inter hæc juſti cujuſque tamquam Lazari in ſinu „ Abrahæ requieſcentis lætitia monſtratur. Sequitur: *lætabitur juſtus &c.* Le- „ titia juſti eſt, cum viderit vindictam, quia peccatoribus puniendis deductum „ ſe per Angelos in æternam requiem lætatur „. Ad alterum, tertiumque caput conjicit Feltrius, quæ §. XVI. perſequitur, ſuntque hujuſmodi: *Tract. in Pſ.* CXVIII. *litt.* XVIII. *n.* 10. *p.* 304. „ Nihil æternum eſſe dives ille Evangelicus exiſtimans „ beatitudinem præſentem ſuam pœnali morte mutavit. ÆTERNA autem Dei „ teſtimonia Lazarus pauper EXPECTANS, & ABRAHÆ SINU CONTINE- „ TUR, & miſeriam vitæ laborioſæ beatæ quietis honore demutat „. Et in *Pſ.* CXXII. *n.* 11. *p.* 341. *ſeq.* „ Teſtis nobis & pauper in Abrahæ ſinu quieſcens, „ & dives peruſtus in pœna ... Anima (Lazari) ab Angelis poſt carnis diſſolutio- „ nem beata in Abrahæ ſinum fertur. Ille vero (*dives*) ... omni pœnarum „ miniſterio excipitur, vexatur, amburitur, irrorari ſe, ac refrigerari minimo „ digito requieſcentis in ſinu Abrahæ pauperis deprecatur ... Fit alterna converſio, „ & demutatur lætitia in mœrorem, & mœror in gaudium „. Hæc ubi deſcripſit Hilarii teſtimonia Feltrius, *potuit ne*, inquit, ſplendidioribus verbis deſcribi vera, & *propria Lazari beatitudo ſtatim ab obitu?* Fac ut Hilario narratio illa non ſit parabola: ajo potuiſſe. Nam ab Hilario *lætitiam, gaudium, requiem, ſedes beatas,* & non ſatis clare *æternam beatitatem in Abrahæ ſinu* nominari video: *regnum cælorum, coronam, viſionem facie* ad *faciem* &c. nominari non video. Atque in *æternam* quidem *requiem* inductas animas Sanctorum ante Chriſtum etiam dici potuiſſet, non quo intuitæ tunc Deum fuerint, ſed quod requiem impetraſſent, quæ non tollenda umquam ipſis, ſed augenda mirum in modum deinceps eſſet aſpectu Dei. Quod ſi Feltrius in *Adnotatione p.* 13. locum Hilarii affert ex Tract. in *Pſ.*

Divite, & Lazaro narrationem non hiſtoriæ loco habuerit neceſſe eſt, ſed parabolæ, aut ſaltem ad parabolam

Pſ. xiv. *n.* 4. qui eſt hujuſmodi: *Quies vero non interpellatur extrinſecus, ſed otium eſt juge moleſtia carens, quod in ſtatu ſuo maneat; ceterum ſi inquietudo ſe miſceat, otii & naturam, & nomen amiſit:* & num 5. *Quieſcitur autem, quia nullus ſit ex infirmitatibus dolor, nullus ex inopia metus, ſed omnibus firmitate ſua per virtutem æternitatis utentibus in his ſit, extra quæ nihil indigeant, quieſcendum:* quod ſi, inquam, hæc ex Hilario Feltrius affert, moxque inſultans in Theologos addit, *compone hæc ſi potes cum moleſtia illa graviſſima ex divini conſpectus jucundiſſimi privatione* &c. ei ego facile reſpondebo, agere ipſum, ne gravius dicam, indiligentius. Non enim Hilarius eo in loco de Sanctis Veteris Teſtamenti ante Chriſtum; ſed de requie in Chriſto poſt ejus mortem & reſurrectionem juſtis concedenda ſcribit, qui certe *maximus eſt gradus ad cæleſtia aſcendentibus:* quæ verba, atque conſequentia etiam, quibus Hilarius ibidem utitur, nuſquam adhibet. Atque ex requie quidem cæleſti omnis aufugit dolor, atque triſtitia, eumque hac una requie componi mœror non poteſt; componi autem nequiviſſe mœrorem eum requie Patrum ante Chriſti mortem in ſinu Abrahæ, id vero neque oſtenſum a Feltrio eſt, neque oſtendetur umquam. Sed hæc dicta ſunto, ſi Hilario narratio de Lazaro non eſt viſa parabola. Venio ad capita illa tria argumentorum, quibus Feltrium fidere, initio fere hujuſce Adnotationis animadverti. In 1. autem quid eſt, quod prudenti cuiquam negotium exhibeat? Juſtum, inquit, eſt, ut quemadmodum peccatores morte conficiuntur, ita *& juſti lætitia munerentur*. Do id quidem. At ſtatim a morte. Eſt ita ſane. Nam requie etiam In Abrahæ ſinu potitas fuiſſe ante Chriſti mortem juſtorum animas, certum eſt. At juſti lætitia poſt mortem requies nunc eſt conſiſtens in intuitiva viſione Dei. Fateor. At etiam ante Chriſtum. Id vero eſt, quod Feltrio erat ex Hilario demonſtrandum. Nam ante mortem Chriſti erat, quod obſtaret, quin hoc genere requietis juſti fruerentur. Itaque in inferis, Hilario teſte, manebant expectantes liberatorem. Occluſum enim peccato Adæ fuerat cælorum Regnum, omneſque ejus poſteri ad Chriſti uſque mortem obſtricti fuere reatu temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei. Itaque recte Theologi ex eo Hilarii loco de juſtis præmio, deque improbis pœna ſtatim a morte, ut animadvertit Feltrius, afficiendis, concludunt, Sanctos, poſt mortem Chriſti, ſimul ac deceſſerint donari ſempiterna beatitate conſiſtente in viſione intuitiva Dei; nec cogi tamen poterunt, ut Sanctis idem præmium ante Chriſti mortem obveniſſe confiteantur. Quod ad caput alterum, tertiumque etiam pertinet, hoc breve dico: neque (ut paulo ante adnotavi) quidquam Hilarii verbis illis contineri, ex quo effici poſſit, cæleſti regno, beatitateque conſiſtente in viſione intuitiva Dei fuiſſe potitum ante Chriſti mortem Lazarum; neque afferri teſtimonium ejuſdem Hilarii ullum poſſe, ex quo liqueat hiſtoriæ loco, non parabolæ habitam ab eo fuiſſe de Lazaro narrationem. Immo vero eſſe veſtigia quædam in Hilarii verbis, oſtenſum a nobis eſt, quæ indicent, eamdem narrationem a Sancto Doctore fuiſſe in comparationibus *exemplorum*, hoc eſt in *parabolis* numeratam, adeoque in iis, quæ rerum futurarum, non quæ præteritarum eventus ſignificarent. Quæ cum ita ſint, adigi Theologi (qui Hilarii teſtimoniis de Lazaro utuntur, ut adverſus Photianos, Lutherum, Calvinumque demonſtrent, non differri Sanctis viſionem ad judicii diem) adigi, inquam, ii Theologi non poterunt, ut juſtos ante Chriſti mortem potitos fuiſſe regno Cælorum, hoc eſt gaviſos viſione Dei, concedant. Itaque deſinet, opinor, Feltrius dicere: *Neceſſe eſſe, uti nuncium dicant Theologi iis omnibus, quibus conati ſunt hactenus demonſtrare, Hilarium contra Millenarios pro Catholica ſententia conſtante pugnaſſe*; diffidereque ſaltem incipiet cauſſæ ſuæ, fere ſolum teſtimoniis Hilarii innixæ, quæ ſunt de Lazaro.

Scio Feltrium, ea, quæ de reatu excluſionis e regno Dei ob primi parentis culpam &c, diximus, *non ſupponenda gratis eſſe* dicere, *ſed apertis Hilarii teſtimo-*

lam converſæ, tranſlatæque hiſtoriæ. Nam hoc ille ſæpe, clare, diſtincte, conſtanter ponit: Sanctos [1], qui ante legem, legiſve tempore interiiſſent, fuiſſe in inferis, eguiſſeque liberatore Chriſto. Quamobrem, teſte Hilario, Sanctorum eorumdem animæ non in ſedibus Beatorum extra inferos conſtitutis erant, neque *facie ad faciem* videbant Deum. Si enim vidiſſent, plena felicitate potitæ fuiſſent, neque optaſſent eximi e cuſtodia, vindicarique in libertatem; cum nemo curet adipiſci, quod jam poſſideat. Jam vero Lazarus, ita ut vos arbitramini, ſtatim atque deceſſit, non in inferis, ſed in ſedibus Beatorum longe ab

ſtimoniis evincenda, Sed miror, hominem, qui non parabolam, ſed hiſtoriam fuiſſe Hilario narrationem de Lazaro; multaque res alias, ut reprehenſionem effugeret, *gratis ſuppoſuerit*, ab aliis petere, ut ne quidquam *gratis ſupponant*. Deinde ajo, Hilarium ſæpe ac multum ſtatuere, *Sanctos* fuiſſe ex *inferis* deſcenſu Chriſti Servatoris *exemptos*, idque, neminem tam eſſe effrontem, qui neget. Cur autem in inferis eos fuiſſe, eguiſſeque liberatore dicemus? An ob propriorum peccatorum reatum? Quotus quiſque erit, qui hoc, ſine injuria, dicat veniſſe in mentem Hilario? Cur non igitur ob reatum *temporalis* pœnæ excluſionis e regno Dei propter primi parentis culpam? Quod ſi vis ulla ineſſet argumentandi rationi, qua Feltrius utitur, ſic ei confirmo, Auguſtinum fuiſſe adverſus Pelagianos de Hilarii ſententia miſere pugnaturum. Confer ejus *lib. de Natura*, & *Gratia contra Pelagium cap.* LXII. *p.* 106. *tom.*X. *opp. edit. Antuerp. an.*1700 Nam Pelagiani gratiam Dei negantes, abutenteſque Hilarii quibuſdam locis (quos Auguſtinus explicat, non adductis aliis ejuſdem Hilarii teſtimoniis, quæ gratiam evincant) Pelagiani, inquam, dicere Auguſtino, *nihil gratis ſupponendam eſſe*; quodque Feltrius facit, voculas aliquot, locaque detruncata, aut alio pertinentia Hilarii hinc inde excerpere, atque adhibere poterant, quibus clara, ſi qua Auguſtinus protuliſſet, implicarent, tenebriſque involverent. Quin etiam noctes obducere Pelagiani quiviſſent iis, quæ Auguſtinus *lib.* I. *contra Julianum n.* 9. *p.* 300. ex Hilario producit, confirmandi dogmatis de peccato originis cauſſa. Sed hæc alias fortaſſe.

1 Conſule Hilarii teſtimonia, quæ deſcripſi pagina hujus operis 590. *ſeq. de inferis Sanctos non tenentibus ad ipſos inferos deſcendente Chriſto; de Sanctis in inferno quieſcentibus, exhortationemque, ac viſionem Domini deſiderantibus; deque inferis ſuſtinendis Davidi*. Idem Hilarius *libro* III. *de Trinitate n.* XV. *to.* II. *p.* 48. „ Dei Filius, *inquit*, homo naſcitur; ſed Dei in partu Virginis virtus eſt. Dei „ Filius homo cernitur; ſed Deus in operibus hominis exſtitit. Dei Filius cruci„ figitur; ſed in cruce hominis MORTEM Deus vincit „. Quid Feltrius? An ſolam corporis humani mortem in cruce victam defendet, auctore Hilario? Id quidem, ſi ſuis argumentis pergat inſiſtere, defendat neceſſe eſt. Nam mortis nomine, corporis intelligit, non animi etiam ſpiritalem mortem. Quis autem tam inimicus Hilario eſt, ut eum in hujus erroris invidiam vocare audeat? Pergit Hilarius: „ Chriſtus Dei Filius moritur, ſed omnis caro vivificatur in „ Chriſto. Filius IN INFERIS eſt; ſed HOMO refertur ad CÆLUM „. Et *lib.* IV *num.* 42. *p.* 82. „ Hic unus eſt diſponens ad Abraham, loquens ad Moyſen, „ teſtans ad Iſrael, manens in Prophetis, per Virginem natus ex Spiritu Sancto, „ adverſantes nobis, inimicaſque virtutes ligno paſſionis affigens, MORTEM „ IN INFERNO PERIMENS, ſpei noſtræ fidem reſurrectione confirmans &c.

ab inferorum cuſtodia remotis, ex Hilarii ſententia, fuit; cumque iiſdem Beatis *facie ad faciem* videns Deum plena felicitate, atque adeo libertate potitus eſt. Lazarus ergo (Hilario teſte, uti vobis quidem videtur) ex eorum numero non fuit; qui ante legem, legiſve tempore deceſſerant: quare narratio illa de Divite, & Lazaro (ex Hilarii ejuſdem opinione, ſiquidem vera vos prædicatis) non hiſtoria omnino erit, ſed parabola, aut ſaltem ad parabolam converſa, atque tranſlata hiſtoria.

Jam ſi parabolam eo, quo dixi, modo narrationem de Lazaro putavit eſſe Hilarius; indeque effici cenſuit, juſtos poſt Chriſti mortem, ſtatim ac functi fuerint mortali vita, ad beatas juſtorum ſedes migrare, Deumque intueri; nihil certe putavit, quod non alii quidam ſecum orthodoxi putaverint; idque inde effici cenſuit, quod Catholici omnes credunt, poſt Chriſti ſcilicet mortem, juſtorum, ſtatim atque functi ſint vita, animas (ſi modo nihil eis temporariæ pœnæ luendum ſuperſit) in cælum aſcendere, ibique frui aſpectu beante Dei.

Quod cum ita ſit, quid vos *expreſſi*, quid *clari* eo in Hilarii loco deprehendiſtis, ex quo intelligi queat, Sanctos, ante Chriſti mortem, fuiſſe beatos viſione Dei? At vindicandus eſt Hilarius ab errore Millenariorum [1], hoc eſt eorum, qui Sanctis viſionem Dei ad judicii diem eſſe differendam concedunt. Quis repugnat? Sed vindicari eum non poſſe, ſumitis, niſi in ea fuiſſe dicatur ſententia, ut cre-

1 Nihil nobis magis eſt cordi, quam ut ab erroris nota vindicetur Hilarius. Verum tantum abeſt, ut ab adverſariis ab erroris invidia liberetur, ut in eas potius redigatur anguſtias, ut ni contra omnium Chriſti Eccleſiarum conſenſionem egerit, in errorem, etſi poſt multa ab ejus obitu ſecula damnatum, at damnatum tamen, incidiſſe videatur. Hoc autem non vindicare Hilarium eſt, ſed accuſare. Atque Feltrius §. VIII. *p.* 4. *ſeqq.* „ Intelligebam, *inquit*, Chriſtia- » ſtæ reipublicæ MAGIS conſultum iri, ſi PROPENDISSE demonſtretur Hila- » rius in eam ſententiam, quæ, cum nullo Eccleſiæ judicio definita ſit, ad fidem » non pertinet, & in qua fuit etiam Auguſtinus, id ad evidentiam conficien- » te Johanne Cadonici; immo fuiſſe invenirentur & alii veteres, ſi in eorum » ſcriptis perſcrutandis ſedulam quis operam collocaret, QUAM ſi a Catholico » dogmate in Conciliis Florentino, Tridentinoque ſancito tanti Epiſcopi aucto- » ritas

crederet, Sanctos ipſos ante Chriſti mortem regno fuiſſe, gloria, viſioneque illa Dei auctos, qua perfecta continetur beatitas. Ego vero id vehementer nego. Nam & aperte Hilarius ſcribit, eos fuiſſe in inferis, eguiſſeque liberatore; & locum de Lazaro ita ſum interpretatus, ut eum non modo ab errore Photianorum abſuiſſe oſtenderim; ſed etiam ab opinione doctrinæ Eccleſiæ repugnante veſtra.

Quæ autem iſta eſt defendendi Hilarii ratio, ea Lectores veſtros neceſſitate adſtringere conari, ut Hilario ipſi horum duorum alterutrum faciendum fuiſſe; ſcilicet aut errori (qui poſt Luthero, Calvinoque placuit) adhærendum, aut contra communem omnium Eccleſiarum doctrinam pugnandum, confiteantur? Vos ne illius eſſe patronos putem, cujus (niſi quod Eccleſia ubique docet, hoc eſt, niſi verum rejecerit) nullam vobis eſſe re-

uuuuu liquam

» ritas penitus ſubmoveatur, vel tamquam anceps, & ambigua, vel tamquam » ab eo prorſus aliena. Ex illo enim nulla hinc anſa exhibetur hæreticis ad » reprehendenda Eccleſiæ dogmata; datur, tamen, & quidem aptiſſima, ſi po» ſtremum admittatur ". Jam vides 1., ut Feltrius lectores ſuos cogere ſtudeat, ut Hilarium aut definitum dogma negaſſe, dubiumve feciſſe; aut id rejeciſſe concedant, quod de Patriarchis &c. ante Chriſtum expertibus viſionis Dei per orbem univerſum cœtus Catholici omnes tuentur, ac docent. 2., ut CONSULI Chriſtianæ reipublicæ ponat, ſi alterutrum factum dicamus ab Hilario fuiſſe; verumtamen MAGIS CONSULI, ſi demonſtretur Hilarius in eam SENTENTIAM PROPENDISSE, QUÆ CUM NULLO ECCLESIÆ JUDICIO DEFINITA SIT, AD FIDEM NON PERTINET. Quaſi vero ad fidem non pertineat, niſi quod ſit inſtituto, latoque AB ECCLESIA JUDICIO DEFINITUM. Idem in adnotatione *pag. 6.* ſcribit: *Cum ab Auguſtini temporibus, nullum adhuc judicium Eccleſia protulerit, hinc ſit, ut abſque ullo ſanctitatis, ſapientiæ, auctoritatiſque detrimento modo etiam defendi id poſſit*. At quot ſunt doctrinæ Chriſtianæ capita, quæ Eccleſia ubique ad fidem pertinere docet, ac de quibus (quia vel ea hæretici oppugnare non ſunt conati, vel opus non fuit) *nullum eſt latum judicium*? 3. ut falſo teſtetur, ad *evidentiam confectum* fuiſſe, Auguſtinum conſenſiſſe opinioni, quam a Proteſtantibus excogitatam in orthodoxorum rempublicam inducere Cadonicus conatur. 4. ut propterea MAGIS CONSULI dicat Eccleſiæ, ſi Hilarius ſtatuatur in ea fuiſſe opinione, quod nulla hinc anſa *exhibeatur hæreticis ad reprehendenda Eccleſiæ dogmata* &c. Id autem quam longe diſtet a vero, perfacile eſt exiſtimare. Nam Proteſtantes, ut vidimus, multo ante opinionem illam & excogitaverunt, & adverſus Romanam Eccleſiam ab ſe defendi affirmarunt, quam ei adhæſiſſet Cadonicus. Hilarium autem ſibi præſidio fuiſſe, ne ſomniarunt quidem. Atque Eccleſiam Romanam id ubique docere, quod Feltrius in indifferentibus ponit rebus, demonſtratum jam eſt. Itaque ſi concedatur Proteſtantibus iiſdem Hilarius, anſa quidem certæ præbebitur hæreticis, ut *Eccleſiæ doctrinam*, de qua nemo umquam dubitavit orthodoxorum, magis magiſque reprehendant.

liquam concedatis viam a pravæ opinionis invidia liberandi? O præclaros Majorum noſtrorum vindices, qui eos, quorum ſuſceperint patrocinium, tum ſe defendiſſe arbitrentur, cum reos egerint violatæ doctrinæ Eccleſiarum!

Age vero quod dicitis, Hilarium eo in loco *expreſſe* novum dogma veſtrum *docere*, id ne quiſquam ſibi, *vere* a vobis *dici*, perſuadebit? Quemadmodum enim *dici* id *vere* a vobis credet, cum vobis ipſis confitendum ſit, obſcurum eſſe eum Hilarii locum, implicatum, comparatum ita, ut quam demum in rem cadat, ignoretis? Nam rei claræ, explicatæ, *expreſſæ* non errans, vaga, volubilis eſt, ſed fixa, ſtabilis, atque ad rem unam certam, deſtinatamque ſpectans ſignificatio. Vobis autem auctoribus anceps Hilarii ſententia eſt, vagans, inſtabilis, ut non in unam certam, deſtinatamque rem cadat; ſed (cum *indeterminata*, ut ajunt, ſit) rapi in duarum alterutram debeat rerum inter ſe vehementiſſime repugnantium. Cum igitur *expreſſam eſſe* ſtatuitis, verbo id quidem certe ſtatuitis, re autem vera fatemini eſſe obſcuram. Sed fac, neceſſe ſit Hilarii locum in alterutram partem rapere: cur illum vos non ad eam, quam ſignificare videtur, rapitis; ſed in alteram, cujus in eo ne volam quidem deprehendit, aut deprehendere quiſquam poteſt? Ridiculum enim eſt, cum adſcribi Hilario nolis, quod dixiſſe viſus ſit; tum id curare, ei ut homines tribuant, quod non modo non dixerit, ſed ne dixiſſe quidem videatur. *Judicii,* inquit Hilarius, *judicii dies vel beatitudinis retributio eſt æterna, vel pœna: tempus vero mortis habet interim unumquemque ſuis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reſervat, aut pœna* [1]. Annon hic vobis videtur Hilarius *retributionem ater-*

1 *Tract. in Pſalm.* II. *n.* 48. *p.* 47. Animadvertendum præterea eſt, τὸ ſtatim ab Hilario eo in loco adhiberi, ubi de pœna agit divitis, non autem ubi de retributione Lazaro concedenda. *Teſtes nobis Evangelicus dives, & pauper, quorum unum Angeli in ſedibus beatorum, & in Abrahæ ſinu locaverunt;* alium STATIM *pœnæ regio ſuſcepit. Adeo autem* STATIM *pœna mortuum excipit, ut etiam fratres ejus adhuc in ſupernis manerent. Nihil illic dilationis, aut moræ eſt &c.*

æternam beatitudinis ad judicii diem differre? At de *Judicio particulari* agit. Patiar. Sed ejus verba, quæ mox ſequuntur, obſcura ſunt, adverſarique videntur interpretationi veſtræ. Nam poſt mortem, ait, quemque ab *Abrahamo*, hoc eſt ab ſinu Abrahæ RESERVARI AD JUDICIUM. De *Judicio* igitur agere videtur Hilarius, quod fiet, poſteaquam receptus eſt juſtus in ſinum Abrahæ. Id vero judicium non *particulare* videtur eſſe, ſed poſtremum univerſale. Rurſum Hilarius: ÆTERNA, inquit, DEI TESTIMONIA PAUPER LAZARUS EXPECTANS, ET ABRAHÆ SINU CONTINETUR [1] &c. Quid hoc eſt? Ab Lazaro SINU ABRAHÆ CONTENTO EXPECTARI ÆTERNA DEI TESTIMONIA? An ÆTERNIS Dei teſtimoniis caret is, qui beatus intuetur Deum? Age Cadonice, nega, ſi potes, obſcura hæc eſſe, quæ de *retributione æterna*, deque *æternis teſtimoniis* Hilarius diſputat; cumque ea aptare nunc ſanctis animabus non haud difficulter queas; aptato facile iiſdem in Abrahæ ſinu manentibus antequam Chriſtus ad inferos deſcendiſſet.

Neque vero, ſi Hilarius differri ſanctis viſionem Dei ad judicii diem putaſſet, reus eſſet agendus culpæ [2]. Putarunt item alii ſine culpa. Res erat ea ætate, ſeculiſque duobus ſuperioribus in controverſia poſita. Non plene de eadem omnibus conſtabat ex Eccleſiarum Chriſti conſenſione divina traditio. Poſt aliquot ſecula expenſa, a Pontificibus Maximis, Synodiſque definita eſt? Contra, de re noſtra ſi dubitaſſet Hilarius, ſocium habuiſſet nullum dubitationis ſuæ. Nam & Millenarii, & qui adverſus Millenarios pugnarunt; itemque ii, qui differri ſanctis viſionem Dei ad judicii diem dixerunt, & qui iis ad-

1 *In Pſalm.* cxviii. *litt.* xviii. *num.* x. *p.* 304.

2 Confer Muratorium *de Paradiſo, regnique Cæleſtis gloria, non expectata corporum reſurrectione, juſtis a Deo conlata cap.* xi. *p.* 141. *edit. Veneta an.* 1755. & Nicolaum Sanderum *lib.* vii. *de Viſibili Monarchia Eccleſiæ n.* 1006. *p.* 494. *edit. an.* 1580. Mitto ceteros. Nolo enim eſſe in re non neceſſaria nimius.

adverſati ſunt, omnes, excepto nemine [1], uno ore adfirmarunt, Sanctorum, qui ante Chriſtum deceſſiſſent, animas in inferis fuiſſe, ibique expectaſſe liberatorem, qui eos inde erueret, adeoque expertes fuiſſe viſionis beatæ Dei. Hilario autem, contra omnes, qui in Eccleſia Catholica fuiſſent, ſingularem opinionem invehere, ac defendere licuiſſe, quis credat? Quid? Vitio ne Doctori tanto vertendum fuiſſe conſtituetis, id ſi dixiſſet, quod alii item & docti, & pii, a nemine vocati in invidiam culpæ dixerunt; laudi autem dandum, ſi defendiſſet, quod nemini umquam in mentem venerat Catholicorum? Quis tam eſſe abſurdo ingenio poterit, ut id in abſurdis rebus numerandum non arbitretur?

Sed bene habet. Neutrum illorum duorum dogmatum, quorum alterutrum Hilario adſcribendum decernitis, neutrum, inquam, Hilario ipſi placuit. Jam ille ab errore eorum, qui differendam poſt Chriſti mortem Sanctis ad Judicii diem viſionem Dei ſtatuunt, cum ab aliis, tum a Monachis Congr. S. Mauri in ea Præfatione [2] eſt egregie vindicatus, quæ ipſius operibus editionum poſtremæ Pariſienſis,

1 Unum velim contra nominent adverſarii. Jam vetuſtiorem, aut ſynchronum Hilario nullum nominant. Quid? ſi ne nominare quidem poſſint? Recentiores paulo Chryſoſtomum, atque Auguſtinum ſibi faviſſe jactitant. De Auguſtino quam jactitent falſo, vidimus. De Chryſoſtomo erit nobis §. ſequenti videndum.

2 §. VI. *num.* 195 *ſeqq.* & *maxime num.* 217. *ſeqq.* quo loco . ., Præterea, *in-*
» *quiunt*, qui poſt hanc vitam CHIRSTI CONSORTES fieri merentur, faciem
» Dei intueri in *Pſalm.* 122. *n.* 9. non obſcure ſignificat (*Hilarius*) his verbis:
» *Non avertas faciem tuam a me &c. Lacum pœnalem inferorum locum Scriptura*
» *commemorat ... Ergo niſi facies Dei, qui utique Chriſtus eſt, qui imago Dei in-*
» *viſibilis eſt, unicuique Sancto adfuerit, erit illis ſimilis, qui pœna inferni de-*
» *putati a vita hac ſine ſpe quietis exceſſerint*. Unde in *Pſalm.* CXIX. *n.* 4. Adam
» jam gloria donatum dicere nun dubitat: *Adam confeſſus, venia reſervatus, glo-*
» *rificatus in Chriſto eſt*. Aliunde etiam conſtat, numquam eam Hilarii ſenten-
» tiam fuiſſe, ut nulli Sancto ante judicium cælum pateret. Hujus hodieque in-
» colas eſſe, qui in paſſione Domini reſurrexerint, ſe exiſtimare declarat in *Pſ.* 2.
» *num.* 26. Neque eum de Domini ſui benignitate tam male ſenſiſſe crediderim,
» ut cum in *Pſ* 67. *n.* 27. narret, cum virtutibus *cæleſtibus, animiſque Sanctorum*
» *comitantibus iter ejus præeuntibus* cælum conſcendiſſe, Chriſtus beatos illos San-
» ctorum animos itineris ſui comites paſſus, eos ſecum in patriam cæleſtem reci-
» pere dedignatus ſit . . . Et vero *lib.* X. *de Trinit. num.* 34. Latronem Chriſti regni,
» quod confeſſus fuerat, ſic conſortem facit, ut in eo non qualemcumque felicita-
» tem, ſed *conſummatæ beatitudinis delicias ſit* adeptus. Si qui DE FIDE, QUA
» CA-

riſienſis an.1693. ac Venetæ an.1749. præfixa eſt, quamque a meis Lectoribus omnino conſuli cuperem. Atque hi Monachi expenſis illius locis omnibus, quæ prima ſpecie orthodoxo dogmati repugnare viderentur; iiſque cum aliis, quæ ſunt pro eodem dogmate confirmando perſpicua, conlatis; nihil minus ei, quam inanem opinionem ipſi dogmati adverſariam placuiſſe, demonſtraverunt. Ex iis autem teſtimoniis, quæ proferunt, quibuſque Catholicum dogma probatum Hilario fuiſſe oſtendunt, plane perſpicitur, *conſummatæ beatitudinis delicias*, *conſpectum Dei*, *ingreſſum in cælorum regnum* ſanctis poſt Chriſti mortem, deſcenſumque ad inferos patuiſſe. Qua ex re ſequitur, Hilarium non modo ab errore, qui Photianis deinceps, Luthero, Calvinoque probatus eſt; ſed etiam a nova recentiorum Proteſtantium, & Cadonicianorum opinione quam longiſſime abſuiſſe.

Sed Hilarii loca, quæ ſunt de ſanctis deſcenſu Chriſti ereptis ex inferis, ſunt obſcura vobis. Quam vereor, ne non eadem vobis ſententia inſit, atque veſtra ferat oratio! Niſi enim ita eſſet, ea vos, quæ ſunt in Hilarii libris perſpicua, locis iſtis, quæ ſunt de Lazaro; quæque, ut oſtendi, ad inſtitutum non pertinent, implicare non conaremini. Atque Feltrius quidem: *Hinc omnibus* (quæ de ſanctis a Chriſto exemptis ex inferis Hilarius diſputat) *antequam occurram*, inquit, *etiam atque etiam oro, obteſtorque adverſæ ſententiæ Theologos, ne plus juſto velint confidere nonnullis Hilarii dictionibus, phraſibuſque, quæ ſparſim apud Galliarum Magiſtrum occurrunt, quæque illorum opinioni blandiri prima fronte videntur. Habenda porro eſt ratio eorum, quæ ille apertiſſime tradidit, ubi de Lazaro ante Chriſti mortem defuncto ſermonem habet, oc-*

caſione

» CÆLUM A CHRISTO APERTUM ſanctis numquam non patere credimus ad» huc dubitant, ultro hic expendant monumenta præcipua, quibus eamdem in » Ecclesia ſemper viguiſſe, nobis conſtitit ». Iidem Monachi in *Adnotat.* c. *ad Tractat. in Pſalm.* LVIII. *num.* 10. Sanctos ex inferis fuiſſe a Chriſto erutos animadvertunt ex Hilarii ſententia, adduntque: » Si juſti dicantur ideo doluiſſe, quia » ardenter exoptabant Chriſtum, quo Salvatore indigebant, præſentia ipſius do» lores eorum ſoluti quidni dicantur »?

caſione ſcilicet accepta a Chriſti PARABOLA, ſive Hiſtoria: ibi enim data opera gaudiorum meminit, deliciarumque, quibus lætabatur Lazarus in Abrah[illegible] ſinu; ibi mercedem deſcribit, quæ juſto cuilibet, ſtatim a morte reddenda eſt &c. [1] Hæc ille quidem. Quaſi vero Hilarius ex inſtituto gaudia, deliciaſque illas deſcripſerit, neque de iis tam obiter, ut ajunt, tamque *ſparſim* egerit, quam agat de ſanctis exemptis ex inferis: & perinde ac ſi idem Hilarius narrationem de Lazaro *parabolæ* habens loco, Lazarum ipſum ante Chriſti mortem deceſſiſſe, eoque præmio fuiſſe tunc auctum exiſtimarit, quod in viſione conſiſtit Dei. Scilicet hoc reſtat, ut operarios, quibus Paterfamilias undecima diei hora numeraſſe pecuniam in Evangelio dicitur, ante Chriſti tempora vixiſſe dicatis.

Sed vobis ſic confirmo, atque recipio, nihil *me plus juſto* Hilarii *dictionibus* tributurum. Quamquam hoc a vobis ipſis jure me poſtulare poſſe video, ut ne quidquam ejus Doctoris *phraſibus*, *dictionibuſque* dereptum velitis. Quæro nunc, cur de exemtis a Chriſto ex inferis animabus Sanctorum intelligi oportere Hilarii hunc locum negetis: *Deſcendente eo* (Chriſto) *ad inferos*, *Sanctos ejus inferi non tenent* [2]? Quia (ſic enim dicitis) *ad ea* [3] *Sanctorum corpora eſt referendus, quæ in Chriſti morte reſurrexiſſe dicuntur Matth.* XXVII. 52. Sit, per me licet, is Hilarii locus etiam referendus ad verſum illum 52. Evangelii Matthæi. Quid? An nihil præterea continet *expreſſi*, quod eo verſu *expreſſum* non ſit? Quidnam eſt in eodem verſu *expreſſi* de deſcenſu animæ *Chriſti ad inferos*? Quid de Sanctis, qui *inferis detenti* fuiſſent? Quid *generatim de Sanctis* iiſdem dictum, ut eſt in verbis Hilarii? Etiamſi igitur ad *verſum* quoque illum Evangelii Matthæi adludat Hilarius; *expreſſi* tamen addit aliquid, quod *expreſſum* non ſit in eodem verſu; *indefiniteque* de Sanctis, atque gene-

1 Feltr. §. XLIX. *pag.* 42.
2 Hilar. *in Pſalm.* LVIII. *num.* X. *pag.* 116.
3 Felcrius *ibid.* §. 58. *pag.* 50.

generatim agit; non *determinate*, ut eſt in eo verſu, ad *multa Sanctorum corpora*. Quod ſi ad ea ſolum *corpora* referatur, quod ſcribit Hilarius, quæ erit horum illius verborum ſignificatio: *deſcendente* Chriſto *ad INFEROS*, *Sanctos ejus INFERI non tenent*? Sanctorum ne illorum *corpora in inferis iis*, dicetis, fuiſſe, auctore Hilario, in quos Chriſti anima *deſcendit*? Quid hoc abſurdius? An *inferorum* nomine, quibus detentos Sanctos fuiſſe Hilarius indicat, ſepulcra intelligi oportere, ſtatuetis, in quibus corpora illa Sanctorum quieſcebant? Verum præterquamquod nullo umquam Hilarii teſtimonio oſtendere poteſtis, *corpora* fuiſſe ab eo appellata *Sanctos*, videte quid acturi ſitis. Nempe id agetis, ut non animam Chriſti ad *inferos deſcendiſſe*, Hilarius credatur dicere; ſed *inferorum* vocabulo, in quos Chriſtus deſcenderit, eſſe corporum illorum tumulos, Chriſtique etiam ipſius ſepulcrum intelligendum. Id vero quale tandem eſt? Annon eſt idem, atque Hilarium Proteſtantibus illis ultro concedere, qui *deſcenſum* Chriſti *ad inferos* errando ad corporis ipſius Chriſti ſepulturam referunt? Quod ſi in *inferis* animam Chriſti, Hilario teſte, fuiſſe fateamini, animas vero Sanctorum non item; idem vos arguet Hilarius, qui inferos, in quos Chriſtus deſcendit, quibuſque Sancti detinebantur, una ſimul commemorans, eoſdem omnino fuiſſe demonſtrat. Nam diſtinxiſſe eum inferos, in quos Chriſtus deſcendit, ab inferis, quibus Sancti detinebantur, quo tandem modo poteritis dicere; non ſolum iſtuc diſtinctionis genus tacente, ſed etiam inferos illos una nominante, proptereaque eoſdem eſſe oſtendente Hilario? Sin autem iiſdem in inferis, in quos Chriſtus deſcendit, SANCTI, auctore Hilario (non *multa corpora Sanctorum*, nam hoc non ſcribit Hilarius) erant: qua vos confidentia, referri omnino Hilarii ſententiam illam debere tantum ad *corpora* cap. XXVII. Evang. Matthæi commemorata, exiſtimatis? Quænam vero Hilarii verborum eſt germana ſignificatio, niſi hæc eſt, animam Chriſti ad

in-

inferos deſcendiſſe, indeque animas Sanctorum exemiſſe, eorumdemque *Sanctorum, qui dormierant, corpora multa* ſuis animabus ex inferis erutis juncta *ſurrexiſſe*, *& apparuiſſe multis*? Atque horſum quidem rem ab ſe fuiſſe acceptam, confirmat Hilarius *in cap.* XXXIII. *Evangelii Matthæi* „ *Petræ*, inquiens, *ſciſſæ ſunt*; omnia enim tum valida, „ & fortia penetrans Dei verbum, & poteſtas æternæ „ virtutis irruperat. *Et monumenta aperta ſunt*. Erant „ mortuis clauſtra reſerata. *Et multa corpora Sanctorum* „ *dormientium ſurrexerunt*. Illuminans enim mortis te- „ nebras, & INFERNORUM OBSCURA COLLU- „ STRANS IN SANCTORUM AD PRÆSENS CON- „ SPICATORUM RESURRECTIONE MORTIS IP- „ SIUS SPOLIA DETRAHEBAT [1] „. Quid eſt, colluſtraſſe *inferorum tenebras* Chriſtum? Chriſti ne corpus ſepulcra, in quibus jacebant Sanctorum corpora, circumiiſſe, atque luce perfudiſſe? An Chriſti ejuſdem Servatoris animam, non deſcendiſſe ad animas in inferos; ſed in inviſendis, colluſtrandiſque ſepulcris Sanctorum fuiſſe occupatam? Tamne ineptum, tam ridiculo capite Hilarium fuiſſe ſtatuetis, ut iſta tam abſurda defenderet? Quodſi Hilarius hujuſmodi verbis oſtendit, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, Sanctoſque, quos ibi reperit, colluſtraſſe, vitæque reſtituiſſe; ecquid ſupererit, niſi Sanctos illos fuiſſe a Chriſto perfuſos luce, qui ante in OBSCURIS fuiſſent? In OBSCURIS vero quemadmodum eſſe potuiſſent, ſi beati fuiſſent aſpectu Dei, hoc eſt ſi eo lumine colluſtrati, quo majus ne fingere quidem poſſumus? Atque ut configantur cornicum oculi, ac magis, magiſque perſpiciatur, quid ejus lucis, qua Sancti fuere perfuſi, quidque *inferorum*, qui *Sanctos, deſcendente Chriſto*, non *teneant*, vocabulis Hilarius intellexerit, advertite animos ad ea, quæ tradit *in* II. *de Trinitate libro* [2]: *Chriſtus*,

1 *Num.* VII. *pag.* 634.
2 *Num.* XVI. *pag.* 48. *tom.* II.

ſtus, inquit, *Dei Filius moritur*; *ſed omnis caro vivificatur*. *Dei Filius in inferis eſt*; *ſed homo refertur ad cælum*. Jam ne cernitis, quid S. Doctori fuerit τὸ *deſcendente ad inferos Chriſto*, *Sanctos ejus ab inferis non teneri*? Quid *obſcura infernorum illuſtrari*? Quid vitæ reſtitui? Annon idem eſt, ac reddi ſempiternæ gloriæ [1], hoc eſt REFERRI ad CÆLUM? Quod ipſum inculcat Hilarius *Tract. in Pſalm.* CXXXVIII. [2] „ Domino, *inquit*, paſſo iſtæ deliciæ ſunt, dum portas æreas confringit, dum vectes ferreos conterit, dum omnem poteſtatem deſpoliat, dum de his in ſe triumphat, dum eum, quem ad imaginem ſuam fecerat, redimit, dum DELICIIS PARADISI RESTITUIT „. Sanctos igitur, *inferis teneri* deſinere; & colluſtrando *obſcura inferni in Sanctorum ad præſens conſpicatorum reſurrectione mortis ſpolia detrahi*, idem eſt ac reddi ſempiternæ vitæ, ſeu gloriæ, ſeu, quod eodem pertinet, REFERRI ad CÆLUM, DELICIISQUE PARADISI RESTITUI. Hæc vero cum deſcenſu Chriſti ad inferos conjungit Hilarius, ut vobis tot ejus teſtimoniis planum feci. DELICIIS porro PARADISI RESTITUI quid eſt, niſi beata Dei viſione donari? Si autem Sancti donati hac antea fuiſſent, huic tunc ipſi *reſtituti* quî demum dici potuiſſent? Ac ridiculum profecto eſſet ſtatuere, eos, qui viſione fruebantur Dei, excluſos e *deliciis* paradiſi fuiſſe, tumque primum, cum ad inferos deſcendit Chriſtus, iiſdem fuiſſe reſtitutos. Sed quid opus

 eſt

1 Quo enim hæc pertinent: *Dei filius crucifigitur*; *ſed in cruce hominis mortem Deus vincit*. *Chriſtus Dei filius moritur*; *ſed omnis caro vivificatur*? An eo, ut indicent, animabus hominum nihil fuiſſe boni collatum Chriſti morte, ſed ſolum fuiſſe *vivificatam carnem*? Quis hoc, ſine ſumma injuria exiſtimet, veniſſe in mentem Hilario? Scilicet cuique legenti perſpicuum eſt, Hilarium *omnis carnis* vocabulis intellexiſſe id, quod Scripturæ nobis iiſdem vocabulis indicant, nempe homines anima, & corpore conſtantes, qui a morte, quæ & in animas, & in corpora immiſſa peccato primi parentis Adæ fuit, a morte, inquam & animarum & corporum in vitam ſecundi Adæ ſanguine revocati ſint. Quæ autem vita illa animi æterna eſt, niſi quam Chriſtus in Evangelio Johannis commemorat: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*? Quo ſpectat etiam, quod mox Hilarius adjungit; *Dei filius in inferis eſt*; *ſed homo refertur ad cælum*.

2 *Num.* XXVI. *pag.* 442. *tom.* I.

eſt multis, ſi Hilarius idem felicitatem, qua tunc Sancti potiti fuerunt, cum Chriſtus eſt mortuus, atque ad inferos deſcendit, *paradiſum, conſummatæque beatitudinis delicias* appellat? Libro enim x. *de Trinitate* [1] „ Naturæ, „ *inquit*, hujus poteſtatem jam non dico metu, ſed nec „ infernæ ſedis regione concludes, quæ deſcendens ad „ inferos a paradiſo non deſit; ſicut & hominis filius lo- „ quens in terris maneat & in cælo, MARTYRI ſuo „ (*Latroni*) PARADISUM promittens, & CONSUM- „ MATÆ BEATITUDINIS DELICIAS POLLICENS „. Hæc adeo nexa, adeo inter ſe colligata, adeo ſæpe, ac multum tot in operibus ab Hilario tradita, adeo clara denique, adeoque perſpicua quo tandem modo tam levibus, tamque alienis animadverſionibus diſſolvi a vobis, imminui, obſcurari, implicarique ſperatis poſſe? At ſcopus Hilarii. Quiſnam is eſt ſcopus Hilarii ajentis: *deſcendente eo ad inferos, Sanctos ejus inferi non tenent?* „ Eſt (inquit Feltrius) in eo ſitus, ut oſtendat, illud *Zachariæ* XII. 10. *aſpicient ad me, quem confixerunt...* „ iſtud, inquam, adimpletum fuiſſe in Chriſto cruci affi- „ xo, & lancea pertuſo: id vero percipi ab Judæis ne- „ quivit, niſi ex prodigiis, & miraculis ſpectantium „ oculis perviis, & ſenſibus maxime ſubjectis, atque „ hinc de hiſce prodigiis ſermonem ibi habet Pictavien- „ ſis Epiſcopus, hunc in modum: *cujus miſericordia eum præveniat &c.* [2]

Satis hoc quidem ſcite. Expecto nunc, mihi ut expedias, quo demum pacto deſcenſus Chriſti ad inferos *pervius oculis, ſenſibuſque maxime ſubjectus* eſſe potuerit. Nam eſt item hujus deſcenſus ibidem ab Hilario facta mentio. *Scopum*, credo, aliquem *in eo ſitum* (quam latine viderint grammatici, nihil enim laboro) at *in eo ſitum*, ut iſtud *oſtendat*, comminiſcere. In hoc enim genere mirabile

1 *Num.* XXXIV. *pag.* 171. *tom.* II.
2 Feltrius *ibid.* §. LVIII. *pag.* 50. *ſeq.*

bile eſſe video acumen tuum. Atque iſtud eſt ſapere : non quod invenire quiſque legendo in Hilarii libris queat (nam eſt id omnino vulgare) ſed quod inquirendo nemo umquam comperiet, quodque Hilarius ipſe ne cogitarit quidem, id propoſitum Hilario ad demonſtrandum fuiſſe, fidenter pronunciare. Quod ſi tibi opus umquam fuit iſta facultate ; opus certe in hoc Hilarii loco implicando fuit. Eſt enim is locus tibi perdifficilis. Quare, niſi ad commenta confugiſſes, exitum reperire non potuiſſes. Quid igitur? inquies. Annon is Hilarii ſcopus fuit? Quid vis dicam, Feltri? Fuerit alias, per me licet, ſed in verſu decimo, atque undecimo Pſalmi LVIII. explicandis profecto non fuit. In horum autem duum verſiculorum interpretatione Hilarius τῷ *deſcendente Chriſto ad inferos, Sanctos ejus inferi non tenent*, dixit. Sic autem tecum ſtatuito, verſus illos interpretanti Hilario hoc fuiſſe propoſitum, ut *cuſtodiſſe ad Deum fortitudinem ſuam* Chriſtum ; ac Dei rurſum, qui ejus *refugium, virtuſque ſit, miſericordia ipſum fuiſſe præventum*, oſtenderet. Id vero non ſolum oſtenſurum ſe pollicetur Hilarius initio interpretationis ſuæ ; ſed etiam, ubi eam interpretationem abſolvit, eſſe jam, ut promiſerat, oſtenſum ſignificat. Nam verſibus (10. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es* ; & 11. *Deus meus, miſericordia ejus præveniet me; & 12.Deus meus oſtendit mihi inter inimicos meos*) deſcriptis priores duos verſus explicat modo : „ FORTITUDI-
„ NEM ſuam AD DEUM CUSTODIET, animam ſuam
„ ſcilicet, quam depoſuit, reſumendo. Nemo enim au-
„ fert eam ab eo : & QUIA virtus ſua, & REFUGIUM
„ ſuum ſit, in cujus manus commendavit Spiritum
„ ſuum: Cujus MISERICORDIA eum PRÆVENIET,
„ ut etiam ante reſurrectionem Dei filius intelligatur;
„ cum moriente eo, obſcurato ſole, lux deperit, cum
„ pendente eo in cruce tremit terra, cum DESCEN-
„ DENTE EO AD INFEROS SANCTOS EJUS IN-

„ FERI NON TENENT, cum emittente eo ſpiritum „ velum templi tamquam cuſtodia illinc ſpirituali erumpente diſcinditur, cum poſtremo Centurio proclamat: „ vere Dei filius erat iſte „. Atque hac eorum duorum verſiculorum interpretatione perfecta, quid oſtenderit Hilarius indicat, munitque inde ſibi ad verſum duodecimum explicandum viam „: CUSTODITA, *inquit*, AD „ DEUM FORTITUDINE SUA, quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt, ET „ PRÆVENIENTE EUM MISERICORDIA SUA „. Jam hoc perfectum eſt. Nulla interea in hac Hilarii oratione, nulla, inquam, Judæorum, nullaque oraculi Zachariæ fit mentio. Aggreditur mox Hilarius verſus 12. interpretationem, pergitque ſcribere: „ Oſtendit EI (non „ dicit, *eis*, ſed EI) inter inimicos ejus, quia ſuſceptor ejus eſſet „. Quomodo OSTENDIT EI inter inimicos ejus? Meminit S.Doctor eorum, quæ paulo ante explicans verſus illos ſuperiores duos de Centurione Jeſum Filium Dei confitente dixerat; quare ſtatim adjungit: „ Cum id etiam inimici confeſſione patuiſſet. Vere enim „ eum Dei filium eſſe Centurio proclamat „. Ecce quomodo, Hilario interprete, *oſtendit ei inter inimicos ejus, quod* ſuſceptor *ejus eſſet*: nempe *confeſſione Centurionis*. Addit Hilarius: „ Et hæc quidem tum ita cognita ſunt „. Scilicet his, quæ evenerant, oſtenſum ei, ſcilicet Chriſto, inter inimicos ejus eſt, Deum eſſe ejus ſuſceptorem. Cur inter inimicos ejus? Quia id *confeſſione* etiam *inimici* patuerat. Et hæc quidem ex confeſſione Centurionis tum cognita ſunt. Sic Hilarius ſcribit verſum 12. interpretans: quam quidem duodecimi verſus interpretationem perſequens ad Zachariæ locum venit, eumque non ad inimicos Chriſti, qui tunc fuiſſent, ſed ad eos, qui futuri deinceps eſſent, accommodans: „ Sed quia, *inquit*, ſecundum il- „ lud, & videbunt in quem compunxerunt, etiam in „ futurum inter inimicos ejus oſtendet Deus, quod

„ ejus

„ ejus ſit ſuſceptor: quippe cum ſecundum Apoſtolum „ introgreſſa gentium plenitudine, id, quod Iſrael ſit „ reliquum, ſalvabitur, ut quod ſcriptum eſt implea- „ tur: veniet ex Sion, qui liberabit, & avertet impie- „ tates ab Jacob; & hoc illis a me teſtamentum, cum „ auferam impietates eorum. Ad ſignificationem itaque „ repoſitæ hujus miſericordiæ, ſpeique ſubjecit: *ne oc-* „ *cideris eos, ne quando obliviſcantur legis tuæ. Diſperge* „ *illos in virtute tua &c.* „ Jamne videtis, in explicandis illis duobus 10. & 11. Pſalmi verſibus non inimicorum Chriſti fuiſſe ab Hilario mentionem factam, non Judæorum, non oraculi Zachariæ; ſed id ei fuiſſe propoſitum, ut demonſtraret, Chriſtum cuſtodiſſe fortitudinem ſuam ad Deum; Chriſtumque ipſum, cujus refugium Deus ſit, præventum miſericordia fuiſſe, ut Dei Filius intelligeretur? Non ergo ille, quem dicitis, in verſibus iiſdem duobus explicandis Hilarii ſcopus fuit. Quod ſi aliquando fuit, eſſe quidem certe Hilarii verſum Pſalmi duodecimum, non alios, interpretantis ſcopus utcumque potuit. Quid ergo eſt, quod ea, quæ *de Chriſto deſcendente ad inferos*, efficienteque, ut *Sanctos inferi non teneant*, Hilarius verſus decimum, & undecimum illuſtrando dixit, ad ſcopum illum contorqueatis? At verſibus iiſdem duobus explanatis, paravit ille ſibi ad duodecimum declarandum viam. Sic eſt. Verum, quo demum eam modo pararit, vobis erat animadvertendum. Dixerat, Centurionem *fuiſſe confeſſum*, Chriſtum eſſe filium Dei. Hinc ad verſum duodecimum, *Deus meus oſtendit mihi inter inimicos meos*, deſcendens non adnotat, quod vos ei adſcribitis, oſtendiſſe Deum Judæis; ſed ait, oſtendiſſe ei, Chriſto nempe, Deum *inter inimicos ejus, quia ſuſceptor ejus eſſet*. Qua ratione autem id ei affirmat oſtendiſſe Deum? *Cum id*, inquit, *inimici ejus confeſſione patuiſſet. Vere enim Dei filium eſſe Centurio proclamat*. Hæc vero cum ita ſe habeant, quæ tanta iſta veſtra cudendorum ſcoporum licentia eſt?

eſt? Quæ confidentia jactandi, Hilarium de Judæis agere conſtituiſſe, quaſi dixerit, his *oſtendi* debuiſſe, Filium eſſe Dei illum, *quem confixerant*, *atque oſtendi quidem prodigiis*, & *miraculis ſpectantium oculis perviis*, *& ſenſibus maxime ſubjectis*? Jam vero *τὸ videbunt*, *in quem compunxerunt*, annon cernitis ad tempus futurum ab Hilario referri? Cur ergo ſic illud exhibetis, quaſi ab S. Doctore ad ea relatum fuerit, quæ jam peracta fuiſſent? *Eſt ſcopus* (ſic enim ſcribitis) *in eo ſitus*, ut *oſtendat illud Zachariæ* 12. 10.... *adimpletum fuiſſe in Chriſto cruci affixo*, & *lancea pertuſo*. Quandonam *lanceæ* Hilarius tres illos verſus interpretans meminit? Quandonam Chriſti *pertuſi lancea*? Quandonam adimpleti hac in re oraculi Zachariæ? At Hilarius fortaſſe, quod apud Zachariam legitur: *adſpicient ad me*, *quem confixerunt*, ex Johannis 19. 37. legit, *& videbunt*, *quem compunxerunt*.

Quid eſt, niſi iſtud ariolari eſt? Quænam Sacrorum Bibliorum editio verba Zachariæ exhibet ita, ut ſunt a vobis propoſita? Vulgata, dicetis, editio latina noſtra. Hanc vero conſulere Hilarius quî tandem poterat, quæ illius temporibus non modo perfecta non fuiſſet, ſed ne fieri quidem cœpiſſet? In editionibus græcis, latiniſve, quæ, cum ille viveret, in uſu erant, ita ne locus ille Zachariæ legitur, ut in eadem vulgata noſtra latina? Nihil minus. Nam in codicibus græcis aliquot verſionis Septuaginta Senum ſic effertur, *εἰς ὃν ἐξεκέντησαν*[1]. Quid? In Johannis Evangelii græco fonte ſecus ne effertur? Immo iiſdem omnino verbis, *εἰς ὃν ἐξεκέντησαν*. Quid hæc latine ſonant? *In quem transfixerunt*, vel in quem *confixerunt*, vel in quem *compunxerunt*. Græca Johannis quo ſunt

1 In multis codicibus verſionis græcæ LXX. Senum *cap.* XII. *Zach. v.* 10. legitur: *ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο pro his, quæ illuſerunt*, vel *quæ inſultaverunt*, ut eſt in exemplis item multis Veteris latinæ editionis, quam *Italam* antiquam vocant. Confer *tom.* II. *P.* II. *Sacror. Biblior. Antiq. Italæ* verſionis *edit. Pariſ. ann.* 1751. a Petro Sabaterio Monacho *Congreg. S. Mauri* curatæ *p.* 999. Sed his codicibus non ſtetit Hilarius. Eſt enim, ut vidimus, ſequutus eos, in quibus ſcriptum repererat, *εἰς ὃν ἐξεκέντησαν*, *in quem transfixerunt*, ſeu *in quem compunxerunt*.

ſunt modo latine verſa ab Latino interprete? A recenti ne? *In quem transfixerunt*? Quî a vetere *Italæ*, quæ dicitur, verſionis Latino Interprete? *In quem compunxerunt*[1]. Verti ne recte ſic poterant? Cur non? Poterant quidem certe. Nam *ἐκκεντέω* verbum, cujus eſt aoriſtus 1. *τὸ ἐξεκέντησαν*, ex prepoſitione *ἐξ*, & verbo *κεντέω*, quod eſt *pungo*, componitur. Si ergo, ut in Johannis Evangelio, *εἰς ὅν ἐξεκέντησαν*, ita quoque apud Zachariam (ut eſt in quibuſdam Codicibus verſionis græcæ ſeptuaginta Interpretum) *εἰς ὅν ἐξεκέντησαν* legitur, atque hæc græca verti commode poſſunt latine *in quem compunxerunt*; cur Hilarius, aut vetus alius Interpres ita expoſitum græce oraculum Zachariæ in illis codicibus legens, vertere illud non potuiſſet latine, *in quem compunxerunt*, loco Evangelii Johannis ne animadverſo quidem? Potuiſſet ſane. Non enim fuiſſet opus animum ad Johannis locum advertere, ſi iiſdem omnino verbis & Zachariæ oraculum, & locus idem Johannis conſtitiſſet. Age vero. An licet fido interpreti *τὸ in* præterire, vertereque: *quem compunxerunt*? Non licet profecto. Quum enim fontes Græci *εἰς* habeant, quæ præpoſitio latinis eſt *in*; ſi *τὸ in* præterierit Interpres, erit illius diminuta, minuſque proinde accurata interpretatio. Quæ igitur, malum, vos cauſſa impulit, ut *τὸ in* prætermitteretis; neque id ageretis ſolum, ſed rem etiam omnem ita involveretis, ut Lectoribus veſtris verſus ille prophetiæ Zachariæ in græcis, latiniſque codicibus non ita propoſitus fuiſſe videretur, ut deſcriptus eſt ab Hilario; conjecturaque uſi certe inani, Hilarium ipſum ad Johannis Evangelii verſum ſeptimum ac triceſimum capitis XIX. animum forſitan advertiſſe comminiſceremini? Equidem commentos id vos arbitror fuiſſe implicandæ Hilarii, quæ ſane clariſſima eſt, ſententiæ cauſſa. Quod ſi erunt fortaſſe, qui me reprehendant, perin-

1 Vide camdem Sacrorum Bibliorum a Sabaterio curatam editionem *to.* III. *P.* II. *ad cap.* XIX. *Evang. Johann. v.* 37. *p.* 481.

perinde ac ſi quod ignoratione rerum factum a vobis eſt, id vos ſtatuam feciſſe conſulto; iis ſic promitto, atque recipio, utrum velint, eſſe me facile conceſſurum; vel conſulto vos iſta ſcripſiſſe, quod eſt impudentiæ; vel imperitia rerum, quod certe eſſe conſtat temeritatis. Quid enim tam temerarium, quam judicium de rebus ferre, quas neſcias? Redeo ad ſcopum, quem dicitis in verſibus 10. & 11. Pſalmi LVIII. explicandis propoſitum fuiſſe Hilario. Jam quam inſigniter fallamini, demonſtratum eſt. Quid? Si ne prodigia quidem illa, quæ *maxime ſenſibus ſubjecta eſſent*, Hilarius poſtulaſſe videatur in illuſtrando ejuſdem Pſalmi verſu duodecimo etiamtum, cum ad eumdem duodecimum verſum accommodat Zachariæ locum? *Ablationes* enim *impietatum*, de quibus ibidem fere unice agit Hilarius, in prodigiis, quæ ſub aſpectum maxime cadant, numerari qui poterunt?

Sed additis, in ſcopo iſto pſevdo Hilariano veſtro confirmari vos majorem in modum iis, quæ Hilarius idem ſcribit *Commentariorum* in *Matthæi Evangelium capite tertio, ac triceſimo. n.* VII. Lectores veſtram fidem! Siccine vos ab Cadonicianis deludi patiemini? Percurrite, obſecro vos, caput illud tertium ac triceſimum. Facite periculum. Sic vobis confirmo, nihil in eo vos eſſe reperturos, quod de ſcopo ſit, quem hi ſunt commenti; nihil de prodigiis, quæ ſub ſenſus maxime caderent deberent; nihil ne de Zacchariæ quidem loco.

At eſt, inquis Feltri, altera reſponſio tibi in promtu, qua Hilarii locus ille, ſecus atque ipſe cenſeam, explicari poſſit. Quam vellem ea ut abs te allata antea fuiſſet reſponſio. Non enim temet implicaſſes priore illa reſponſione tua, quam jam intelligis eſſe inanem. Sed age, prome iſtam alteram. *Hilarius*, inquis, *de carnis immortalitate agit Sanctis ſuo tempore concedenda* [1]. Equidem, ut proſpicio,

1 Feltrius §. LX. *p.* 51. „ Altera eſſe poteſt reſponſio cumprimis probabilis, „ nimirum Pictavienſem Epiſcopum iis verbis animum intendiſſe ad beatam „ cor-

ſpicio, longe eſt hæc priore tua reſponſione inanior. Hilarius, Sanctos *inferis teneri* deſiiſſe deſcendente *ad inferos* Chriſto, ſcribit; de reſurrectione vero carnis ſuo tempore Sanctis concedenda, hoc loco, uti cernere cuique licet, nihil ſcribit. Quis autem eum non rideat, qui defendat, probatum Hilario fuiſſe, quod Hilarius non dixerit; minuſque contra fuiſſe probatum, quod dilucide, aperteque dixerit? At *licet ponatur, animas Sanctorum Deum vidiſſe* (ne pone iſtud, quæſo te, Feltri: non enim eſt poſitum ab Hilario) *ſupererat eis tamen gloriæ plenitudo, ſeu conſummatæ, ut ajunt, beatitudinis ſolatia*. Verum Hilarius *conſummatæ beatitudinis delicias*[1] eos jam eſſe adeptos teſtatur, qui vident Deum; quamquam *delicias* eaſdem ullum Sanctorum ante Chriſti mortem fuiſſe conſequutum, nuſquam dicat: immo Sanctos ipſos ante Chriſtum in *inferis*, inque *obſcuris* affirmet fuiſſe, ut paulo ante vidimus. Sed ſit *conſummatæ beatitudinis ſolatiorum* vocabulis intelligenda, ut voles, ea, quæ poſt reſtitutionem corporum Sanctis fiet *accidentalis*, ut Theologi vocant, beatitatis acceſſio. Quid tum? *Tenebantur*, inquis, *tenebantur in inferis piorum animæ expectantes humanæ naturæ Reparatorem*. Quid ais Feltri? Animas ne aſpectu Dei beatas, ornatas incredibili gloria, integraque libertate præditas, ex Hilarii ſententia fuiſſe *concluſas in inferis*? An *inferis teneri* nulla eſſe tibi videtur pœna? Quod ſi non videtur tibi, contra ac

yyyyy Ec-

» corporum reſurrectionem, carniſque immortalitatem ſuo tempore concedendam. Licet enim ponatur, animas Sanctorum Deum vidiſſe, ſupererat eis tamen » gloriæ plenitudo, ſeu conſummatæ, ut ajunt, beatitudinis ſolatia. Hinc tenebantur concluſæ in inferis piorum animæ expectantes humanæ naturæ reparatorem, quo indigebant ad perfectam, numeriſque omnibus obſolutam meritorum retributionem. Chriſto autem ad inferos deſcendente, data hæc eis » fuit conſolatio, vel quatenus multi ex iis, qui dormierant, appendices veluti » dominicæ reſurrectionis effecti, Chriſtum in cælum avolantem comitati ſunt, » vel quatenus jus omnibus collatum eſt ad reſurrectionem in temporum plenitudine obtinendam, quam pariter interpretationem conformem eſſe maxime » Hilarii ſententiis ſatis aperte colligitur & ex iis, quæ in reſponſione ad 1. arg. » dicta ſunt, & ex iis, quæ dicturi ſumus ».

1 *In x de Trinit. libro nu.* 34. *pag.* 271. quo loco *de paradiſo, conſummatæque beatitudinis deliciis* latroni a Chriſto promiſſis agit.

Eccleſiæ Chriſti omnes ſentiant; Hilario tamen ab Eccleſiæ doctrina minime diſcrepanti, pœna profecto eſſe videtur [1]. Pœna ne vero affectas animas illas fuiſſe quis credat, quibus ſi, gaviſæ fuiſſent viſione Dei, hoc eſt ſi *conſummatæ beatitudinis deliciis* circumfluxiſſent, nihil triſte potuiſſet accidere [2]? Non ergo animæ illæ viſione gaudebant Dei, ſi, ut fatere, inferis tenebantur. Quam autem ob cauſſam *expectabant humanæ naturæ Reparatorem*, niſi, ut eas ex inferis, quibus eas fuiſſe detentas concedis, erueret? At eas inde non eruit. Non, hem? An quod Hilarius ſcribit, deſcendente Chriſto *ad inferos, Sanctos ejus inferi non tenent*, negandum eſt placuiſſe Hilario; quod autem non ſcribit, id eſt ſtatuendum Hilario placuiſſe? Ecquis iſte pervertendarum ſententiarum Scriptorum Veterum, explicandorumque Patrum novus eſt criticæ diſciplinæ canon? Sed Chriſto, inquis, *ad inferos deſcendente data hæc eis* animabus *fuit conſolatio*. Quæ? *Vel quatenus multi* (ſic

1 *In Pſal* CXLIX. *n.* 2. *tom.* IX. *Veterum Scriptorum editionis Martenii Pariſ. an.* 1733. *p.* 79. *In terris poſitos Sanctos* CÆLESTEM *Eccleſiam facere; peccatores autem non jam in terris eſſe dici*, ſcribit, *ſed in* INFERIORIBUS *terræ*. Confer quæ idem ſcribit *in Pſalm.* LXVIII. *n.* 5. *p.* 188. Et *n.* 15. *p* 193. quo loco *Profundum puteorum*, inquit, INFERNA *terræ ſignificari demonſtrat* Chriſtus. *Ne contineat ergo ſuper eum puteus os ſuum precatur; impoſſibile enim eſt Deum vitæ* PORTIS INFERNI DETINERI. Cur? niſi, quia INFERIS TENERI non beatorum eſt aſpectu Dei, adeoque gloria, qua nulla major ſit, gaudentium; ſed aliquo pœnæ genere affectorum? Quid? Si in *Pſalm.* CXLI. *n.* 7. *p.* 466. *infernum*, in quem Chriſtus deſcendit, adeoque, in quo Feltrius poſitas, ait, fuiſſe Sanctorum animas, quid, inquam, ſi infernum illum *carcerem* vocat? De Chriſto enim agens: „ CARCER eſt INFERI, inquit; a *quo ſe educi rogat, ut & in altero pſalmo erat precatus*: non contineat ſuper me puteus os ſuum. *Oratio omnis iſta ad confeſſionem, ut diximus*, virtutis *paternæ eſt*. Atque *carcer* quidem ille, non Chriſto carcer fuit inter mortuos libero, ſed iis Sanctis, qui deſcendente Chriſto obtinuere, ut ne deinceps *inferis tenerentur*. Nam ut idem ait *Hilarius in* X. *de Trinit. n.* 34. *p* 271. » Naturæ hujus poteſtatem, jam non dico » metu, ſed nec infernæ ſedis regione concludes, quæ deſcendens ad inferos a » paradiſo non deſit (ſicut & hominis Filius loquens in terris, manet & in cælo, » martyri ſuo (latroni) paradiſum promittens, & conſummatæ beatitudinis de» licias pollicens ». Etſi ergo deſcendit ad inferos Chriſtus, non tamen *concludi*, ſeu *teneri infernæ ſedis regione* potuit, ut antea tenebantur Sancti. Cur? Quia *deſcendens ad inferos e paradiſo* non deerat. Quid eſt paradiſus? *Deliciæ conſummatæ beatitudinis*, quas ea die ſe latroni conceſſurum *pollicitus* eſt. Non igitur Sancti, qui *inferis tenebantur*, ſeu infernæ ſedis regione concluſi erant, *delicias illas conſummatæ beatitudinis* conſequuti fuerant. Alioqui non fuiſſent *inferis detenti*, ſeu *infernæ ſedis regione concluſi*.

2 Vide Hilarii locum a nobis deſcriptum *p.* 886. *hujus operis in not.*

(ſic enim addis) *ex iis, qui dormierant*, *appendices veluti dominicæ reſurrectionis effecti Chriſtum in cælum avolantem comitati ſunt*. Ceterorum ne igitur Sanctorum illorum animæ *inferis* adhuc *concluſæ detinentur*? Ecquo has reatu teneri putas, ut, cum datum aliis fuerit *appendices* eſſe reſurrectionis dominicæ, avolareque in cælum, tum hæ adhuc *in infernæ regionis* ſedibus maneant?

Adeo ne novum dogma veſtrum vobis eſt cordi, ut modo Patrum aliquem ad illud pertrahere poſſitis, nihil habeatis penſi; omnes ejus ſententias rapere ſtudeatis in pejorem partem; eumque, quaſi decreta religionis orthodoxæ perverterit, prodere conemini memoriæ hominum ſempiternæ? Annon catholicæ religionis dogma eſt ab Innocentio III. ab Synodo Lugdunenſi Oecumenica, a Benedicto XIII. a Conciliis item Oecumenicis Florentino, & Tridentino finitum, juſtorum poſt Chriſti mortem animas omnes in cælo agere? Cur Hilarium lectoribus veſtris proponitis velut huic dogmati repugnantem? Cur non ejus, ſi qua eſſe videntur obſura loca, non apte ad Eccleſiæ doctrinam interpretamini? Cur perſpicua ejuſdem ea de re teſtimonia ſic prætermittitis, ut ea aut minime legiſſe, aut neglexiſſe videamini? Perſpicua vero eſſe, atque huc quidem maxime pertinere quis neget, quæ ille de animabus Sanctorum iter Chriſti ad cælos præeuntibus *Tract.* in Pſalmum LXVII.[1] animadvertit, quæque de Sanctis in illam domum non *manufactam*[2], *ſed æternam in cælis in voce exultationis tranſituris*, *cum hoc tabernaculum ſui corporis* diſſolutum fuerit, perſequutus eſt?

1 *Num.* XXVII. *p.* 180. „ Sed novimus itinera & alia regis in Sancto, cum » virtutibus cæleſtibus, ANIMISQUE SANCTORUM iter ejus præeuntibus, » in eo, qui primæ Sabbati pſalmus eſt, cantatur: *tollite portas principis veſtri*, » & *elevamini portæ æternales*, & *introibit rex gloriæ*. *Quis eſt iſte rex gloriæ*? » *Dominus virtutum ipſe eſt gloriæ*. Et hæc itaque Dei noſtri, & regis in » Sancto itinera ſunt viſa, cum ingreſſum ejus tanta cæleſtium cœtuum gaudia » præeunt ». Audin, ut *animas* Sanctorum iter Chriſti in cælum præiviſſe dicat; utque earum cœtum *cæleſtium cœtum* vocet? Non ergo ii ſolum, Hilario auctore, in cælum immigrarunt, quibus ſua corpora reſtituta ſunt.

2 *In Pſalm.* XXXI. *n.* VII. *p.* 73. *ſeq. tom.* IX. *Veterum Scriptor. Martenii*;

eſt ? Animabuſne hominum Sanctorum , qui nunc decedunt , id beneficii genus , ex Hilarii ſententia , tributum, animabus contra juſtorum Vet. Teſt. , poſt Chriſti etiam ad inferos deſcenſum , negatum dices ? Pergis porro : *vel quatenus jus omnibus collatum eſt ad reſurrectionem in plenitudine temporum obtinendam* . Egone tam aliena , tamque *ἀσύςατα* credam veniſſe in mentem Hilario? Quid iſtuc eſt? Eos , qui virtute paſſionis futuræ Chriſti juſtificati deceſſiſſent, jus nullum *ad reſurrectionem* , quam etiam prænunciarant, jus, inquam, nullum ejuſdem futuræ paſſionis virtute habuiſſe *ad reſurrectionem in temporum plenitudine obtinendam* ; ſed tum primum illud eos fuiſſe conſequutos , cum Chriſtus deſcendit ad inferos , quiſnam umquam orthodoxorum exiſtimavit ? Age , cedo Hilarii teſtimonia , quæ id efficiant . Ais te attuliſſe . Somnia . Legi , conſideravi , expendi librum tuum , nullum abs te allatum Hilarii locum reperi , ex quo quidquam tale concludi poſſit .

Mirum autem videtur , te , qui nihil attuleris , afferreve poſſis , quod tibi præſidio ſit ; attuliſſe tamen fidenter dicere perplura , ex quibus , quod vis , eſſe arbitrere conſequens ; eaque confidentia dicendi , clariſſimis rebus tenebras offundere ſtudere .

Mihi certe ſatis ſemper erit , ut commune dogma probatum Hilario fuiſſe cenſeam ; ſatis, inquam , erit cognoſſe : Hilarium ipſum in ea fuiſſe ſententia , ut ab deſcendente Chriſto ad inferos , Sanctos , qui in inferis ipſis , hoc eſt in obſcuris [1] *exhortationem deſiderabant* [2] ,

Domi-

1 Commentarior. *in Matth. cap.* XXXIII. *n.* 7. *p.* 614. „ Illuminans (*Chriſtus*) „ mortis tenebras , & INFERNORUM OBSCURA COLLUSTRANS , in Sanctorum ad præſens conſpicatorum reſurrectione mortis ſpolia detrahebat „ .

2 Hilarius *in Pſalm.* CXVIII. *litt.* XI. *n.* 2. *ſeq. pag.* 264. „ Defecerunt oculi mei „ in eloquium tuum , quando exhortaberis me . Sequitur defectionem animæ defectio oculorum .,. Pone in expectatione aut peregrinantis viri conjugem , aut „ jamdiu abſentis filii Patrem , quem in omni tempore exiſtimet reverſurum „ (*cogita etiam atque etiam, lector, num apte hac exempla cadere in eum poſſint, qui Dei viſione fruatur*) „ nonne ei itineri , quo venturum opinabitur , ſemper intendet ? „ Nonne intentio , ac viſus oculorum contuitionis ipſius expectatione deficiet ?

Deſi-

Dominumque videre mentis oculis *optaverant*, colluſtratos fuiſſe, atque adeo vidiſſe Deum, exemptoſque ex iiſdem inferis migraſſe ad Chriſti cæleſte regnum [1].

At vos *negatis deſiderium* illud fuiſſe *deſiderium* [2] videndi Dei. Cur? quia Chryſoſtomus, ſic enim dicitis, etiam Angelos *deſideraſſe ait videre* humanam naturam noſtram in cælum in Chriſto, & per Chriſtum advectam. *Id enim*, inquit, *multo ante deſiderabant Angeli*, *& concupiſcebant Archangeli* [3].

Quaſi vero aut Angelos ſuæ id ſalutis cauſſa deſideraſſe Chryſoſtomus dicat, non noſtræ; aut Sancti, qui in *inferno*, ut Hilarius ſcribit, *deſiderabant exhortationem*, ſeu *conſolationem*, aſpectumque domini, non ideo deſiderarint, ut ne *inferis*, *obſcuriſque* deinceps tenerentur.

Verum inſtas, atque urges, contextum orationis Hilarii hoc unum poſcere, Sanctos ita in inferis fuiſſe affectos, ut *Salvatoris*, ſeu *Salutaris* deſiderio flagrarent. Recte ſane. Deſiderabant igitur *Salutare*, ſeu *Salvatorem* [4]. Quamobrem autem, niſi ut eos ex *obſcuris*, ſeu ex

» Deſideria hæc in ſe Prophetarum Dominus teſtatur, cum dicit: *Amen dico vobis*, *multi Propheta*, *& juſti* quæſierunt videre, quæ vos videtis, & audire, » quæ auditis. Propheta itaque & animo, & oculis deficit. Sed hi nunc oculi » Prophetæ, licet Dominum videre deſideraverint, NON SUNT TAMEN CORPORIS OCULI; loquuntur enim, & expectant, ET MENTIS POTIUS EST » CONTUITIO ISTA, & loquela, non corporis. Dicunt enim, *quando exhortaberis me*. Scit exhortationem iſtam SANCTOS QUIESCENTES IN INFERNO DESIDERARE. Scit, teſtante Apoſtolo Petro, deſcendente in inferna Domino, *etiam his*, *qui in carcere erant*, *& increduli quondam fuerunt in diebus Noe*, exhortationem prædictam fuiſſe. In hæc igitur Dei eloquia oculis » loquentibus deficit, non tam viſu corporeo Dominum ex eloquiis Dei nunciatum, quam contemplatione animæ, & mentis expectans ».

1 *Lib.* 3. *de Trinit.* *n.* XV. *pag.* 48. „ Dei Filius moritur, ſed omnis caro vivificatur in Chriſto: Dei Filius in inferis eſt; ſed homo refertur ad cælum ». Viden' ut reductionem Sanctorum in cælum cum deſcenſu ad inferos conjungat; reſurrectionem autem cum morte Chriſti?

2 Feltrius *ibid.* §. XVI. *ſeqq.* *pag.* 52. *ſeqq.*

3 Homil. *In Aſcenſ. Domini*. *n.* V. Confer Feltrium *ibid.* *pag.* 53.

4 Hilarius *in Pſalm.* CXVIII. *litt.* XI. *n.* 1. *pag.* 263. *ſeqq.* „ Naturæ humanæ eſt, » ut cum id, quod deſiderat, non POTEST OBTINERE, per DESIDERII » JUGEM CUPIDITATEM animi defectione teneatur. Et hoc noſſe ex ipſis » affectionis noſtræ motibus promtum eſt, inquantum ad animi defectionem eorum, quos deſideramus, expectatione redigamur. Propheta itaque, cui EXPECTATIO OMNIS AD DEUM eſt, cui omne in mandatis ejus deſiderium » eſt,

ex *inferis* erueret, idque efficeret, ut ne eas deinceps *inferi tenerent*? Deinde. Quamnam Hilarius ejus deſiderii originem dicit fuiſſe? *Cauſſa*, inquit, *defectionis eſt deſiderium Salvatoris. Deſiderii autem hinc origo eſt, quod* in *Verbum Dei ſperat* : & *cui* OMNIS EXPECTATIO ad DEUM EST. Non ergo videbant Verbum Deum. Nam quod videt quis, quid *ſperat*, aut qui *expectat*?

At Hilarius, inquis, de viſione agit Meſſiæ, ejuſque miraculorum, quæ multi Prophetæ deſideraverant videre. Ita ne vero, hæc illi deſideraverant videre, ut in iis conſiſterent, nihilque præterea cuperent? Rurſum: in *inferis* manentes ea Sancti miracula oculis, quibus carebant, cernere qui poterant? Sanctos autem in *inferis deſideraſſe* conſolationem, ſeu *exhortationem* Hilarius teſtatur. Sic eſt, inquis. Sed conſolationem in viſione Meſſiæ conſiſtentem deſiderabant, non in intuitu naturæ Dei. Age Feltri, oſtendito Hilarium de viſione egiſſe ſolum Meſſiæ; non autem una ſimul de naturæ Dei intuitu, quem eſſent Meſſiæ adventu conſequuturi. Verba Hilarii hæc ſunt, inquis: *Sed hi nunc oculi Prophetæ, licet DOMINUM VIDERE deſideraverint, non ſunt tamen corporis oculi*; *loquuntur* enim, & *expectant*. Quid igitur? *Dominum* videre, nihil eſt aliud, auctore te, quam Chriſti humanitatem videre? Ubinam id eſt ab Hilario umquam dictum? Ego vero te moneo, Feltri, in iſta opinione ſi perſtiteris, fore, ut Paulum ajentem *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, nihil aliud concupiviſſe, quam cum Chriſti humanitate verſari; eumdemque bonam

vo-

» eſt, loquitur, & dicit. *Defecit in ſalutare tuum &c.* Non habet alia, quæ deſi» derium ſuum occupent; & ſancti cupiditas non vacat ſeculi rebus. Deficit igi» tur in DESIDERIO SALUTARIS, & deficit ob id, quia in VERBUM DEI » ſperet. Finis enim legis Chriſtus eſt, & hic eſt, de quo ſcripſerunt Moyſes, » & Prophetæ'. Eſt autem SALUTARIS ipſo illo nomine, quod Jeſus nuncu» patur. Jeſus enim, ſecundum Hebraicam linguam, ſalutaris eſt, & idipſum » Angelus ad Joſeph loquens docet, cum dicit; *Et vocabis nomen ejus Jeſum: » ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis*. Cauſſa itaque defectionis » eſt deſiderium SALUTARIS. Deſiderii autem hinc origo eſt, quod IN VER» BUM DEI SPERAT. Salutaris enim noſter Jeſus eſt, qui & deſideratus na» tus eſt ».

voluntatem *habentem peregrinari a corpore*, & *præſentem eſſe ad Dominum*, id bonæ *voluntatis* habuiſſe, ut naturam Chriſti humanam tantum intueretur, non divinam, invitus confiteare. Annon cernis, Feltri, te Hilarii, doctrinam turbantem, atque miſcentem id eniti, in eoque laborare videri, ut non modo veterum monumenta implices, ſed oracula etiam Scripturarum? Verumtamen premi nos putas poſſe hiſce verbis Hilarii: *In hæc igitur Dei eloquia oculis liquentibus* propheta *deficit, non tam VISU CORPOREO DOMINUM* ex *eloquiis Dei nunciatum, quam contemplatione animæ*, & *mentis expectans*. Nam his allatis, ſcribis hoc modo: *Rotundioribus ne verbis potuit Hilarius ſignificare, quo tenderet Prophetarum, & Sanctorum in inferno quieſcentium deſiderium*? Profecto non potuit *rotundioribus verbis ſignificare* Hilarius, non agi ab ſe de deſiderio audiendæ vocis Chriſti, videndorumque miraculorum, quæ a Chriſto ipſo patrata in terris ſunt; nam hæc Sancti oculis *corporeis* vacantes, INQUE INFERIS manentes intueri qui potuiſſent? ſed de deſiderio Sanctorum *contemplatione animi*, & *mentis expectantium Dominum* ex *eloquiis* Dei *nunciatum*. Nunciatus autem Chriſtus erat, quod clauſis aperturus eſſet: quod effecturus deſcenſu ſuo, ut *Sanctos* ipſos *inferi non tenerent*: quod obſcura infernorum, in quibus illi, Hilario teſte, erant, *colluſtrarentur &c.*

Quæ cum ita ſint, non equidem intelligo, quo demum pacto conferre ea plurimum ad ſtatuendum novum dogma veſtrum poſſe, proindeque *firma* eſſe, atque *manifeſta*, putaveris.

At enim Hilarius non dicit, eos *expectaſſe Salvatorem*, ut *participes ab eo fierent divini aſpectus*. *Eſt autem animadvertendum*, Hilarii *eadem de re ſilentium conferre plurimum ad præſidium cauſæ* Cadonicianæ. Iſtane igitur ſunt manifeſta illa, atque firma, quibus te niti gloriabare? *Silentium* ne Hilarii *ea de re* tanti erit, ut firmi, manifeſtique

ſtique teſtimonii, ac præſidii propterea cauſſæ Cadonicianæ loco habendum ſit? Cur potius *ſilentium* Hilarii plurimum conferre putandum non eſt ad præſidium communis cauſſæ? Non enim ignorare poterat Hilarius, Scriptores omnes, qui & ſuperiore ætate, & ſua florebant, pro ea, quam nos tuemur, pugnaſſe ſententia. Quod cum demonſtratum a nobis alio loco fuerit, nunc omittatur. Quare autem ſi ille ſiluit, non eo ſiluiſſe dicendus eſt, quod non eſſe opus judicaret id addere, quod omnibus eſſet exploratum? Age vero tu, qui ſilentio tantum tribuis virium, demonſtrato, Hilarium uſquam dixiſſe, Sanctos Veteris Teſtamenti in inferis, ut fatere, manentes, Reparatoremque expectantes, & deſiderantes, in inferis ipſis vidiſſe Deum? Si autem id non dixit, uti dixit revera numquam; cur nobis exemplum tuum imitari, exque eo ſilentio concludere non licebit, cenſuiſſe eum, Sanctos eoſdem non fuiſſe aſpectu Dei beatos? Atque ſi cui licet ex eo ſilentio quidquam pro cauſſa ſua concludere; nobis certe, non tibi, licet. Tu enim ſtatuis, eos ex Hilarii ſententia vidiſſe Deum. Affirmas igitur. Affirmanti autem *poſitivis*, ut ajunt, argumentis, non *negativis*, atque ex ſilentio cujuſquam petitis agendum eſt. Ponit enim, ſeu addit affirmans aliquid, quod (ne ſuo arbitratur addere videatur) oſtendat neceſſe eſt, poſitum, additumve ab eo fuiſſe, a quo poſitum, additumve fuiſſe cenſet. Nos contra negamus, exiſtimaſſe Hilarium, Sanctos in inferis conſtitutos vidiſſe Deum. Cur negamus? Quia nulla eſt cauſſa, quamobrem id eum exiſtimaſſe arbitremur. Nihil ejus verbis addimus. Non dicit, Sanctos in inferis beatos fuiſſe aſpectu divinitatis: quodque non dicit, non putamus eſſe ipſi attribuendum. Quamquam tacitum omnino illum preteriiſſe, quod ſentiebat, ſtatuere, Feltri, qui poteris, qui cum in inferis (quos in bono numquam nominat) Sanctos illos ponat, quorum inferorum obſcura colluſtrata a Chriſto fuiſſe

fuiſſe confirmat (qua ex re intelligitur, in obſcuris Sanctos eoſdem fuiſſe) tum *Animas* Sanctorum ibidem *deſideraſſe exhortationem*, ſeu conſolationem a Chriſto teſtatur, ſatiſque indicat, animas eaſdem expertes fuiſſe viſionis conſolationem, paradiſum, delicias afferentis, triſtitiamque omnem depellentis Dei.

Sed conſtat, inquis, ex iis, quæ adjungit ibidem Hilarius, *quo tenderet Sanctorum in inferno quieſcentium expectatio*. Audiamus cujuſmodi ea ſint. „ De Davide, „ *inquis*, agens Hilarius, ſic ſtatuit: Scit, teſtante Apo„ ſtolo Petro, deſcendente in inferna domino, etiam „ his, qui in carcere erant, & increduli quondam fue„ runt in diebus Noe, exhortationem prædicatam fuiſſe „. Quid tu inde conſequens eſſe exiſtimas? Quid? *Quam longiſſime aberrare ab Hilarii ſententia, impiis per Dei Filium ad inferna deſcendentem fuiſſe ſubventum ... ut ab exitio ad ſalutem eos Chriſtus revocaverit*. Sit id quidem conſequens: nihil repugno. Quid inde? De Sanctis igitur, inquis, intelligenda ſunt verba Hilarii, *qui humanæ naturæ conditioni debitum mortis pie perſolverant, ſive in juſtitia ſemper perſtiterint, adeoque* Sancti; *ſive ab ea primum deflectentes, ad bonam inde frugem redierint, adeoque quondam increduli*. Intelligantur, ut placet; ſed expecto quorſum evadas. *Atqui* (ſic enim aſſumis tibi) S. Epiſcopus ſe *alibi luculentiſſime declarat*. Quo tandem modo? Ita, ut conſolationem *in videndo Deo ſitam altiſſimo obvolvat ſilentio*. Rurſum ad ſilentium confugis, quod jam vidiſti, quam ſit inimicum tibi. *Aliam vero proponat apertiſſimam ejus vocis ſignificationem*. Quam? *Reſurrectionem*? Sic enim ex *Tract.* in *Pſ.* 141. *n* 7. liquet. Ita ne vero? An quia *reſurrectionem* eo in loco nominat, nihil præterea ea conſolationis, ſeu *exhortationis* voce intellexit Hilarius? Quid tu, qui ad ea, quæ alibi Hilarius perſequutus eſt, confugis; annon ille a Chriſto *obſcura inferni colluſtrata* fuiſſe aliis in locis ſcribit? Annon Sanctos, poſt Chriſtum, *in-*

ſeris minime teneri? Annon animas *præiviſſe* iter Chriſti ad cælum? Quid? His ne tu omnibus *reſurrectionem* indicari putas? Sed *animas* illas Sanctorum, quibus præeuntibus [1] Chriſtus ad cælum ſe contulit, qui tandem ſuis corporibus junctas oſtendes fuiſſe? Hilarius, ſi ſua ipſis reſtituta fuiſſent corpora, Sanctos quidem certe, non *animos* appellaſſet.

Sed heus tu, qui *exhortationis* vocabulo *reſurrectionem* carnis intelligi oportere putas, idque, conquiſitis locis omnibus, in quibus Hilarius τὸ *exhortationem* pro *reſurrectione* ipſa ſumit, efficere conare: an quia ille iiſdem in locis, præter *reſurrectionem* eamdem, non aliud quidquam meminit, idcirco *exhortationis* nomini nullam uſquam aliam, ex Hilarii ſententia, ſubjectam eſſe putas ſignificationem? Hoc ſi ita eſt, quid de *jure* illo ad *reſurrectionem*, quo tum potitas perplures Sanctorum animas exiſtimas fuiſſe, cum Chriſtus ad inferos deſcendit: quid, inquam, de *jure* illo fiet? Quid de animabus *purgatorii*, quas ſtatuitis, deſcenſu ipſo Chriſti, pœna fuiſſe ſolutas, auctaſque aſpectu beante Dei? Quid de conſolatione, ſeu gaudio, quo dicitis, deſcenſu ipſo Chriſti ad inferos perfuſas animas perplures Sanctorum in inferis adhuc manentes ob *jus* tunc primum, uti fingitis, acquiſitum ad reſurrectionem? Harum enim rerum omnium non modo non in locis illis, ſed ne in ullo quidem alio facta eſt ab Hilario mentio. Quæ cum ita ſint, quid erit reliqui, quam in eas te anguſtias redactum eſſe, ut inferorum vocabulo, in quæ Chriſtus deſcendit, ſepulcra eorum intelligi fateare, quos, cum ſpiritum Chriſtus emiſit, ex mortuis excitatos legimus? In eorum enim infernas ſedes deſcendiſſe Chriſtum Hilarius dixiſſe credendus eſt, quibus ea eſt facta *exhortatio*. Exhortatio autem, cum non aliud, quam reſurrectio ſit, iiſdem in locis facta fuerit neceſſe eſt, in quibus peracta eſt reſurrectio. In ſepulcris autem corpora ſuis fuiſſe animabus reſtituta

1 Confer locum Hilarii a nobis deſcriptum *pag 907. hujuſce operis not.* 1.

tuta cenſendum eſt. Non enim eſt credibile deſcendiſſe in infernum inferiorem ſepulcris corpora. Peractam igitur reſurrectionem in ſepulcris, in ea deſcendiſſe Chriſtum, atque in ipſis exhortationem habuiſſe, te judice, ex Hilarii ſententia, ſtatuendum eſt. Quid? Si ne mors quidem Chriſti quidquam ſalutis, aut commodi, ex Hilarii opinione, veſtro quidem judicio, hominum generi attulit, præterquam unam extremo mundi tempore perficiendam reſurrectionem carnis? Quidquid enim gratiæ, juſtitiæ, ſalutis inlatum ſanguine immaculati Agni eſt, id totum in reſurrectione ſola carnis conſiſtet; propterea quod *alicubi* Hilarius de paſſione, ac morte Chriſti agens, carnem dixerit vivificatam, neque præter vivificationem hanc aliud quidquam commemorarit. Scilicet *in* III. *de Trinitate* [1]: „ Dei, „ *inquit*, Filius crucifigitur, ſed in cruce MORTEM „ HOMINIS Deus vincit. Chriſtus Dei filius moritur, „ ſed OMNIS CARO VIVIFICATUR IN CHRISTO „. Sed Hilarium præter *reſurrectionem*, vel præter jus ad *reſurrectionem carnis*, nihil gratiæ, ſalutis, felicitatis fuiſſe hominibus Chriſti morte conlatum putaſſe, proptereaque turpiter erraſſe, quis ſine ſumma offenſione, ac ſtomacho dici patietur?

Quod ſi unius *vivificationis carnis* in eo Hilarii loco *libri* III. *de Trinitate* commemoratio non efficit, ut Chriſti mors ſaluti animis humanis non fuerit; propterea quod alibi Hilarius ſalutis, juſtificationiſque meminerit; cur ex eo, *exhortationem* eodem recidere atque *reſurrectionem*, nihilque præterea ſignificare apud Hilarium concluditis, quod Hilarius alicubi *exhortationem* ipſam *reſurrectionem* interpretetur, etſi S. is Doctor eodem in *Tractatu*, de quo agimus, in *Pſalmum* CXVIII. *Redemptionis*, hoc eſt mortis, deſcenſuſque Chriſti ad inferos tempore, ſalutis, vitæque ſolatia juſtos fuiſſe conſequutos confiteatur? Atque Hilarius explicans ejus Pſalmi verſum:

1 *Num.* XV. *pag.* 48.

ſum : *judica judicium meum, & redime me*[1] : „ Sed ne
„ ille quidem , *inquit* , judicii ſui judicium pertimeſcit ,
„ qui ait : ego autem non judicavi quidquam ſcire me ,
„ niſi Chriſtum Jeſum , & hunc crucifixum . In hac igitur
„ judicii ſui ſecuritate Propheta TEMPUS REDEMTIO-
„ NIS EXPECTAT „ . Cujuſmodi autem hæc eſt redem-
tio ? „ REDIMI SE PROPTER ELOQUIA DOMINI ,
„ ET VIVIFICARI PRECATUR . VENUMDATI ENIM
„ SUB PECCATO , REDEMPTIONE , & juſtificatio-
„ ne IN SANGUINE DOMINI liberabimur . Hoc le-
„ giſlatio , hoc omnis ſpiritus Prophetiæ , hoc PATRI-
„ ARCHARUM SPES , hoc Angelorum voces , hoc toto
„ ſeculi tempore Divini eloquii ſermo teſtatus eſt ; ob
„ QUOD REDIMI , & VIVIFICARI SE DEPRECA-
„ TUR „ . EXPECTABAT igitur Propheta TEMPUS
REDEMTIONIS : Eo vero TEMPORE , ex Hilarii ſen-
tentia , quid ſe ſperabat conſequuturum ? *Redemptionem* ,
& *vivificationem* . Quam *redemtionem* , & *vivificationem* ?
Corporis ne ? Principio REDEMPTIONIS TEMPORE
Davidem e mortuis excitatum fuiſſe , quo tandem modo
tibi ex Hilarii ſententia licebit oſtendere ? Deinde ,
quam tu *juſtificationem* attribues corpori ? Hilarius ve-
ro oſtenſurus , quod tempus redemtionis , quamque
redemtionem Propheta expectaret : *venumdati* , inquit ,
*ſub peccato , redemtione , & juſtificatione in Sanguine Domini
liberabimur* . Hujuſce igitur REDEMPTIONIS TEM-
PUS EXPECTABAT PROPHETA , ob QUOD REDI-
MI , & VIVIFICARI ſe deprecabatur . Hoc Patriar-
charum ſpes fuit . Verumtamen gratiam juſtificationis
cum adepti David , atque Patriarchæ fuiſſent ; quod *expe-
ctare* animorum ſuorum *redemtionis* tempus poterant , quid-
ve aliud , *ob quod redimerentur , & vivificarentur* , ſi viſione
jam in inferis gaudebant Dei ? Equidem , niſi dixeritis
animas tunc etſi originis culpa ſolutas , tamen reatu
non

1 *Litt. xx. num. 4. pag. 510.*

non videndi Dei, ſeu excluſionis e regno occluſo primi parentis peccati cauſſa, quoadusque veniſſet Meſſias, reatu, inquam, illo detentas, dici potuiſſe ab Hilario *venumdatas* ſub *peccato*; ſed redemtionis tempore eo reatu liberatas, & vita illa, quæ conſiſtit in beata viſione Dei, auctas fuiſſe; quid recte dicturi ſitis, ne cogitare quidem poſſum.

Atque huc ſane pertinet, quod idem Hilarius eodem in Tractatu in Pſalmum CXVIII.[1] de Davide diſſerens animadvertit. „ Adhuc, *inquit*, ſibi obeunda MORS „ eſt, adhuc INFERI SUSTINENDI. Tunc ſalvabitur, „ cum ex corporea, terrenaque natura in ſpiritalem „ gloriam transformatus nullum adverſantis inimici pe„ riculum metuat, vivat inter electos Angelos, SIT „ PARADISI INCOLA, & ABSORPTA CORRU„ PTIONE ex mortali immortalis exiſtat „. Vides ne, ut gradatim proceſſerit? Priore loco Davidi obeundam mortem dixit, poſt SUSTINENDOS INFEROS, deinde eum carne, terrenaque natura jamdiu ſolutum *in ſpiritalem gloriam transformandum*, ita ut nullum ſit ei adverſantis inimici periculum pertimeſcendum, victurum inter Angelos, ac paradiſi incolam futurum, poſtremo abſorpta corruptione ex mortali, quale fuerat ejus corpus, fore etiam corpore immortalem. Suſtinendi ergo Davidi poſt MORTEM fuerunt inferi, teſte Hilario. Quid eſt *ſuſtinere inferos*, niſi in inferis triſtitia aliqua, mœroreve affici? Niſi enim ita eſſet, τὸ *ſuſtinere* (quod eſt *pati*, *ferre*, *tolerare* inferos, quos in bono Hilarius numquam nominat) non adhibuiſſet. Mœror autem, triſtitiaque in eo eſſe qui poterit, qui intueatur beatus Deum? Quamdiu autem ferendi, ex Hilarii ſententia, Davidi inferi fuerunt? Scilicet ad redemtionis uſque tempus, quo, Hilario teſte, vivificari animo[2] ſe precabatur, & quo ſpes

1 *Litt.* XV. *n.* 8. *pag.* 288.

2 Nam Davidem redemtionis tempore, quo fuſus ſanguis Chriſti eſt, reſurrexiſſe, nuſquam ſcripſit Hilarius. Neque ſcribere mea quidem ſententia poterat. Nam ut Auguſtinus Epiſtola illa CLXIV. al XCIX. ad Evodium, qua adverſarii abutuntur, *cap.* III. *num.* 9. *pag.* 438. *tom.* II. *opp. edit. an.* 1700. animadvertit: „ Illud

ſpes Patriarcharum ſpectabat. Ecquid vero iſtuc fuit *vivificari*? Idem ſcilicet atque *ſalvari*? Atqui *ſalvari* ecquid demum fuit, niſi in *ſpiritalem gloriam transformari, vivere inter Angelos, fierique paradiſi incolam*; ut factus latro [1] fuit, qui *conſummatæ beatitudinis deliciis potitus eſt*? Quod ſi *τὸ ſalvari* de *reſurrectione carnis* intelligendum ſit, Hilarium certe argues, quaſi *ſalvatum* non fuiſſe Davidem dixerit, etſi beatus eſſet aſpectu divinitatis: immo ne *ſalvatum quidem* juſtorum quemquam putaverit, cui non ſit reſtitutum corpus, cuique ad judicii tempus differenda ſit *reſurrectio*. Neque vero *τὸ* ex *corporea, terrenaque natura in ſpiritalem gloriam transformatus* de reſtitutione corporis accipiendum eſt. Alioquin idem bis dixiſſet eodem in loco *ταυτολογίᾳ* ſeu *repetitione ejuſdem rei* plane inani Hilarius, qui poſteaquam ejus *transformationis, paradiſique incolatus* meminit, reſurrectionem his verbis commemorat: *& abſorpta corruptione ex mortali immortalis exiſtat*. Nam ea *repetitio*, ſi adhibita ab Hilario eſſet, huc demum recideret: *tunc ſalvabitur David, cum reſurrexerit*, & *cum reſurrexerit*, quo quid dici poteſt ineptius? Eſt autem etiam, atque etiam animadvertendum, Hilarium non modo *transformationis e corporea, terrenaque natura in gloriam ſpiritalem*; ſed ne *commutationis* quidem *corporis* vocabulis intelligere reſurrectionem. Si enim *reſurrectionem* his verbis indicaret, ubi ſtatuit, *commutato corpore* conſequuturos nos eſſe in cælis habitaculum non manufactum [2]; Apoſtoli certe locum, ad quem adludit, vitiaret, neceſſe eſſet, qui non de *reſurrectione* [3] agit,

» Illud reſtat, quod moveat, quomodo a Petro dici potuerit, quod utique » veriſſime dictum eſt, quando per illam prophetiam „ (*non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*) » non de David, ſed de Chriſto aſſeruit eſſe prædictum, » carnem ejus non vidiſſe corruptionem: & quod adjunxit de David, apud » eos eſſe monumentum ejus; unde illos utique non convincebat, ſi corpus ejus » jam ibi non erat „.

1 Hilarius *lib.* x. *de Trinit. num.* xxxiv. *pag.* 271. *edit. Veneta an.* 1750. *to.*II.

2 Hilarius *in Pſ.*xxxi. *n.*7. *p.*73. *to.*ix. *Vet. Scriptor. Marten. ed.Pariſ. an.*1733.

3 II. *ad Cor. cap.* v. *v.* 1. „ Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtræ hujus » habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non » manufactam æternam in cælis &c. „

agit, ſed de exitu animi juſti e corpore, receptioneque in cælum.

Hinc ſentis, Feltri, quam levia ſint, quæ perſequere *§. 65.*[1] *ſeqq. Diſſertationis* tuæ. Neque illud me movet, quo te *moveri*, affirmas, *plurimum*, nempe: *quod Hilarius non David tantum, aut juſtis ſolum Veteris Teſtamenti SUSTINENDOS eſſe inferos pronunciat, ſed omnibus indiſcriminatim novi etiam Teſtamenti*. Nam eſt illud omnino falſum, *ſuſtinendos* eſſe inferos Sanctis Novi Teſtamenti dixiſſe uſquam Hilarium. Ac miror te, ejus rei oſtendendæ cauſſa, abuti Sancti Doctoris verbis, quæ ſunt de Chriſti deſcenſu ad inferos, quaſi Calvino Hilarius præiverit, *ſtatueritque inferos* Chriſtum *ſuſtinuiſſe*. Ad *infernas* enim ſedes *penetraſſe*[2] Chriſtum, Hilarius ſcripſit; *inferos* autem ſuſtinuiſſe, nuſquam ſcripſit. Oſtendendum autem Hilarii ſententia erat, non vero tuo arbitratu ſumendum tibi, eam legem humanæ etiam neceſſitatis eſſe, poſteaquam Chriſtus ad inferos deſcendit, ut animæ juſtorum inferos ſuſtineant[3]. Nam quod hanc legis neceſſitatem *eſſe* dicat Hilarius; *fuiſſe*, non dicat; parvi refert. Pſalmos enim interpretans interdum ea, quæ præterierant, perinde effert, ac ſi adſint præſentia[4]. Nos quidem, *deſcendente ad inferos Chriſto, jam Sanctos ejus ab inferis non teneri*, in cælis agere, & paradiſi, ſeu *conſummatæ beatitudinis deliciis frui*, Hilario teſte, cognovimus. Verumtamen fac Hilarius exiſtimarit, nunc item Sanctorum animas,

1 *Pag. 58. ſeqq.*

2 In *Pſalm.* LIII. *n.* 14. *pag* 90. „ Morte enim non interceptus eſt Unigenitus „ Dei Filius. Ad explendam quidem hominis naturam, etiam morti ſe, ideſt „ diſceſſioni ſe tamquam animæ corporiſque ſubjecit, & ad infernas ſedes, id „ quod hominis videtur eſſe, PENETRAVIT „. Audin'? *Penetravit*, inquit, non *ſuſtinuit inferos*, neque inferis ſemet *ſubjecit*. Et in *Pſ.* CXXXVIII. *num* 22. *pag.* 441. „ Humanæ iſta lex neceſſitatis eſt, ut conſepultis corporibus ad inferos ANIMÆ DESCENDANT „ (*non dicit inferos ſuſtineant*) „ Quam deſcenſionem Dominus ad conſummationem veri hominis non recuſavit „.

3 Confer Monachorum Congregationis S. Mauri Præfationem *ad Hilarii Opera* §. VI. *n.* 218. *pag.* LXXIII. *edit. ejuſd. Veneta tom.* I.

4 Confer loca, quæ deſcripſi *p.* 905. *hujus operis not.* 1. *& p.* 907. *not* 1. quo loco: præeunt, *inquit*, *cæleſtium gaudia ingreſſum* Chriſti in cælum; cum tamen illud præiviſſent: *& p.* 909. *ſeq. in not.*

animas, inferos viſum, luſtratumque abire; num has, dixit, iiſdem in inferis permanere, neque inde ſtatim emergere, atque in cælum ad ſedes beatorum ferri? Hoc autem ſi dixiſſet, ei certe ſecum fuiſſet luctatio [1], quod noſti, quam ſit indignum ſapientis, qualis ille profecto fuit, conſtantia.

Scio,

1 Vide *Præfationem Monachor. Congreg. S. Mauri loco modo* indicato. Felcrius §. 68. *p.* 60. locum affert ex III. *libro de Theologicis Diſciplinis cap.* IX. J. Laurentii Bertii ajentis: *Patres, qui Sanctorum animas ad inferos dicunt deſcendere, non ſponte negare, apud Deum, qui ubique eſt, vivere, & æterna gaudia deguſtare: quapropter de ſtatu diſſentire non videntur, tametſi minime conveniant de loco.* Ego vero præter Novatianum, & Tertullianum, cujus tamen non eſt perſpicua ſententia, alioſque nonnullos, qui millenatiis ſunt aſſenſi, qui ita ſenſerit, fateor me inveniſſe nullum. Novatianum autem, ceteroſque illos, qui ejuſmodi inane dogma conſectati ſunt, in inferis juſtos intueri Deum, putaſſe, numquam concedam. Quod ſi contra quiſquam pugnarit, is mihi, non quidem, ut fingat arbitratu ſuo, ſed ut oſtendat eorum auctoritate, aut ſaltem ſententia volo, quæ concludi ex eorumdem decretis non inepte poſſit. Scio te, Felcri, Muratorium adjungere Bertio. Sed Muratorius, a quo Bertium ipſum diſſidere non video, Muratorius, inquam, in eo, quod indicas, XII. *capite Diſputationis de Paradiſo*, *pauciſſimos* fuiſſe veterum, qui ei errori adhæſerint, animadvertit. Novatianum, credo, indicat, Tertullianum, addere etiam fortaſſe nonnullos poterat alios generis ejuſdem, homines certe cupidos novarum rerum, eoque nomine dignos, qui Eccleſiæ ſententia communione ſacrorum prohiberentur. Jam ubi duos illos Scriptores commemoraſti, fidenter ſumis: *Plures veteres Patres velle, Novis Teſtamenti juſtos ad inferna migrare, antequam abſolutiſſimum gloriæ, ac beatitudinis cumulum per corporis reſurrectionem obtineant.* Sed qua id ſumis fide? Ubinam PLURES Patres Bertius memorat? Muratorius autem nonne PAUCISSIMOS dicit fuiſſe, qui ita ſtatuerent? Unde nunc tibi ortus tam magnus eſt numerus, ut PLURES ſcribas, quum ii, quos dicti tui appellas teſtes, nihil tale habeant, immo *pauciſſimos* affirment fuiſſe? Itane affectus animo es, ut dum modo Hilarium contra Eccleſiarum omnium doctrinam pugnaſſe efficias, non illum modo, ſed PLURES etiam Patres in eum errorem incidiſſe per ſummam injuriam contendas, qui deinceps ab Synodis Œcumenicis Lugdunenſi, & Florentina reprobatus eſt; perſuadereque tuis lectoribus conere PLURES PATRES adverſari *definitioni* Benedicti XII. P. M. Synodorumque Œcumenicarum Lugdunenſis, Florentinæ, Tridentinæ de animabus Sanctorum poſt Chriſti mortem, ſi nihil ipſis luendum temporariæ pœnæ ſuperſit, *in Cælum aſcendentibus*, ibique Deum facie ad faciem intuentibus? Grave quidem id eſt. Verum de fide, qua *pauciſſimos* convertiſti in *plures*, tu videris. Interea hoc tenebo, eum, qui ſic agat, cauſſæ ſuæ diffidere. Nam ſi quid ei eſſet ſolidi, quo eam tueri poſſet, in promtu, non iſtis, ut leviſſime dicam, figmentis egeret. Quamquam quid ſolidi ſuſpicari quiſquam ea in cauſſa poterit, quæ contraria ſit doctrinæ omnium, ut oſtendi, Chriſti Eccleſiarum? Neque hoc tu uno commento contentus es. Addis alterum. Scilicet, Theologorum *unanimem* conſenſum ferre, Patres illos, qui in inferis animas Juſtorum Novi Teſtamenti agere putarint, judicaſſe, felicitate eas eſſe potitas prægrandi, atque, ut cenſes, conſiſtente in viſione beata Dei. Sed is *unanimis conſenſus* commenticius eſt. Laudandi quidem ſunt Muratorius, Bertiuſque, quod dicta eorum, quos ab errore uno defendi ab ſe nequire arbitrarentur, ab altero vindicare conati ſint. Verum perplures eſſe Theologos, qui Tertullianum, Novatianum, nonnulloſque alios viſionem Dei differendam Sanctis eſſe ad judicii diem exiſtimaſſe, credant, teſtata res eſt. Horum, tu ſi volueris, ſeriem dabimus ſane longam.

Jam

Scio , minus hanc tibi probari animadverſionem meam [1] . Verum cave , ne non auctoritate Hilarii , ſed arbitratu tuo eam rejicere videare . Atqui tu eam reprobas Hilarii teſtimonio fretus omnino nullo . Hoc dicis unum : *Plures* fuiſſe Patres, qui ſtatuerent in inferis animas

Jam vero duos ſolum Scriptores nominare , iiſque nominatis , *unanimitatem* jactare , quid eſt , niſi lectoribus fucum facere velle , remque ita involvere , quaſi communis ſit , unanimiſque omnium ea , quæ duorum ſit , vel quindecim etiam , ſi placet , Scriptorum conſenſio ; conſenſioneque hac commenticia poſita , ſumenda ratio ſit , refellendæ Hilarii nomine doctrinæ omnium , ut oſtendi , Chriſti Eccleſiarum ? Sed fac duo illi , treſve , aut pauciſſimi , Patres , quos vocas , ita ut ſcribis (contra omnium orthodoxorum ſententiam , qui cum cuſtodia , cum carcere , uno verbo , cum inferis beatitatem conſiſtentem in Dei viſione componi negant poſſe) fac , inquam , duo illi , treſve ſic ſenſerint ; quid ? An Hilarium eodem in errore fuiſſe verſatum arbitrare ? Affer to , ſi potis es , locum ejus Doctoris aliquem , ex quo intelligi queat , nomen *inferorum* uſurpatum ab eo aliquando fuiſſe , ut Auguſtinus ait , *in bono* . Tu ſcilicet perplura collegiſti Hilarii teſtimonia de inopis Lazari felicitate . Dic , eſt ne illorum unum aliquod , ex quo elici , vi etiam adhibita , poſſit , Lazarum fuiſſe in inferis ? Nullum eſt omnino . Contra , ubi de Davidis , deque ceterorum Veteris Teſtamenti juſtorum animabus , agit Hilarius , nonne eas in inferis ait fuiſſe conſtitutas , antequam Chriſtus in inferna deſcenderet ? Quæ hæc eſſe poterat tam diſcrepans dicendi ratio , ſi inferi appellati in *bono* ab Hilario ſunt , & ſi Lazarus ante Chriſtum , ex Hilarii ejuſdem opinione , deceſſit , ac manſit , atque etiamnum manet in inferis ? Diſcrepans autem hæc dicendi ratio , annon plane evincit , Lazarum , atque adeo Sanctos ceteros poſt Chriſtum in inferis non manere ? Nam de Lazaro , ut diximus , narratio parabola Hilario , non hiſtoria eſt , quæ quidem parabola , quid ſit judicandum de ſtatu juſtarum animarum corporibus ſolutarum , poſt Chriſtum , indicat . Si autem ea ratio dicendi , qua uſus Hilarius eſt , id plane oſtendit , quod volumus , quo tu modo defendere perges , Hilarium in inferis animas piorum adhuc manere putaſſe ? Præterea , paradiſo ne Latronem , ex Hilarii ſententia , potitum eſſe , negas ? Non audes , opinor . Etenim Hilarius , in *Pſalmum* CXLI. *n.* V. *p.* 465. *ſeq.* » Pars ejus , *inquit* , in terra viventium eſt , cum LATRONI DIE EODEM » PARADISUM PROMITTIT , ID EST SORTEM , & REGNUM HÆREDI- » TATIS SUÆ , UT LICET AD INFEROS ADIRET , TAMEN PER SPIRI- » TALEM POTESTATEM DOCERET SE A PARADISO NON ABESSE „ . Elige nunc utrum velis , PARADISI nomine ſtatus ne felicitatis juſtorum , an locus ſit intelligendus ? Status ne dices ? Non ergo , qui in inferis erant juſti , ad quos Chriſtus adiit , in *paradiſo* , *id eſt in ſorte* , *& regno hæreditatis Chriſti* erant . Nam *paradiſum* Hilarius ab *inferis*, ut cernis, diſtinguit . An locus ? Igitur Sanctorum animæ , Hilarii ſententia , poſt Chriſti ad inferos deſcenſum , in inferis non manent . Non enim ſolum Latronem paradiſo , ſorte Chriſti , ac regno potitum dices , ceteros autem non item ; eoque minus poteris dicere , quod ab Hilario in *Pſ.*II. *n.*26. *p.*36. ſcriptum fuerit : „ JERUSALEM , QUÆ IN CÆLIS EST , quæ » mater noſtra eſt ... cujus, ut exiſtimo HODIEQUE INCOLÆ SUNT IN PAS- » SIONE DOMIMI RESURGENTES » . Neque vero hos ſolum , atque Latronem in cælum tranſlatos ſtatues , cum Hilarius idem : *in Pſ.* LXVII. *n.* 27. *p.*183. ANIMOS SANCTORUM ITER Chriſti ad cælum PRÆIVISSE teſtetur : Quid ? Ad fores ne uſque cælorum eos animos iter Chriſti præiviſſe , ſed ut eo pervenerunt , conſtitiſſe , neque permiſſos ingredi , ſed in inferos rurſum detruſos fuiſſe , contendes ? Hæc tam inania , tam aliena a communi ſenſu , tam abſurda Hilario attribui , quis non indigniſſime patiatur ?

1 Feltrius §. 71. *p.* 63.

juſtorum, etiamnum agere, beataſque intueri Deum; itaque nihil eſſe, concludis, cauſſæ, quamobrem Hilarium etiam, qui ait, legem hanc eſſe humanæ naturæ neceſſitatis, ut animæ ad inferna deſcendant, eadem in opinione verſatum fuiſſe arbitremur. Sed quod de *pluribus Patribus* ſcribis, inane eſt. Nam Theologi, quorum præſidio nitere, *pauciſſimos* teſtantur fuiſſe, non *plures*. Niſi forte *τò plures* tibi, & *τò pauciſſimi* ſynonyma ſint: maliſque latinam linguam pervertere, quam cauſſa cadere videri. Quid? Si illud de *beatitate in inferis* (quod *pauciſſimis*, ut Tertulliano, Novatianoque nonnulli tribuunt) *pauciſſimis* iiſdem fuiſſe probatum, ne veri quidem ſit ſimile? Quod ſi eſſet, non tamen inde tibi efficere liceret, probatum illud quoque fuiſſe Hilario. Id vero cum a nobis & alias ſæpe, & *Adnotatione* ſuperiore oſtenſum fuerit, nova certe oratione non eget [1].

At negas [2], *paradiſi incolatum*, quo Davidem, poſteaquam inferos ſuſtinuiſſet, potiturum fuiſſe Hilarius ſcribit, intelligi poſſe de cæleſti gloria, felicitateque conſiſtente in beata viſione Dei; unaque pugnas, *incolatum* ejuſmodi de juſtorum *ſtatu poſt reſurrectionem corporum futuro* intelligi oportere. Sed quam licenter! Hilarius ecce *in Pſ.* CXLI. [3] eodem, quo Chriſtus affixus eſt cruci, die: *die*, inquam, *eodem incolatum paradiſi Latroni fuiſſe* promiſſum animadvertit. Quo vero ſpectat *τò die eodem*, niſi ut indicet, pro-

1 Quî enim venire in mentem cuiquam poteſt, ex Hilarii ſententia, in inferis animas Sanctorum, poſt mortem Chriſti, manere, cum Hilarius idem *lib.* IX. *de Trinitate n.* 50. *pag.* 233. *tom.* II. „ Audi, inquit, nunc an Filii a Patre diſ- » ſentiens ſit voluntas, cum ait: *Pater, quos mihi dediſti, volo ut ubi ego ſum,* » *& illi ſint mecum*. Non ergo ambigitur, Filium velle. Nam cum Pater velit » credentes in Filio vitam æternam habere, Filius vult, illic ubi ipſe ſit, eſſe cre- » dentes. Niſi forte COHABITARE Chriſto non ſit æternitas; aut non perfe- » cta, & beata in ſe credentibus tribuat Chriſtus „. Monachi Congregationis S. Mauri *in Præfat. ad Hilarii opera n.* 199. his deſcriptis Hilarii verbis, argumentantur hoc modo: „ Si Chriſto COHABITARE vita æterna eſt, æterna vita » potiuntur, qui cum Chriſto ſunt. Atqui, ex ſententia Hilarii, cum Chriſto » ſunt, qui in regno ejus ſunt. Illi ergo potiuntur vita æterna ». Rurſum: » Qui Chriſto COHABITANT, illic ſunt, ubi Chriſtus eſt. Atqui Chriſtus eſt » in cælis. In cælis itaque ſunt, qui Chriſto cohabitant. Porro qui in regno » Chriſti ſunt, Chriſto COHABITANT. Illi igitur pariter ſunt in cælis ».

2 *Feltrius ibid.* §. 72.

3 *Num.* V. *pag.* 466.

promiſſum Latroni a Chriſto fuiſſe, fore, ut eo die uterque una ſimul eſſent in paradiſo? Quid? Hilarium ne verſatum in ea opinione fuiſſe ſtatues, ut exiſtimaret, eo die Latronem e mortuis excitatum fuiſſe,iſtoque pacto incolatum paradiſi obtinuiſſe? Id autem, quo umquam poteris teſtimonio ejus Doctoris oſtendere? Quod ſi nullo, qua tandem licentia defendis, *incolatum paradiſi*, ex Hilarii opinione, non alium eſſe, quam ſtatum juſtorum poſt reſtitutionem corporum futurum; eoque progredere, ut *præcipuum* paſſionis Chriſti *effectum*, non in ſalute animorum, inque beatitate conſiſtente in viſione intuitiva Dei, quæ *eſſentialis*, ut dicimus, eſt beatitas; ſed *in reſurrectione, immortalitateque* corporum demonſtrare ſtudeas, fuiſſe ab Hilario conſtitutum [1]?

At Hilarius, inquis, *in Pſalmum* I. [2] diſſerens *de ligno plantato ſecus decurſus aquarum*, ſic ſtatuit: „ *Plantatum* hoc eſt *lignum juxta decurſus aquarum* in poſ„ ſeſſione ſcilicet regni Dei; id eſt in paradiſo „. Regnum autem Dei, Hilarii quidem ſententia, ſtatus eſt ſanctorum poſt *reſurrectionem* corporum futurus.

Novi Hilarium a *regno Dei* diſtinguere *Chriſti regnum* [3], & hoc quidem eſſe dicere, quo ante reſtiturionem corporum humanorum; illud vero, quo poſt reſtitutionem eamdem corporum gaudebunt Sancti. Sed quid hinc tibi licebit præſidii petere? An quia regnum Dei *paradiſum* appellat Hilarius; idcirco regnum Chriſti paradiſi non appellavit, aut appellare nequivit nomine? Hoccine tu dices, repugnante Hilario, qui Latronem

aaaaaa2 in-

1 Confer Feltrium §. 56. *p.* 49. quo loco, „ ut paſſim dixi, *inquit*, totus eſt „ Sanctus Epiſcopus in commendando immortalitatis munere nobis per Chriſti „ paſſionem collato, atque in eo PRÆCIPUUM nobis exhibet paſſionis Chriſti „ effectum „. Agit autem Feltrius de *immortalitate* futura poſt corporum reſtitutionem, non de animorum juſtorum felicitate, ac gloria, qua nunc beati potiuntur intuentes naturam Dei.

2 *Num. 9. pag. 19. tom. 1. opp.*

3 Vide Præfationem Monachorum Congregationis S. Mauri *ad Hilarii opera* §. VI. *n.* 169. *ſeq. pag.* LVI. *ſeqq.*

introductum in Chriſti regnum teſtatur jam eſſe in *paradiſo*, *fruique deliciis conſummatæ beatitudinis* [1]?

Verum hoc ipſum, quod Hilarius de *conſummatæ beatitudinis deliciis* ſcribit, ad ſtatum poſt corporum reſtitutionem a Sanctis obtinendum referri oportere pugnas [2]; nec animadvertis, de iis rebus agere Hilarium, quas pollicitus eſt Latroni Chriſtus, ea die eventuras, qua fuit affixus cruci. *Paradiſum*, inquit Hilarius, *martyri ſuo* Chriſtus *promittens*, & *conſummatæ beatitudininis delicias pollicens* [3]. Ecquis non videt, de præmio hic differi ab Hilario, quod Chriſtus e cruce pendens pollicitus Latroni fuit? Quid autem pollicitus Latroni eſt? *Hodie mecum eris in paradiſo*. Igitur *conſummatæ beatitudinis deliciis*, quas Hilarius promiſſas a Chriſto Latroni, dicit, ea ipſa die circumfluere Latro cœpit. Atque oratio ipſa Hilarii oſten-

1 Feltrius §. 56. *p.* 49. „ Habes, *inquit*, ita ut Maurinus Monachus in Præfa- » tione Generali ad S. Hilarii opera §. VI. *n.* 199. ſuſpicatus eſt, Hilarium forte » ſenſiſſe, alium locum Latroni, alium ceteris juſtis conceſſum ob præclara illa, » quæ de promiſſione Latroni a Chriſto facta teſtimonio mox adducto ex *Pſal-* » *mo* 1. *n.* 9. pronunciat. At quidquid de his ſit, quæ obſcurus Hilarii ſermo, » extra omne dubium ponere non ſinit, illud unum exploratum habeo, ex lo- » cutione illa, *homo refertur ad cælum*, inferri nullo modo poſſe, Sanctum Hi- » larium removiſſe antiquos juſtos a Dei feliciſſimo conſpectu ». Sed id ſibi Feltrius exploratum dicit eſſe, non eſſe conſequens; quod aliis eſſe conſequens, exploratum eſt. Nam ex inferis referri ad cælum, quid eſt, niſi ex loco cuſtodiæ, ſeu carceris referri ad cælum. Carcer autem componi cum viſione Dei non poteſt. Eſt igitur conſequens ex relatis ad cælum juſtis, qui erant in inferis, eos juſtos antea non fuiſſe gaviſos viſione Dei. Ad Monachos Congregationis Sancti Mauri, quod attinet: *Regnum* illi *Chriſti* appellari ab Hilario: *terram viventium*, *paradiſi incolatum*, *& regnum hæreditatis Chriſti* cenſent. Addunt quidem: *niſi forte alium ſenſerit Hilarius locum Latroni*, *alium ceteris juſtis conceſſum*. Verum cum nullum ſit Hilarii teſtimonium, ex quo diſcrepantia loca illa ſuſpicari quis poſſit, inanem eam eſſe diſtinctionem locorum, quæ fingi a quoquam cupido rerum novarum queat, cognorunt. Itaque Præfationis ejuſdem *n.* 118. nihil hæſitantes, eodem in loco beatitudinis Latronem, ceteroſque juſtos conſtitutos ab Hilario fuiſſe docent: » Certe, *inquiunt*, ſi, ut ait Ambroſius *ep.* XXIX. » *ad Irenæum n.* 8. *ipſe eſt Dominus Jeſus Chriſtus ſummum bonum*, ægre admo- » dum percipi poteſt, quomodo ii, quibus *conſortium Chriſti mors acquiſivit*, » non fruantur ſummo bono, aut ſumme felices non ſint, maxime ex ſententia » Hilarii ſuperiore §. explicata, qua Chriſtum etiam ſecundum hominem totum » Deum profitetur; Et vero lib. X. de Trinitate *n.* 14. LATRONEM CHRISTI » REGNI, QUOD CONFESSUS FUERAT, SIC CONSORTEM FACIT, UT » IN EO NON QUALEMCUMQUE FELICITATEM, SED CONSUMMATÆ » BEATITUDINIS DELICIAS SIT ADEPTUS ».

2 Feltrius *ibid.* §. 56. *p.* 49.

3 *Lib.* X. *de Trinit. n.* 34. *p.* 271. *tom.* II.

oſtendit, nihil eum ſibi aliud voluiſſe, quam *conſummatæ beatitudinis deliciarum* vocibus explicare, quid *paradiſi* indicetur nomine [1].

Sed ille *incolatus paradiſi*, quem Hilarius concedendum Davidi, ſcribit, poſteaquam is Propheta *inferos ſuſtinuiſſet*, rurſum tibi negotium exhibet. Itaque experiundum tibi eſſe putas, num e laqueis, quos tibimet injeciſti, poſſis evadere. *Inferni* ergo nomine *ſepulcrum ab Hilario hic loci deſignari*, ais, te *poſſe contendere*. Scilicet anſam hæreticis mavis dare dicendi, Hilarium etiam *inferorum* vocabulo, dum ad inferos Chriſtum deſcendiſſe autumat, *ſepulcrum deſignaſſe*; id, inquam, mavis, quam pati, ut doctrinæ omnium Eccleſiarum conſenſiſſe Hilarius videatur. Sed non animadvertis, ſi *inferni* vocabulo ſepulcrum intellexiſſe Hilarium pergas defendere, in eas te anguſtias redactum iri, ut ex Hilarii ſententia, in ſepulcro Davidis animam (ex eo tempore, quo ſuo eſt corpore ſoluta) & manſiſſe, & eſſe ad reſurrectionem uſque manſuram; eamque interim ſalvam minime fuiſſe, ſalvamque ſolum poſt reſurrectionem carnis fore, confiteare? Age recita, quæ ſcripſiſti [2]: „ Quid, ſi inferorum nomine ſepulcrum ab Hi-
„ lario hic loci deſignatum contenderem, ita ut ſenſus
„ ſit, antequam DAVID SALVETUR, obeundam illi
„ fuiſſe mortem, adhuc ſuſtinendum ſepulcrum, & car-
„ nis interitum, ſeu diſſolutionem perferendam. Poſt
„ hæc autem ſalvabitur „ (at Hilarius ſcribit: TUNC SALVABITUR: non: POST HÆC SALVABITUR)
„ cum ex corporea terrenaque natura in ſpiritalem glo-
„ riam

1 Addit enim: „ Non ſibi terrore mortis gehennæ chaos vindicat, qua PARA-
„ DISI DELICIÆ carere non poſſunt. Futurus enim in inferis Dominus, & in
„ PARADISO eſt futurus.... Dominus communionem PARADISI (*Latroni*)
„ MOX POLLICETUR, tu Chriſtum in inferis ſub pœnali terrore concludis.
„ Diverſæ ſpei fides iſta eſt. Paradiſum meruit ſub cruce latro pendentem
„ Chriſtum confeſſus in regno &c. „. En de quibus DELICIIS agat Hilarius, quaſque *delicias conſummatæ beatitudinis* vocet. En ut latroni, eas MOX *pollicitum* fuiſſe Chriſtum, teſtetur.

2 Feltrius *pag. 64. in not.*

„ riam transformatus nullum adverſantis periculum me„ tuat &c. „ Hanc tu *transformationem* eſſe ſtatuis *reſtitutionem* corporis glorioſi. Quid vero iſtinc eſt conſequens, quam ſalvum minime futurum Davidem, niſi *tunc*, cum excitatus e mortuis fuerit; interea vero in ſepulcro eſſe manſurum? Verum id conſequutionis genus declinare te poſſe exiſtimaſti, ſi *τὸ tunc*, quod adhibet Hilarius, mirifica *transformatione* in *poſt hæc autem* convertiſſes? Et audes tamen addere, quaſi non *inferorum* nomine ubique Hilarius locum [1] animarum indicet: *obvia ſane, plana, ac expedita maxime hæc eſſet interpretatio, cui nihil prorſus inveniri poteſt, quod repugnet. Non orationis contextus: quinimmo hic in ea, quæ ſequuntur, verba, ut mox vidimus, commodiſſime quadrat*. Nimirum Hilarium tam inimicum catholico dogmati putas fuiſſe, ut Davidem e vita ad mortem, e morte ad ſepulcrum adductum, e ſepulcro vero non ante ad ſalutem adducendum arbitraretur, quam is Propheta excitatus e mortuis fuerit. Quod ſi non putas, quid eſt, quod nihil eſſe in ejus oratione affirmes, quod repugnet iſti tam inani interpretationi tuæ?

Sed Hilarius, inquis, docet, Davidis animam ſtatim atque liberata cuſtodia corporis eſt, *beatum regnum* fuiſſe adeptam [2], *regnum cæleſte*, & *æterni temporis gloriam*, & in-

1 Hilarius in *Pſalm.* CXVIII. *litt.* XI. *n.* 2. *p.* 264. „ Scit *Propheta* EXHOR„ TATIONEM iſtam SANCTOS quieſcentes IN INFERNO deſiderare „. Mitto cetera Hilarii loca, quæ ſane permulta ſunt.

2 Hilarii ſententiæ, quibus abutitur Feltrius, hæ ſunt omnino. Ex *Tract. in Pſalm.* CXIX. *In illud heu me! quod incolatus meus prolongatus eſt: n.* 10. *ſeq.* „ Con„ venit, Prophetam expectantem poſt ſagittas Domini, & illos carbones deſo„ lationis BEATI ILLIUS REGNI, ET ÆTERNI TEMPORIS GLORIAM, „ id, quod expectat deſiderare. Et deſiderat plane. Neque ſolum deſiderat; ſed „ moras odit, & ipſam illam non potiendi jam deſiderii tanti dilationem, di„ cens: *Heu me! quod incolatus meus prolongatus, eſt*: Quarelam iſtiuſmodi a „ plurimis Sanctis frequenter audivimus de tarditate ſpei, ſuæ moroſam corporum „ diſſolutionem deflentium. Dominus in Evangeliis ſuis accelerationem REGNI „ CÆLESTIS docuit orandam. Impatientem enim caritatem eſſe eorum, quæ „ amet, convenit: atque adeo dici oportet, quod ut dicamus a Domino præci„ pimur: *adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua*. Paulus beatus inhabitationem „ corporis ſui congemiſcit, per incolatum carnis peregrinari ſe a Deo conque„ rens. Quo contra peregrinandum in carne ſcit ſibi eſſe, ut ei cum Deo ſit in-

„ colatus

& *incolatum cæleſtium*, & *inviſibilia* atque *æterna*, & *æternam Sabbatorum requiem*, & *aſpectum eorum*, *quæ magna*, & *mirabilia in terris præfigurantur*. Ingentes vero tibi ageret, Feltri, Hilarius, ſi nobiſcum viveret, gratias.

Nam

,, colatus: ſed tamen *melius ei eſſe diſſolvi*, *& eſſe cum Chriſto*: & Eccleſiaſtes ait:
,, *& laudavi omnes*, *qui mortui ſunt*, *ſuper omnes*, *qui vivunt uſque nunc*: libe-
,, rata ſcilicet per diſſolutionem corporis anima, onere, atque conſortio eam eſ-
,, ſe infirmis hujus atque periculoſæ carnis exuram. In hoc igitur ſibi prolixo in
,, corpore incolatu congemiſcit Propheta, feſtinans peregrinari a terrenis, &
,, INCOLERE CÆLESTIA, ut derelictis corruptibilibus, atque præſentibus,
,, conſequatur INVISIBILIA, ET ÆTERNA ,,. *Ex Tractat. in Pſ.* CXLII. *n.* 8.
,, Moras corporis ſui Propheta non patitur, & ſecundum illud Apoſtoli *diſſolvi*
,, *me melius eſt*, *& eſſe cum Chriſto*, & illud, *miſer ego homo*, *quis me liberabit*
,, *de corpore mortis hujus*, & illud, *quia in hoc veteri tabernaculo congemiſci-*
,, *mus deſiderantes ſuperindui*: tædium ipſe in hoc mortis corpore patitur, ſed
,, velocitatem auxilii, quod ob defectionem, ſpiritus deprecatur, eum gratia
,, Divini in ſe muneris optat expleri. Quid ſibi proderit exauditum eſſe veloci-
,, ter, niſi fidelis, & Deo placens, & BEATIS LOCIS quieturus excedat e cor-
,, pore ,,? Et in *Pſal* CXLVIII, *litt.* III. *num.* VII ad illud: *Revela oculos meos*,
& conſiderabo mirabilia de lege tua. ,, Scit mortalibus oculis, atque corporeis nu-
,, bem obſcuritatis obſiſtere. Scit ea, quæ corporaliter in lege præcepta ſunt,
,, umbram eſſe, & ſpeculum futurorum. Legem quidem legit, ſed optat legis
,, mirabilia contueri. Meminit ſancta eſſe ſabbata, ſed in ÆTERNORUM
,, SABBATORUM REQUIE eſſe deſiderat. Utitur quidem azymis panibus; ſed
,, fermentum ejicere naturæ veteris feſtinat. Immolat paſchæ ovem; ſed ASSI-
,, STERE ei, qui PER JOHANNEM REVELATUR AGNO CONCUPISCIT ,,
(quæ mox addit Hilarius, prætermiſſa a Feltrio ſunt) ,, Septimi anni legi ſatisfa-
,, cit; ſed ipſe exactis SEPTEM MILLIBUS, SECULI ESSE LIBER EXPOSTU-
,, LAT. Jubilæi quinquageſimi anni legem explet; ſed pentecoſtes remiſſionem,
,, ac renovationem obtinere FESTINAT: Scit ex præcepto Dei ſecundum cæleſte
,, exemplar, & altarium a Moyſe inſtitutum, & Aaron ſacerdotali habitu, or-
,, natuque veſtitum, ſed principis ſacerdotum (CHRISTI) in cujus exemplum
,, hæc fiebant, INTERESSE MYSTERIIS PROPERAT ,. (Quæ ſequuntur, de-
ſcripta ſunt item a Feltrio) ,, Induci quoque in terram ſanctam, terram fluentem
,, lacte, & melle, tamquam totius hujus orbis peregrinus orat. (Univerſa qui-
,, dem iſta Judæi corporaliter gerunt; ſed hæc Paulus aliter intelligit, dicens:
,, *Scimus enim*, *quia lex ſpiritalis eſt*.) HÆC igitur legis MIRABILIA, quæ ve-
,, latis oculis adumbrantur. Propheta orat, ut cernat: Scilicet, ut caduco, at-
,, que infirmo corpore abſolutus, hæc, quæ per corporalem obſervantiam legis
,, MAGNA, ET MIRABILIA IN CÆLIS PRÆFIGURANTUR, ASPICIAT ,,.
Ex *Tract. item in Pſalm.* LI. *num.* 22. ,, Speravit in miſericordia Dei non ad tem-
,, pus, non in hujus corporalis tantum vitæ brevi ſeculo, ſed in ſeculum ſeculi.
,, Extendit enim ſpes ſuas ad infinitam perennitatis ætatem, nec concluditur
,, mortis occaſu, cum ſciat ſibi in Abrahæ ſinibus exemplo pauperis Lazari eſſe vi-
,, vendum; ſciat quoque glorioſæ reſurrectionis demutatione æternum ſe, & con-
,, formem Deo manſurum ,,. Et *num.* 24. ,, Expectat non occulte, non trepidus,
,, non ſolus, ſed in conſpectu Sanctorum ejus, fide ſcilicet libera teſtimonium
,, expectationis ſuæ, vel ſub Sanctorum CÆLESTIUM conſcientia non recuſans,
,, vel Prophetæ exemplo, ſanctis omnibus, qui in terra ſunt, præbens expecta-
,, tionis exemplum ,,. Nonnulla ex eodem Hilario diſſerente de Elia, deſcribit
Feltrius: Ex *Tract. in Pſal.* CXVIII *litt.* 18. *num.* 5 ,, Sanctus ille & in cæleſtem
,, habitationem raptus in corpore Elias Propheta &c. ,, Item de SS. Innocentibus
ex Commentar. in Matth. cap. I. *n.* VII. ,, In æternitatis profectum per martyrii
,, gloriam offerebantur ,,.

Nam honores ei ampliſſimos inſtituiſti. Cujus enim dogmata cum ſententiis, decretiſque Eccleſiæ (gratum Cadonico facturus) componi non poſſe, hactenus es conatus oſtendere; ejuſdem nunc, etſi nolens fortaſſe, at reipſa tamen ſummam pugnas fuiſſe in re doctrinæ inconſtantiam, volubilitatemque mentis. O vim maximam erroris! Etiamne, Cadonico obſequuturi, Doctorem tanta exiſtimatione tam nobis exhiberi levem patiemur. ſumma ut ei fuerit ſecum, ob commutationem perpetuam opinionum, certatio? Quo enim ſtudia, quo curas omnes tuas, niſi eo ſpectaſſe, hactenus vidimus, ut efficeres, crediďiſſe Hilarium: non *in cælis*, ſed *in inferis* [1] animas juſtorum, etiam Novi Teſtamenti manere; ac *cæleſtis regni*, ſeu *cæleſtis Hieruſalem*, *atque incolatus cæleſtium* nominibus ſtatum juſtorum poſt reſurrectionem futurum intelligi oportere? Quid modo vis tibi? Annon ſepulcra ab eo fuiſſe indicata inferorum vocabulo, attributumque piorum animis non ſolum poſt Chriſti deſcenſum ad inferos; ſed longe etiam ante *æterni temporis gloriam*, conceſſumque, *regnum cæleſte*, *cæleſtium incolatum*, quem tu incolatum nulli eſſe, niſi poſt reſtitutionem corporum concedendum, ex Hilarii ſententia

1 Confer, quæ ſupra deſcripſimus, verba Feltrii. Idem in extremo fere opere ſuo §. 71. „ Hunc eſſe contendo, *inquit*, ſenſum orationis Hilarii. Precetur quidem David, ut qui ſuſceptor eſt Deus, ſuſcipiat, & qui adjutor, adjuvet. „ Non abeſſe a ſe adjutorium adjuvantis precetur. Nam quemadmodum in ſuperiore ſuſceptus vivat, ita in hoc adjutus ſalvabitur. Sciat tamen NON STATIM SALVARI debere, hoc eſt non STATIM ex CORPOREA, TERRÆNAQUE NATURA IN SPIRITALEM GLORIAM TRANSFORMARI, & abſorpta corruptione ex mortali immortalem fieri, non ſtatim perfectæ beatitudinis adire poſſe hæreditatem, quæ animæ, corporique redditur, NON STATIM IN TERRAM VIVENTIUM, IN PARADISI INCOLATUM deducendum eſſe; ſed EXPECTANDUM IN INFERIS EI ESSE, DONEC RESURRECTIONIS DIES ADVENIAT. Hanc eſſe orationis Hilarii ſignificationem §. 71. ſtatuit. Contra §. 29. *ſeqq.* nulla horum, quæ ſcripſerat habita, ratione, contrariam Hilarii verborum ſententiam promit. Davidem, quo ex tempore laxatus corpore fuit, potitum *æterni temporis gloria*, *cæleſti incolatu*, & *regno*, Hilario viſum fuiſſe conſtituit. Rurſum §. 72. „ Si vis, *inquit*, ac poteſtas illarum locutionum *tranſire in cæleſtem Hieruſalem*, *in terram viventium* rite „ expendatur, nullo negotio conſtabit, eas de plena omnimodaque hominis beatitudine, una *ſcilicet* cum corpore, fuiſſe ut plurimum ab Hilario uſurpata. „ Et primo quidem de *paradiſi incolatu* ſatis ſuperque dixi in Reſp. ad 2. §. 56. &c.

tia arbitrabare? Ecquid eſt autem, niſi hoc contrarium, atque pugnans eſt?

Verum mitto plura, non de pugnantibus quidem Hilarii ſententiis, quæ nullæ ſunt; ſed de luctatione, quæ tecum eſt tibi perpetua, dicere. Ad eas enim Sancti illius Doctoris phraſes venire malo, in quibus tu locas præſidium diſputationis tuæ. Nego igitur concludi ex iis ullo modo poſſe, probata Hilario fuiſſe, quæ tu ei fuiſſe probata ſcribis, de *æterni temporis gloria*, *de cæleſtium incolatu*, *de æterna ſabbatorum requie*, *de videndo regno*, *de aſpiciendis magnis*, *ac mirabilibus*, *quæ per corporalia legis in cælis præfiguratur*, de *viſione Dei*, hoc eſt de *eſſentiali*, quam dicimus, beatitate Davidis animæ conceſſa ſimul atque hæc fuit laxata corpore. Has autem ſcito cauſas eſſe, cur negem. Hilarii prior, quo confidis, locus hic eſt ex *Tract. in Pſalm.* CXIX. *n.* 10. „ Convenit „ Prophetam EXPECTANTEM, POST SAGITTAS DOMINI, & illos carbones deſolationis, beati illius regni, „ & æterni temporis gloriam &c. „ Jam vero in hiſce ſagittis S. Doctor Chriſtum numerat *n.* 8. [1] id quod ipſe tacitus prætermiſiſti. Itaque ſi, teſte Hilario, David poſt eas *ſagittas* expectavit *æterni temporis gloriam*, profecto *gloriam* poſt Chriſtum obtinendam expectarit, neceſſe eſt. Roges me, ſi tamdiu expectanda Davidi æterni temporis *gloria* fuit, cur Hilarius affirmarit, *moras eum odiſſe*, & ipſam illam *non potiendi jam deſiderii tanti doluiſſe dilationem*, *defleviſſe moroſam ſui corporis diſſolutionem*, *atque in hoc nimium ſibi prolixo incolatu congemuiſſe*, *feſtinaſſeque peregrinari a terrenis*, & *incolere cæleſtia*? Annon hæc eadem fere a Paulo dicta argumento ſane magno Theologis, imprimiſque Thomæ Aquinati fuerunt, ut dicerent, Sanctos Novi Teſtamenti ſtatim atque peregrinari a corpore deſierint, gau-

b b b b b b dere

1 Pag. 323. *Sagittam autem ipſum Dominum nuncupatum in eodem Iſaia meminimus hoc modo*: & poſuit me tamquam ſagittam electam &c. *Eſſe itaque intelligimus etiam hunc utilem ſagittam*, *& potentem*, *confixis vitiorum noſtrorum aculeis ſalubri nos vulnere*, *utilique penetrantem &c.*

dere aſpectu Dei? Quid igitur ſit cauſſæ, cur non item ex Hilarii ſententia ſtatuendum ſit, Davidi, qui perinde peregrinari optabat a corpore, præſtoque adeſſe Deo, id ſtatim obveniſſe boni atque eſt e cuſtodia corporis liberatus; præſertim cum Hilarius in *Pſ.* LXII. *n.* 3. explicans τὸ *ſitivit in te anima mea*, ſcripſerit: *hoc animæ deſiderium, hæc ſitis ſpei ejus eſt, ut Dei ſibi proveniat aſpectus*; ut QUAM PRIMUM *raptus in nubibus Deo Chriſto obviam elevatus appareat?*

Sed vide, quæſo te, Feltri, quid agas. Nam iſtæc afferre, propemodum idem eſt, atque Hymenæi, Philetique hæreticorum Hilarium ſimilem fuiſſe defendere. Quid ita? inquies. Quia, te quidem interprete, docuiſſet, *factam jam eſſe reſurrectionem* [1]. Huc enim tua revolvetur, recidetque interpretatio: Velle Hilarium, ideo Davidi tantopere fuiſſe cordi diſſolutionem corporis ſui, ut ſtatim expleret deſiderium ſuum, quod de bonis ſempiternis erat. In iis autem bonis fuiſſe corporum reſtitutionem. Optaſſe namque Prophetam, UT IPSE QUAM PRIMUM *raptus* in *nubibus Deo Chriſto obviam elevatus appareret*. Eum igitur, ſimul ac vinculis corporis ſolutus fuit, *raptum in nubibus Deo Chriſto obviam elevatum apparuiſſe. Reſurrexiſſe* proinde Davidem ſtatim ac mortem obiit. Alioquin, quo demum ſpectaret τὸ *quam primum*, quod ſingulari quadam ratione ab Hilario de *raptu* illo Davidis differente adhibetur? Jam vero quæ de Davide dicta ſunt, ad Sanctos quoſque Vet. Teſt., Novique aptari oportere. Itaque Sanctos Veteris, Novique Teſtamenti ſtatim atque deceſſere, excitatos fuiſſe e mortuis, obviamque Chriſto Deo in aera proceſſiſſe. Quare magnam partem reſurrectionem jam eſſe factam.

Annon cernis, Feltri, quo iſta ſerpat, quæ de Hilario tam eſt abs te male inſtituta ratio? Quod ſi paulo diligentius Hilarii loca conſideraſſes, verba certe illa locis iiſdem com-

1 *Epiſt.* II. *ad Timoth. cap.* II. *v.* 17. *ſeq.*

comprehenſa, quæ plane indicant, quæ mens ita diſſerenti Hilario fuerit, prætermittenda non putaſſes, neque eo redactus eſſes, ut Doctorem tantum pravæ adeo opinionis reum egiſſe viderere. Hilarius enim (deſcripto Eccleſiaſtis teſtimonio, quod eſt de juſtis, qui ante legem, legiſque tempore deceſſiſſent, ac proptera etiam de Davide, quodque eſt hujuſmodi: *Et laudavi omnes, qui mortui ſunt, ſuper omnes, qui vivunt uſque nunc*) ſic habet [1]: *liberata ſcilicet per diſſolutionem corporis anima, onere, atque conſortio* eam eſſe *infirmæ hujus, atque* PERICULOSÆ *carnis exutam*. Quibus ex verbis plane intelligitur, eo Davidem, quem ex Vetere Teſtamento Hilarius memorat, liberari cuſtodia corporis optaſſe, non quo crederet, continuo ſe beatum futurum aſpectu Dei, multoque minus, quo ſe ſtatim in vitam rediturum ſciret; ſed quo provideret fore,ut confeſtim e quibuſque *periculis* ereptus in tuto poneret obtinendam, at tempori, felicitatem in viſione conſiſtentem Dei,& ex mortuis denique *reſurrectionem* ſuam. Id quod ex Hilarii etiam illa oratione omni, quæ *Tract. in Pſalm.* CXVIII. *litt.* 11I. *n.* 7. continetur, quaque item abutere, plane perſpicitur. Res enim eas complexus oratione eadem Hilarius eſt, quibus certe David, ſimul atque exceſſiſſet e corpore, potiri non potuiſſet. Nam *aſſiſtere*, inquit, *ei, qui per Johannem revelatur*, AGNO David *concupiſcit*. Agnus autem eſt Chriſtus *ſecundum hominem*. Quamobrem eum *agnum occiſum* Johannes dicit, quod certe *ſecundum hominem* eſt intelligendum. Atqui diu poſt Davidis mortem Divinum Verbum humanam ſibi naturam junxit. Non ergo ſtatim atque functus David mortali hac vita fuit, *adſiſtere Agno* potuit, *qui per Johannem revelatur*. Quod ſi hæc, quæ de Agno ſcribit Hilarius, *prolepſi* quadam, ſeu *anticipatione* ſcripta ab eo fuiſſe, reſponderis, de Verbo Dei,

bbbbbb 2 quaſi

1 Feltrius dum Hilarii locum deſcriberet *ex Tract. in Pſal.* CXIX. *num.* 10. *ſeq. p.* 324. ubi ad hæc verba venit, afferenda non cenſuit, appoſitiſque punctis omnino quinque, minus ea ad ſuum inſtitutum pertinere ſignificavit.

quaſi Verbum ipſum jam aſſumſiſſet, quam ſine dubio ſibi erat aſſumturum carnem; quæ cauſſa erit, quamobrem reſponderi perinde a nobis neges poſſe, quæ de Davide cupiente *peregrinari a corpore*, regnoque potiri ab eodem Hilario dicta ſunt, dicta *prolepſi* quadam fuiſſe, ea ſcilicet ratione, ut qui in tuto poſuiſſet ſalutem in viſione Dei conſiſtentem, felicitatemque ſempiternam ſuam, is quaſi jam eam fuiſſet adeptus, ab Hilario conſideraretur? Atque ab aliis item Scriptoribus Eccleſiaſticis paria fuiſſe de piis hominibus mortalem adhuc degentibus vitam *anticipatione* quadam ſcripta, ſequenti §. demonſtrabimus. Eoque magis in ſententia confirmor, quo videam, ad verba, quæ ſunt de *Agno*, adjungi mox illud ab Hilario, quod tu occultandum mirifica punctorum trium interjectorum latebra putaſti, eſtque hujuſmodi: *Septimi anni legi ſatisfacit* David, *ſed ipſe exactis ſeptem millibus ſeculi eſſe liber expoſtulat*. Qui namque exiſtimare Hilarius potuit, Davidem *ſtatim* atque e mortali hac vita deceſſit, obtinuiſſe illud, quod ex Hilarii ejuſdem opinione nonniſi poſt ſeptem annorum millia David ipſe erat conſequuturus? Perge Feltri, expende, quæ Hilarius ibidem de Davide properante peregrinari a corpore perſequitur, quæque tu interjectione punctorum trium ſperaſti haberi diu occulta poſſe. „ Jubilæi, *ſic enim addit* „ *Hilarius*, quinquageſimi anni legem explet, ſed pen„ tecoſtes remiſſionem, ac renovationem obtinere feſti„ nat. Scit ex præcepto Dei, ſecundum cæleſte exem„ plar, & altarium a Moyſe inſtitutum, & Aaron Sa„ cerdotali habitu, ornatuque veſtitum; ſed PRINCI„ PIS SACERDOTUM, IN CUJUS EXEMPLUM HÆC „ FIEBANT, INTERESSE MINISTERIIS PROPE„ RAT „. Quis PRINCEPS hic SACERDOTUM eſt? Nonne Chriſtus? Quæ ejus miniſteria? Nonne ſacrificium oblatum in cruce Patri? Nonne redemtio generis humani? His intereſſe David, ſtatim atque deceſſit, quem-

quemadmodum poterat, quæ tamdiu poſt perfecta fuerunt? Cedo nunc, quæ Hilarius poſt *miniſteria*, quibus *intereſſe David properabat*, memorat? *Induci quoque in terram ſanctam, terram fluentem lacte*, & *melle tamquam totius orbis peregrinus orat*. Poſt redemtionem igitur, ſeu poſt Chriſti Principis Sacerdotum miniſteria, in eam terram, ſeu in cæleſtem patriam David induci ſeſe orabat, teſte Hilario; qui cum ſtatim addat: *Univerſa quidem iſta Judæi corporaliter gerunt, ſed hæc Paulus aliter intelligit dicens*: Scimus enim quia lex ſpiritalis eſt. *Hæc igitur legis mirabilia, quæ velatis oculis adumbrantur, Propheta orat, ut cernat, ſcilicet ut caduco, atque infirmo corpore abſolutus hæc, quæ per corporalem obſervantiam legis magna, & mirabilia in cælis præfigurantur, aſpiciat*: hæc, inquam, cum Hilarius addat, id ſe velle ſignificat, Davidem *caduco corpore abſolutum* non ſtatim quidem potitum beatitate fuiſſe, quæ viſione Dei continetur, ſed in eo fuiſſe ſtatu, in quo tuto quieſceret, certoque ſciret, poſt Chriſti Sacerdotum principis miniſteria, eamdem ſe beatitatem eſſe in cæleſti patria adepturum, ac denique cum corpore una acturum in cælis ſempiternum ævum.

Jam ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, cognoſcis, credo, quod nobis e Thomæ auctoritate opponis, quam ſit diſſimile. Non enim Hilarius deſideraſſe Davidem, ait, *peregrinari a corpore*, ſtatimque *præſentem eſſe ad Dominum*, ſed in tuto ſtatu collocari, in quo certus, ac ſine periculo, metuve ſalutis ullo expectaret *temporum plenitudinem*, qua *per miniſterium Chriſti ſacerdotum principis*, vitam illam beatam in viſione conſiſtentem Dei conſequeretur. Contra, Apoſtolus *Epiſt.* II. *ad Corinth. cap.* V. *audemus*, inquiens, *& bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*; nihil inter *peregrinationem a corpore, & præſentiam ad Dominum* medii ponit. Quamobrem S. Thomas ſa-

ſapienter animadvertit, eo Apoſtoli loco [1]: *confutari errorem dicentium, animas Sanctorum non ſtatim poſt mortem deduci ad viſionem Dei, & ejus præſentiam; ſed morari in quibuſdam manſionibus uſque ad diem judicii. Nam fruſtra Sancti auderent, & deſiderarent peregrinari a corpore, ſi ſeparati a corpore, non eſſent præſentes ad Deum.* Sed miror te, tam abjecte de Thoma ſentire, ut ſuis ipſum argumentis refellere conere; quaſi homo omnium in ſententia conſtantiſſimus, atque acutiſſimus minus ſibi aliquando conſtiterit, neque viderit, quid ex re quaque earum, de quibus ageret, ſequeretur. Quod ſi Summam S. Doctoris Theologicam, aut Opuſculum II. legiſſes, cognoſſes, credo, quam ille ut in ceteris, ſic etiam hoc in genere controverſiæ conſtans ſibi, quamque gravis oppugnator fuerit opinionis novæ, atque inanis veſtræ.

Nunc ad Hilarium revertar. Jam eſt ejus de morte [2] *in inferis* a Chriſto *perempta*, clara, atque perſpicua ſententia. Sed hinc tu quidem emerſeris tergiverſatione, atque artibus; meditare tamen, quæ Hilarius idem de *relato homine in Cælum* deſcenſu ipſius Chriſti ad inferos, teſtatur in II. de Trinitate [3]. Vide, quid iis reſpondeas, qui te loco ex Tract. in Pſ. 138. [4] *de confractis* (a Chriſto) *æreis portis, de contritis ferreis vectibus, de poteſtatibus deſpoliatis, de eo* (hoc eſt de ho-

1 *Lect.* II. *p.* 324. *edit. Lugd. an.* 1689. Vide S. ejuſd. Doctoris *lib.* IV. contra Gentes *cap.* XI. *pag.* 496. *verſa edit. Lugd. an.* 1567. & Opuſc. III. *Contra Græc. Armen. p.* 96. *edit. Bergomen. an.* 1741. & I. II. *part. quæſt.* IV. *art.* V.

2 *Lib.* IV. *de Trinit. n.* 42. *p.* 82. *tom.* II.

3 *Num.* 15. *pag.* 48.

4 *Num* 26. *p.* 442. *tom.* I. Hunc item Hilarii locum eludere Feltrius ſtudet §. 55. *ſeqq.* iiſdem omnino momentis argumentorum, quibus ceteris tenebras eſt conatus obducere. Quæ quidem argumenta cum depulſa a nobis hactenus fuerint, nihil eſt cauſſæ, quamobrem eſſe rurſum refellenda putemus. Hoc addit, de quo nihil me adhuc dixiſſe memini, nempe ita potuiſſe ab Hilario *reſtitutum dici* hominem a Chriſto *paradiſi deliciis &c.* ut de Chriſto ipſo dicitur: *interfeciſſe inimicitias in ſemetipſo, deleviſſe chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, pacificaſſe omnia per ſanguinem crucis ejus, nos Deo reconciliaſſe &c.* quæ non obſtant, ut idem adjungit Feltrius, quin *antiqui etiam Sancti per fidem paſſionis Chriſti venturi ſpiritum adoptionis accipientes Filii Dei effecti fuerint.* Sed iis in locis non agit Hilarius de paſſione, morteque Chriſti, cujus virtute gratiam adepti jam

de homine generatim) *quem ad imaginem ſuam fecerat, redemto,paradiſique deliciis reſtituto,* premunt. Quære non ſolum

jam fuerant ſeu juſtificationem Sancti veteres, & obtinuerunt qui Chriſto moriente, quique poſt etiam vixerunt, atque qui modo vivunt, obtinent, obtinebuntque qui deinceps futuri ſunt; ſed de Chriſti ad inferos deſcenſu, quo ait *inferos eſſe deſpoliatos*, hominesque *paradiſi deliciis reſtitutos*. Etſi autem, ut docet S.Thomas III. *P. qu* XLIX. *art.* V. *ad* 4. *Chriſtus ſua paſſione meruit nobis introitum regni cæleſtis, & impedimentum removit*; tamen deſcenſu ad inferos ſuo quaſi in poſſeſſionem beatitudinis, *& per ſuam aſcenſionem quaſi in poſſeſſionem regni cæleſtis introduxit*. Jam vero cum univerſim, de homine agat Hilarius, qui ad imaginem Dei conditus eſt, eumque paradiſi deliciis reſtitutum dicat, ſatis oſtendit, paradiſum ante id tempus nemini patuiſſe; alioquin ſi aliquibus, per eos quidem certe paradiſi deliciis antea reſtitutus homo dici potuiſſet, neque *generatim* de homine Hilarius egiſſet.

De Davide quod addit Feltrius, ſciviſſe nempe illum, ut Hilarius ſcribit, in Abrahæ *ſinibus* exemplo pauperis Lazari ſibi eſſe vivendum, me quidem movere non poteſt. *Sinus* enim, non *Sinum* Abrahæ Hilarius nominat, ut indicet, ante Chriſti adventum ſtatum Sinus Abrahæ non eumdem fuiſſe, atque poſt Chriſtum ſit. Quod ſi quiſquam dixerit, ex Hilarii ſententia, proſpexiſſe Davidem, ſibi poſteaquam inferos ſuſtinuiſſet, hoc eſt poſt Chriſtum, vivendum eſſe in ſinu Abrahæ qui excipit animas intuentium Deum, ei equidem libens aſſentiar.

De Elia quæ Feltrius adjungit, levia ſunt. Id vero ne Feltrius quidem diffitetur. § enim 35. p.33. *Minoris ea eſſe momenti*, ſcribit. Quod dat accipio. Nam quod mox adfirmat, *vim ea ſuam, ac pondus præ ſe ferre habita eorum omnium ratione, quæ ante ab ipſo ſunt diſputata*, inane eſt. Nihil enim eorum, quæ diſputat, *vim, ac pondus præſefert*. Qui autem, quod nullius eſt ponderis, id communicare rei alteri poteſt, quo careat? De loco, in quem translatus Elias fuit, magna Theologorum diſſenſione certatur. Fuerunt qui eum in cælum, cæleſtemque habitationem translatum dicerent; ſed cæli, cæleſtiſque habitationis vocabulis quid intellexerint, non dixerunt. Nobis certum eſt, eos contra Eccleſiarum omnium doctrinam minime ſenſiſſe, quæ fert, patuiſſe nemini aditum ad cæleſtes beatorum ſedes, antequam eo Chriſtus aſcendiſſet. Neque enim patitur ratio, ut Scriptorum orthodoxorum ſententias ſecus interpretemur, atque Eccleſiarum omnium doctrina ferat, niſi Scriptores ipſi ita loquuti ſint, ut nullus ſit eorum apte ad doctrinam eamdem Eccleſiarum interpretandorum locus. Animadvertendum præterea eſt, Hilarium de Elia loquentem, numquam ſtatuere, fuiſſe eum adductum ad conſpectum Dei, ad gloriam, ad ſedes Beatorum, ad ſempiternum regnum. Sed de Elia conſuli Theologos orthodoxos volo S.Thomam III. *P. Q.* XLIX. *art.* V. *ad* 2. *& in cap.* XI. *Epiſt. ad Hebr. lect.* II. *p.* 725. *ſeq. edit. Lugd. an.*1689. Nicolaum Serarium *in lib.* IV. *Reg. cap.* II. *p.* 281. *edit. Lugd. an.*1618. Franciſcum Suareſium *in* III. *Summæ Theologicæ S. Th. Partem Q.* LIX. *art.* VI. *diſp.* LV. *ſect.* I. *p.* 651. *ed. Lugd.* 1614. quo is loco (Ambroſium Catharinum *in lib. de Conſummata Chriſti gloria* ajentem, poſt adventum ejuſdem Servatoris Chriſti Eliam jam eſſe beatum aſpectu Dei, refellens) negat Enochum, & Eliam gloria eſſe potitos, *quod quidem*, inquit, *de tempore ante Chriſti paſſionem ex alio* PRINCIPIO FIDEI CERTISSIMUM EST. *Quia tunc non erat janua regni hominibus aperta*. Confer etiam Scriptorem illum Anonymum, qui ante hos dies paucos publicavit *Diſſert.* inſcript. *S.Hilarius Feltrio ereptus* §. 91. *p.* 68. *ed. Venet.* Mitto ceteros, ne longus ſim. Texam autem Feltrio, ſi volet, eorum catalogum ſane longum. Quamquam nolet, opinor. Non enim ignorat communem hanc eſſe Catholicorum ſententiam. Quid? ſi ne Proteſtantes quidem aliqui audeant affirmare *pleniſſima* Eliam gaudere beatitate? In his eſt M. Seb. Kirchmayerus *Diſſert. de Flammante Curru Eliæ* §. XIII. *tom.* I. *Diſſert. Theſauri Theologici Philologici edit. Amſtelod. ann.* 1701. Confugit Feltrius ad Gennadii Scholarii, ſeu potius ignoti Auctoris *Defenſionis quinque capi-*

lum quemadmodum id expedire ſic poſſis, quin videaris auctoritatem Patrum ejus ætatis, ſcriptorumque etiam temporum poſteriorum negligere, qui hiſce dicendi modis, ut libro ſuperiore demonſtratum eſt, uſi, Sanctos ex inferis ereptos, viſioneque Dei auctos ſtatuerunt; ſed etiam qua tandem ratione explicare queas, quod eſt de inferis, *qui*, teſte Hilario, *Sanctos* (*deſcendente Chriſto*) *tenere* deſierunt. Memineris, conſentanea eſſe doctrinæ communi Eccleſiarum, quæ Hilarius idem ſtatuit de *Sanctis quieſcentibus in inferis, exhortationemque deſiderantibus*, ac de *inferis* ipſis *Davidi poſt mortem ſuſtinendis*. Fatere, id quod negari non poteſt, uſum te circuitione, uſum arte fuiſſe; collegiſſe quæcumque reperiri poterant obſcura, atque implicata loca Hilarii, eaque in tuum tranſtuliſſe librum; prætermiſiſſe ῥητὰ quædam, quæ cauſſæ tuæ adverſari cognoras, inque punctorum modo trium, modo quinque latebras conjeciſſe, ut vim tot ejus Doctoris teſtimoniorum, quæ certe eſt maxima, ſi minus ſuperaſſe, at effugiſſe ſaltem viderere. Cognoſce iſtum abs te fuiſſe ſuſceptum laborem fruſtra. Quod ſi ex his, quod fieri non poteſt, tot, tamque illuſtribus Hilarii locis evaſeris, ego me ad Tractatus in Pſal. CXLI.[1] præſidium conferam, quo fretus vincam, Davidi fuiſſe *inferos ſuſtinendos*, Hilariumque propterea Thomæ, Theologis ceteris, omnibus denique orthodoxis inſequentium temporum præiviſſe. Nam in eo *Tractatu* Hilarius explicans verſum: *Non avertas faciem tuam a me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum* „ Lacum pœna-
„ lem, *inquit*, INFERNORUM locum Scriptura comme-
„ morat,

capitum, quæ in ſancta Œcumenica Florentina Synodo continentur. Sed miror, quod ex rebus conceſſis a Marco Epheſio differente de Elia Auctor ille concluſit argumentum, ut Epheſii ejuſdem errorem de differenda viſione Dei ad judicii diem refelleret, non ut promeret doctrinam ſuam; id a Feltrio aliorſum rapi. Perſpicua enim, certaque Gennadii, ſeu Auctoris illius quiſquis fuit, ſententia eſt: *Primos Patres, Patriarchas, & juſtos, a Chriſto ſuo adventu fuiſſe ab inferni vinculis liberatos, dignoſque factos, ut eo fruerentur*. Confer quæ ſcripſi hujus operis p. 412. *not.* 7. Quæ de Sanctis Innocentibus perſequutus Feltrius eſt, expendemus hujuſce libri ſecundi *capite* V.

1 *Num.* IX. *pag.* 469. *ſeq.*

„ morat, ut in his Pſalmis ait; *tu domine abſtraxiſti ab in-*
„ *ferno animam meam, ſervaſti me a deſcendentibus in*
„ *lacum*. Ergo NISI FACIES DEI, qui UTIQUE CHRI-
„ STUS EST, QUI IMAGO DEI INVISIBILIS EST,
„ (vide ut hæc ſint de Chriſto ſecundum *naturam ejus*
„ *divinam* dicta) UNICUIQUE SANCTO ADFUE-
„ RIT, erit ILLIS SIMILIS, QUI POENÆ IN-
„ FERNI DEPUTATI e vita hac ſine ſpe quietis ex-
„ ceſſerint. Sed DE SPE SUA PROPHETA NON AM-
„ BIGIT, NEQUE EXTRA EVANGELICÆ SECURI-
„ TATIS FIDUCIAM EST. TEMPORE QUIDEM
„ IPSE ANTERIOR, SED IN SPIRITU APOSTO-
„ LICI GAUDII PARTICEPS „. Jam ne intelligis: *ſi-
milem dici deputatis* pœnæ inferni Sanctum, qui Verbum,
ſeu *Chriſtum imaginem inviſibilem* Patris non videat? Sed
qua ratione illis eſt ſimilis, niſi quia is item non intuetur,
quemadmodum illi non vident, Deum; idemque triſtitia affi-
citur ob ejus viſionis dilationem, ſicut illi torquentur, quam-
vis maxima, quod ea ſe & malo ſuo ipſorum merito, &
ob id meritum etiam in ſempiternum privandos ſciant?
Jam cum audieris, qua ratione is ſit Sanctus *deputatis* pœ-
næ inferorum ſimilis, audi nunc qua ab iiſdem ratione di-
ſcrepet. *Sed de ſpe ſua Propheta non ambigit*. De qua *ſpe*, ob-
ſecro? *Videndi* nempe *faciem Dei*, ſeu *Chriſti, qui imago Dei
inviſibilis eſt*. Atque *ſpe* hujuſmodi *non extra Evangelicæ ſecu-
ritatis fiduciam David eſt*. Quamdiu autem hac ſpe, fiducia-
que ducetur? Scilicet ad tempus uſque Servatoris. Hinc
Hilarius: *tempore quidem*, inquit, *anterior* S. Propheta *eſt*.
Quibuſnam eſt anterior? Myſteriis Servatoris. Atqui ſi *ſpe*
Propheta interea, fiduciaque ductus fuit, non ergo *faciem
Dei*, qui *Chriſtus eſt, qui inviſibilis imago Dei eſt*, vidit. *Quod*
enim *videt quis, quid ſperat*? Age vero ex ſpe illa, fiduciaque
ecquid ſequebatur? *Gaudium*. TEMPORE quidem, inquit
Hilarius, ipſe Propheta ANTERIOR, ſed IN SPIRITU
Apoſtolici GAUDII PARTICEPS. Quid? Annon hæc

omnia tam clara, tamque perſpicua ſunt, quam eſt illa Thomæ Aquinatis *in* III. *part. Summæ Theologicæ quæſt.* LII. *art.* V. *ad* I. *arg.* ſententia? „ Contulit (*Chriſtus ſuo de-* „ *ſcenſu ad inferos*) Sanctis quantum ad adeptionem glo- „ riæ, & per conſequens ſolvit eorum dolorem, quem „ patiebantur ex dilatione gloriæ; ex cujus tamen ſpe „ magnum gaudium habebant „. Quod ſi tam ſunt perſpicua, uti ſunt revera, efficient quidem certe, ut ne Hilarius cœtibus Catholicis omnibus pro doctrina communi pugnantibus deripiatur.

Extremum eſt, ut de Epiſtola a Trombellio Hilarii nomine edita diſſeram. Hanc tu negas eſſe Hilarii. Non ſit. Nihil enim laboro. Verum ſcito, auctum nobis eſſe numerum teſtium veritatis beneficio tuo. Atque unus eſt horum Hilarius. Id vero ex iis, quæ hactenus diſputavimus, plane conſtat. Alter teſtis erit ejus Epiſtolæ autor, quem negare non poteris eſſe veterem. Ex hac Epiſtola ſatis perſpicuum pagina hujuſce operis quingenteſima nonageſima prima deſcripſi locum. Novi, ad eum implicandum contuliſſe te debilitatam iſtam, fractamque vim omnem tuam. De reſtitutione corporum humanorum [1] agi ab eo Auctore pugnaſti, non de copia juſtis animabus facta videndi Dei. Animadvertiſſe namque, affirmas, te, ita quædam Hilarii teſtimonia poſcere, neque Hilarii ſolum, ſed Maximi etiam, ac Cypriani. Verumtamen de Hilario ſatis dictum eſt. Quod ſi vetus ille Auctor, de cujus nunc teſtificatione eſt quæſtio, Hilarii doctrinam ſequutus eſt, jam cernis, quam in difficili loco verſere. Hilarius enim, ut oſtendimus, totus noſter eſt. Cypriani, Maximique teſtimonia, quibus abutere, ad rem non pertinent. Quamquam ſi agere teſtimoniis Maximi conſtitueras, eratque tibi non partium ſtudium, ſed amor veritatis cordi, illud adhibere debuiſſes, quod ſane manifeſtum priore hujuſce operis libro [2] deſcripſimus. Quod idem

1 Felerius §. 51. *ſeqq. p.* 43. *ſeqq.* 2 *Pag.* 555. *not.* 2.

idem de Cypriani, ceterorumque [1] Patrum locis dictum putato, quorum perplura tranſtulimus in *cap.* VI. *§.* I. *ſeqq.* I. libri hujuſ. operis p. 552. *ſeqq.* Sin ipſum per ſe ejus Trombelliani Scriptoris locum eſſe attendendum putaras, tam ne impeditus oculis eras, ut perſpicere nequires, *illuminatos* a Chriſto ad inferos deſcendente, *illuminatos*, inquam, *fuiſſe omnes juſtos, atque in ſe ſperantes, & ad ſu peros revocatos* [2]? *Reſeratis*, inquit ille, *reſeratis inferis, & ſpretis, conculcatiſque iis, quæ in perniciem hominis* TUNC VALEBANT, *omnes juſtos, &* SPERANTES IN SE ILLUMINAVIT, ET AD SUPEROS REVOCAVIT. *Illuminatos* enim ait tunc fuiſſe. Non ergo hi *illuminati* adhuc erant, cum eſſent impedimento ea, *quæ in inferis* tunc *valebant*. Quos autem *illuminavit*? JUSTOS, atque SPERANTES IN SE. Quos JUSTOS? qui TUNC erant in INFERIS. Niſi enim ita cenſuiſſet, non dixiſſet, deſcendente Chriſto ad inferos, hæc fuiſſe peracta; atque ſuperata ea, QUÆ IN INFERIS TUNC VALEBANT. Juſti igitur illi ILLUMINATI nondum erant. Atqui ILLUMINATI PROFECTO FUISSENT, ſi gaviſi fuiſſent viſione Dei. Nam ejus viſionis luce majorem quam demum fingere poteris? Non ergo viſione Dei gaudebant. At Hilarius etiam *in* XXXIII. *Commentariorum in Matthæum capite*, fuiſſe a Chriſto, ait, *infernorum obſcura colluſtrata*, quæ verba intelligi de reſurrectione debent... Ridiculum! Quid enim *colluſtrationis infernorum* vocabulis intelliges, ſi de una reſurrectione ages? Annon paſſim Hilarius *infernorum* nomine locum animarum indicat? Quæ autem *obſcura animarum loca colluſtrata* dices, ſiquidem illæ Deum intuebantur? Annon Deus *lux* eſt, & *tenebræ*, ſeu obſcuritates *in eo non ſunt ullæ* [3]? At Hilarius *infernorum obſcura colluſtrata fuiſſe* dicit; *juſtos* non dicit. Quid? An corporea

 luce

1 *Pag.* 552. *ſeqq.*
2 Vide *hujus operis p.* 591.
3 *Joh. Ep.* I. *c.* I. *v.* 5.

luce fuiſſe inferorum *obſcura colluſtrata* Hilarium cenſuiſſe, putas ? Hoc reſtaret ſcilicet, ut quoniam *aquam naturalem* in Abrahæ ſinu extare Cadonicus poſuit; poneres tu quoque in inferis inſtructos oculis animos, qui ejuſmodi luce gaudere, percellive poſſent. Dum ergo Hilarius *obſcura infernorum* colluſtrata ſcribit, luce *ſpiritali* fuiſſe *colluſtrata* intellexerit, neceſſe eſt. Spiritali autem luce perfundi, atque colluſtrari, niſi ſpiritus, quinam poterunt? Age vero, dæmonas ne malos, reprobatorumque hominum animos *colluſtratos* ea fuiſſe luce, quis credat, veniſſe in mentem Hilario? Animas fortaſſe pœnis purgatoriis cruciatas ea luce perfuſas, dices. Verum quo Hilarii teſtimonio fretus dices? Jam ſtatui ab Hilario, vidimus, animas *Sanctorum exhortationem in inferis deſideraſſe: & Davidi fuiſſe ſuſtinendos inferos: Sanctos* quoque e mortuis excitatos, in inferis fuiſſe: atque ad horum animas deſcendiſſe Chriſtum oſtendimus. Igitur *obſcura infernorum*, *quæ colluſtravit Chriſtus*, animi juſtorum, non aliud quidquam, fuerunt. Verumtamen fac, tam implicatus, obſcuruſque hic ſit Hilarii locus, ut ex eo dignoſci nequeat, juſtorum ne animas, an aliud quidquam Chriſtus *colluſtrarit*; negare ne poteris, Trombellianum Veterem Scriptorem de *juſtis* in inferis a *Chriſto illuminatis* diſerte, explicateque agere? Cur non hoc teſtimonio claro, atque perſpicuo exponere obſcurum Hilarii; ſed obſcuro Hilarii perſpicuum Scriptoris ejuſdem involvere conare? Quæ iſta eſt pervertendorum canonum criticæ facultatis licentia? Sed modum faciam. Nam ſtudio elatus plura de Trombelliano Vetere Scriptore dixi, quam initio conſtitueram.

§. II.

§. II.

Johannes Chryſoſtomus quam longe a nova Joh. Cadonici opinione diſtarit, oſtenditur.

Quæ nobis ex Johannis Chryſoſtomi Homiliis objiciunt Cadoniciani dogmatis Vindices, ea redigi commode poſſunt ad capita omnino tria. Unum eſt horum de inope Lazaro [1], quem S. Doctor in Abrahæ ſinu gloria potitum docet; alterum de Davide, & SS. Martyribus Machabæis [2]; tertium de Sanctis Innocentibus, quos S. idem Doctor teſtatur [3], *temporali morte æternam vitam commutaviſſe*. Quod ad primum attinet, nihil eſt, quod tam facile expedire poſſim. Teſtata namque res eſt, narrationem illam de Lazaro fuiſſe a Chryſoſtomo in parabolis numeratam. *Concione* 1.[4] *de Lazaro*: ἄνωθεν, inquit, ὑμῖν αὐτὴν ἀναγνώσομεν τὴν παραβολὴν -- ἄνθρωπος τις ἦν πλούσιος &c. *A principio vobis hanc PARABOLAM legemus*: homo quidam erat dives. Et paulo poſt: τίνος μὲν οὖν ἕνεκεν ἐν παραβολαῖς ἐλάλει ὁ δεσπότης, καὶ τί δήποτε τῶν παραβολῶν τὰς μὲν ἔλυε, τὰς δὲ οὐκ ἔλυε, καὶ τί ποτ' ἐστιν ἡ παραβολὴ, καὶ ὅσα τοιαῦτα, εἰς ἕτερον καιρὸν ταμιευσόμεθα, ὥστε μὴ τοῦ κατεπείγοντος ἀποστῆναι λόγου νῦν. Ἐκεῖνο δὲ τέως πρὸς ὑμᾶς ἐροῦμεν μόνον, τις ἔστι τῶν εὐαγγελιστῶν, ὃ τὴν παραβολὴν ταύτην εἰρηκέναι τὸν Χριστὸν εἶπων. „ Cujus gratia Dominus per PARABO-„ LAS loquutus ſit, & quam tandem ob cauſſam ex „ PARABOLIS alias quidem explicaverit, alias non „ item, & quidnam ſit PARABOLA, & ſi qua ſunt „ hujus

1 Auctor VI. *Epiſtolarum italice ſcriptarum, editarumque Venetiis an.* 1763. *ep.* II. *p.* 10. *ſeqq.* Cadonicus in *Animadverſionibus ad lib. P. Faſſoni n.* 65. *ſeqq. p.* 311. *ſeqq.* operis *de D. Auguſtini quæ videtur ſententia.* Feltrius Diſſert. De *S. Hilar.* &c. §. 33. *ſeq. p.* 31. *in not.*

2 *Auctor Epiſtolar.* VI. *ibid. p.* 13.

3 Feltrius *ibid. p.* 56. *in not.*

4 *Num.* VI. *p.* 714. *ſeq. tom.* I. *opp. edit. Pariſ. an.* 1718.

„ hujus generis alia in aliud tempus reſervabimus, ne „ ab argumento nunc urgente digrediamur. Ceterum „ illud modo vobis dicemus in præſentia, quis Evangeliſtarum ſcripſerit hanc PARABOLAM a Chriſto fuiſſe „ propoſitam „ [1]. Et Concione III. [2] οὐ τὰ τυχόντα ὑμᾶς ὤνησεν ἡ κατὰ τὸν Λάζαρον παραβολή: „ Non mediocrem „ nobis attulit utilitatem parabola de Lazaro „: & poſt aliquot verba: ἐνῆν μὲν γὰρ καὶ ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ πᾶσαν ἡμῖν ταύτην ἐξαπλῶσαι τὴν παραβολήν. „ Poteramus quidem „ die una omnem vobis explanare PARABOLAM „. Addit deinceps [3]: φέρε οὖν καὶ τὰ ἑξῆς πάλιν ἀποδῶμεν ὑμῖν τῆς παραβολῆς. „ Age ergo & reliqua PARA„ BOLÆ vobis perſolvamus „. Et Concione IV. [4] Τῆς τοῦ Λαζάρου παραβολῆς τὸ τέλος ἀνάγκη τήμερον ἀποδοῦναι: „ PARABOLÆ Lazari finem neceſſe eſt hodie per„ ſolvamus „. Et *Homilia de Dormientibus* [5]: ἡμέρας τέσσαρας ἀνηλώσαμεν τὴν κατὰ τὸν Λάζαρον παραβολὴν ὑμῖν ἐξηγούμενοι. „ Dies quatuor in exponenda vobis Lazari „ PARABOLA conſumſimus „. Et Homilia quæ eſt, de *non habendis* ad *captandam gratiam concionibus* [6]: Ὁ Χριστὸς δὲ διὰ παραβολῆς αὐτὸ τοῦτο ἐπαίδευσε. Λάζαρος γάρ τις &c. „ Chriſtus per PARABOLAM hoc ipſum „ docuit „. Etenim *Lazarus quidam &c.* Et *Homilia de Decem Millium talentorum debitore* [7]: Τί λέγω πίστιν, καὶ κατορθώματα, ὅπουγε καὶ θλίψεις λογίζονται ἡμῖν εἰς ἁμαρτημάτων ἀνάλυσιν. Καὶ τοῦτο δηλοῖ μὲν ὁ Χριστὸς διὰ τῆς τοῦ Λαζάρου παραβολῆς, εἰσάγων τὸν Ἀβραὰμ λέγοντα πρὸς τὸν πλούσιον κ. τ. λ. „ Ceterum quid dico fidem, „ & recte facta, cum tribulationes quoque imputentur „ nobis ad peccatorum condonationem? Et hoc decla„ rat

1 *Ibid. p.* 715. Rurſum *ibid.* „ Hoc igitur illud eſt, quod per PARABOLAM „ docet Chriſtus. *Homo quidam erat dives &c.*

2 *Num.* I. *pag.* 736.

3 *Num.* IV. *pag.* 741.

4 *Num* I. *pag.* 751.

5 *Num.* I. *p.* 762. *tom. eod,* I.

6 *Num.* 3. *p.* 662. *tom.* V. *opp. edit. ejuſd.*

7 *Num.* 5. *p.* 9. *tom.* III.

„ rat Chriſtus per PARABOLAM Lazari INTRODU-„ CENS ABRAHAM dicentem ad divitem &c. „ Hinc Theophylactus , qui certe in J. Chryſoſtomi operibus legendis , exponendis , probandis verſatus erat , in cap. XVI. Evangelii Lucæ [1] Παραβολὴ , inquit, καὶ τοῦτο, ἀλλ' οὐχ ὡς τινες ἀνοήτος ἂν οἰηθεῖν , πρᾶγμά ἐστιν ἤδη γεγονὸς . „ Para-„ bola etiam *hæc eſt*, ſed non, ut quidam inſcienter opinati ſunt, jam facta res eſt „ . *Inſcientem* hic numquam dixiſſet Chryſoſtomum . Quin etiam S. Thomas *in Catena Aurea ad cap.* XVI. *Evangelii Lucæ*, locum affert Chryſoſtomi ajentis: *Parabola illa eſt , in qua exemplum ponitur , & tacentur nomina . Interpretatur autem Lazarus* „ qui adjutus eſt [2] „ . Ac Chryſoſtomus quidem explicans cujuſmodi ſint parabolæ, quæ in Evangelio deſcribuntur: Λέγεται, inquit, παραβολὴ, καὶ ἡ ὁμοίωσις · ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς λέγων . ὅμοια ἐστὶ ἡ βασιλεία κ. τ. λ. „ Dicitur *parabola* & *ſimilitudo* . „ Aliam parabolam propoſuit eis dicens, „ ſimile eſt regnum &c. „ Et paulo poſt διήγημα *narrationem* dicit eſſe parabolam [3] , additque , ὁ Χριστὸς πολλὰ ἐν παραβολαῖς ἐλάλει , κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς ἐπέλυε ταύτας : „ Chriſtus multa in parabolis dicebat; „ ſeparatim autem eas ſolvebat diſcipulis „ . Quod ſi *Hiſtoriam* alicubi Chryſoſtomus narrationem de Lazaro vocat ; *narrationem* certe , *inveſtigationemve* intelligit *hiſtoriæ* nomine . Nam *hiſtoria* græcis interdum idem atque *narratio* eſt . Chryſoſtomus autem , quam paſſim parabolam vocat , *hiſtoriæ* vocabulo appellaſſet numquam, ſi vocabulo ipſo *hiſtoriæ*, πρᾶγμα , ut ait Theophylactus, ἤδη γεγονὸς *rem jam geſtam* indicare voluiſſet. Impediſſet enim vocis ambiguitas , id ne faceret, quemadmodum obſtitit, quin Theophylactus (narrationem de Lazaro, ac divite non *hiſtoriam* , ſed parabolam eſſe conſtituturus) dixerit , non *eſſe hiſtoriam* : quare dixit

1 *Pag. 488. edit. Pariſ. an. 1651.*
2 *Pag. 597. edit. opp. Lugd. an. 1686.*
3 *In Pſalm.* XLVIII. *n. 2. & 3. p. 206. ſeq. tom. 1. ejuſd. edit.*

dixit, non *eſſe rem jam geſtam*. Non ſum neſcius, a Scriptore Anonymo ſex Epiſtolarum pro Cadonici novo dogmate perſcriptarum, editarumque Venetiis, afferri (ut ait ille) Chryſoſtomi locum [1], ac tanta quidem afferri confidentia, ut *certo* inde ſtatuendum eſſe pronunciet, auctore Chryſoſtomo, hiſtoriam eſſe eam, quæ in Evang. Lucæ *de Lazaro, ac divite narratur*. Verumtamen quæro primum ex Anonymo illo, cur locum non indicarit, in quo ſcripta hæc fuerint a Chryſoſtomo? Cur in Epiſtola II. [2] tam diligenter & *inſcriptiones* Homiliarum, & *paragraphos*, & *editionem* etiam operum ejus Doctoris, qua eſt uſus, commemorarit; tum adeo indiligens hoc in teſtimonio deſcribendo fuerit, ut non modo non indicarit, qua illud editione, quo hæc ejus editionis volumine, quo numero, ſed ne qua quidem homilia, cujus ſit notus titulus, contineantur? *Certe*, inquit, *veritatem hiſtoriæ Chryſoſtomus agnovit, tum, cum hoc LUCÆ CAPUT exponens, ſic dicit* [3]. Quos tu Anonyme de Evangelio Lucæ Chryſoſtomi in editione poſtrema Monachorum Congregationis S. Mauri, qua te uſum editione fuiſſe, narras, quos, inquam, Commentarios, aut quas Homilias reperiſti, uti nos ad *hujus capitis expoſitionem* reji-

1 Non eſt Chryſoſtomi. Equidem eam *Homil.* Scriptoris alicujus Latini fœtum eſſe arbitror. Nihil enim in ea eſt indicii, ex quo dignoſci queat, verſam fuiſſe e Græco. Extat *tom.* II. *opp. S. Chryſoſt. edit. Frobenianæ p.* 49. *ſeqq.* Verba, quæ inde promit adverſarius, ſunt hujuſmodi. „ Ubi dicitur Abraham, & „ Prophetæ & *Lazarus* & Moſes, hic verus Lazarus. Si verus eſt Abraham, ve„ rus eſt Lazarus, &c. „. Quod ſi hanc Homiliam Chryſoſtomi eſſe adverſarius volet, etſi ſecus ac veritas poſtulet, volet; tamen, quin velit, nihil impedio; modo, quem de *hiſtoria* agens Lazari teſtem appellavit, quaſi Chryſoſtomus ſit, eumdem in ceteris, uti Chryſoſtomum, teſtem eſſe non recuſandum confiteatur. Is vero, quem vult, *Chryſoſtomus ibid. p.* 53. „ Conſiderandum eſt, *inquit*, quod „ Abraham apud inferos erat. Necdum enim Chriſtus reſurrexerat, qui illum IN „ PARADISUM DUCERET. Antequam Chriſtus moreretur, nemo in paradi„ ſum conſcenderat, niſi latro. Romphæa illa flammea, & vertigo illa claude„ bat paradiſum. Non POTERAT aliquis INTRARE IN PARADISUM, quem „ Chriſtus clauſerat. Latro primus intravit. Magnitudo fidei meruit magnitu„ dinem PRÆMIORUM „.

2 *Epiſt.* VI. *pag.* 50. „ Che che ne foſſe degli altri Padri, *inquit*, AL CERTO „ ha in queſto racconto conoſciuto la verità dell' iſtoria, allorchè eſponendo „ queſto capo di s. Luca, così dice: *quoniam dixerat*: non poteſtis Deo ſervire, „ & *reprehenſus* fuerat a Phariſæis, qui avari erant, propterea ponit exemplum, „ immo in exemplum parabolæ veritatem. Neque enim in parabola dicenda „ nomina ſunt. Parabolæ illæ ſunt, ubi exemplum ponitur, & tacentur no„ mina; &c. Vide Notat. ſuperiorem.

3 *Pag.* 10. *ſeq.*

rejiceres? Quod ſi nullum, uti revera reperire nullum potuiſti, qua te fide verſatum in eo Chryſoſtomi teſtimonio deſcribendo putem? Annon tua iſta tam vaga, tamque late patens, contra atque conſueſti, ejus loci indicandi ratio argumento permagno quidem nobis eſſe debet, cognoſſe te, illum ipſum locum non eſſe Chryſoſtomi; ſed quoniam urgeri te ipſum, premi, obrui videbas tanti Doctoris auctoritate, experiri voluiſſe, num objecto ignoti, ejuſdemque, ut exiſtimo, Latini Scriptoris loco, quem locum aliqui jamdudum oſcitantes Chryſoſtomo attribuiſſent, num, inquam, objecto nobis eo (quaſi revera Chryſoſtomi ſit, quem tamen noras non eſſe Chryſoſtomi) loco, continere in ſententia Lectores poſſes tuos, quam ipſis jam te perſuaſiſſe arbitrabare? Verum eſt quidem iſta, Anonyme, fruſtra adhibita abs te cautio. Res jam omnis in propatulo eſt. Locus ille non eſt Chryſoſtomi.

Sed fac ſit. Quo tu ore audebis præſidium inde petere cauſſæ tuæ? An ea ipſa in Homilia, unde iſtum es mutuatus locum, non legiſti: Abrahamum (atque adeo Lazarum) in PARADISO non fuiſſe, fuiſſe vero in INFERIS, neque hinc ereptum, tranſlatumque in PARADISUM fuiſſe, antequam Chriſtus obiiſſet mortem? Hæc cum tua opinione componi quì tandem poterunt? Cum autem componi nequeant, cur tu loco inde accepto confirmare ſtudes opinionem eamdem tuam? Cur quæ primis ejus homiliæ periodis comprehenſa ſunt, produxiſti, iis prætermiſſis, quæ comprehenduntur [1] ſequentibus? Quid? Contentum ne te primis fuiſſe dices, cetera autem ne vidiſſe quidem? Quis credet? Bona ne fide iſtud te credam dicere, te, inquam, aucupantem omnia, nihilque, quod eſſe cauſſæ tuæ adjumento poſſe videatur, prætermittentem? Fatere, te aut levitate quadam, aut novitatis ſtudio incitatum, remque Cadonico gratam facturum, non

dddddd illu-

[1] *Vide p. 944. not. 1. hujus operis.*

illuſtrandarum, ſed involvendarum Chryſoſtomi ſententiarum cauſſa, ad ſcribendum temet contuliſſe. Sed non videris, quid ejus homiliæ periodis reliquis contineretur: Patiar. Verumtamen ecquis te ita inſtituit, ut dogma quodpiam Scriptoris alicujus explicaturo tibi in Scriptoris ejuſdem operum limine conſiſtendum eſſe, neque ultra progrediundum arbitrere? Ac de fide in Chryſoſtomo teſte appellando tua, ſatis dictum eſto.

Nunc ſincera mihi, genuina, certa Chryſoſtomi teſtimonia afferri volo. Nam qui deſcribi ab Sancto Doctore in Concionibus[1], inqueHomilia VI. in II. Epiſtolam ad Corinthios[2], narrationem de Lazaro veluti rem jam geſtam monent, nihil agunt. Narrat item Chryſoſtomus ita, ut quaſi res geſtas narrare videatur, quæ parabolis de Publicano, & Phariſæo, deque Servo debitore decem millium talentorum continentur. Ac de hoc quidem diſſerens, eaque parabolæ verba interpretans: *juſſit eum* (Dominus) *venumdari*. ὅθεν, inquit, μάλιστα ἐστὶ τοῦ δεσπότου τὴν φιλανθρωπίαν καταμαθεῖν, ὅτι καὶ τὸ λογοθέσιον ἐποίησε, καὶ πραθῆναι ἐκέλευσεν. ἀμφότερα γὰρ ταῦτα εἰργάσατο, ὥστε αὐτὸν μὴ πραθῆναι· πόθεν τοῦτο δῆλον; ἀπὸ τοῦ τέλους[3]. „ Ex hoc potiſſimum licet Domini hu-
„ manitatem perdiſcere, quod & rationem inſtituit, &
„ venumdari juſſit; ambo enim iſta FACTA SUNT
„ in eum finem, ut non venderetur. Unde id liquet?
„ Ab EXITU „. Publicanum inde, atque Phariſæum appellat teſtes, ſcribitque hoc modo: καὶ μάρτυρες τῶν λεγομένων ὁ φαρισαῖος, καὶ ὁ τελώνης[4]; „ & horum te-
„ ſtes

1 *Tom. 1. opp. p. 714. ſeqq. edit. Pariſ. an. 1718.*

2 *Tom. x. p. 477.*

3 *Homil. de decem millium Talentorum Debitore n. 5. p. 10. tom. III. edit. ejuſd. Addit ibid. Chryſoſt. n. 6.* « Quorſum igitur venditionem imperavit, cum nihil » tale facere ſtatuiſſet? Ut augeret metum &c. Et *n. 7.* Quod iſte ſervus non » fecit, ſed oblitus magnitudinis debitorum ſuorum, etiam beneficii domi- » ni non recordatus eſt. Oblivione porro beneficii FACTUM EST ἐγένετο » ut ſcelerate SE GESSERIT adverſus conſervum ». Annon hæc hominis ſunt parabolam quaſi rem geſtam deſcribentis?

4 *Ibid. n. 6. p. 10.*

„ ſtes Phariſæus , & Publicanus „ . Non arbitror autem fore , ut haſce parabolas eſſe in hiſtoriis numerandas putes .

Ad hæc, vellem mihi locum ullum Chryſoſtomi quiſquam adduceret , ex quo intelligi queat , quam narrationem novi Teſtamenti parabolam dixit , eam haberi oportere veram hiſtoriam , hoc eſt *rei jam geſtæ narrationem* . Nam hoc apud nos plerumque *Hiſtoriæ* ſonat nomen. Sed nihilominus nomen ſæpe ab Græcis aliorſum acceptum novimus . Tam enim eſt ejus ſignificatio multiplex , ut pro *inquiſitione* ſæpe , aliquando *pro locorum luſtratione* , quandoque pro *commentatione* , nonnumquam etiam pro *litterali narratione* rerum ſacris Novi , Veteriſque Teſtamenti Bibliis comprehenſarum , interdum pro *interrogatione* , non raro etiam pro *narratione* quacumque, ſive ſit geſtarum revera rerum , ſive contra , uſurpatum ſit . De qua certe poſtrema ſignificatione (nam de ceteris actum ab Lexicographis eſt [1]) inſignis eſt Clementis Alexandrini *in* v. [2] *Stromateon libro* locus . Quærens enim ab Grecis , *vera ne ſint ea , quæ NARRANT, an falſa* : ſcribit : *καὶ δὴ πευσόμεθα παρ' αὐτῶν ἤτοι ἀληθῆ ταῦτα εἶναι ἃ* ἹΣΤΟΡΟΥΣΙΝ , *ἢ ψευδῆ* . Idem in I. demonſtrans *narrare*, ſeu [3] potius *fabulari Didymum in libro de Philoſophia Pythagorica* , *Theano Crotoniatidem primam ex mulieribus eſſe philoſophatam* : Φιλοσοφῆσαι , inquit , *καὶ ποιήματα γράψαι* , ΙΣΤΟΡΕΙ [4].

Cum igitur *narratio* quæque *hiſtoria* dici potuerit , *parabola* autem apud Chryſoſtomum de *parabolis* Evange-

dddddd 2 licis

1 Conſule , ſi licet , Henricum Stephanum *Theſaur. linguæ Græcæ* p.1186. to.II. *edit. Pariſ.* Svicerum ad v. ἱστορῶ , & ἱστορία *pag.* 1466. *edit. Amſtelod. an.* 1728.

2 *Pag.* 629. *edit. Pariſ. an.* 1641.

3 *Pag.* 309.

4 Multo vero magis *narrationis ad litteram* , κατὰ λέξιν ; *ratio* dici *hiſtoria* potuit,cum Olimpiodorus in prooemio in Jobum paulo ante finem ſcribat: *Dicemus autem quotquot ad hiſtoriam , & quotquot ad allegoriam ſpectant* . Et Athanaſius in *Pſal.* LXV. *ad v.* 2. , *ut ex fragmentis ex Nicetæ catena in Pſalm. p.* 533. *tom* II. liquet : *B[illegible]ita quidem* , inquit , *quod ad Hiſtoriam pertinet : ſenſu vero ſpirituali , valde terribilia ſunt opera Chriſti* .

licis differentem numquam accipi pro re jam geſta poſſit; conſequens plane eſt, Chryſoſtomum ipſum rem geſtam in iis, quæ adverſarii objicere nobis poſſent, locis non indicaſſe *Hiſtoriæ* nomine.

Neque vero ſecus ſtatuendum eſt, cum tam ſit perſpicua Johannis ejuſdem Chryſoſtomi de Sanctis ante Chriſti mortem in inferis conſtitutis, neque *Solis juſtitiæ luce* perfuſis, adeoque viſionis Dei expertibus, tamque patens ſententia, ut nulla circuitione verborum, nulliſque artibus obſcurari, implicarive poſſe videatur. [1] Ejus autem Doctoris teſtimonia, cum ſupra diligenter a nobis deſcripta fuerint, prætermittimus, ne actum agamus. Quod ſi quis narrationem ipſam de Divite, & Lazaro hiſtoriam, parabolamque ſimul fuiſſe Chryſoſtomo, pugnarit, atque ita quidem hiſtoriam, ut quæ dicta de Lazari gloria ab ipſo ſunt, ea intelligi *prolepſi* quadam, ſeu anticipatione debeant, utque quam gloriam *ſententia*, non *experientia* conſequutus Lazarus fuerat, eamdem quaſi jam tunc fuiſſet adeptus, exhibeatur; ſi quis inquam, ita pugnarit, ei equidem non reſiſtam. Etenim ille *ſerm.* VII. in *Geneſim* [2] aliqua *prolepſi* quadam dicta in Scripturis eſſe, oſtenſurus „ Chriſtus dixit, *inquit*, *qui non credit in Fi-*
„ *lium*, *jam judicatus eſt*. Quid igitur? Jam ne judica-
„ tus eſt? Atqui nondum eſt reſurrectio: quo modo ergo
„ jam judicatus eſt? Propter peccatum. Et rurſus; *qui*
„ *credit in Filium*, inquit, *tranſivit de morte ad vitam*.
„ Neque dixit *tranſibit*, ſed *tranſivit*, & hic rurſus pro-
„ pter peccatum. Ut igitur unus judicatus eſt, cum
„ nondum fuerit judicatus; alter quoque tranſivit ad vi-
„ tam, cum nondum tranſierit, & tam ad unum ob
„ opus bonum, quam ad alterum ob peccatum, ὡς γε-
„ γεννημένων δὴ πραγμάτων, οὔπω γεγεννημένων διαλέγεται.
„ QUASI IAM RES ACCIDERINT, QUUM NON-
„ DUM

1 *Pag. 576. ſeq.*
2 *Num. 5. p. 682. tom. IV. edit. ejuſd.*

„ DUM ACCIDERINT, VERBA FACIT... Nam & „ medici poſtquam aliquem deſperatum vident, eum „ PERIISSE JAM, & MORTUUM ESSE dicunt, TA„ METSI SPIRANTEM adhuc intuentur. Sed ut ille, „ QUIA NULLA SUPEREST SPES ejus, apud medicos „ JAM MORTUUS EST; ſic etiam audivit Adam: *qua* „ *die autem comederitis ex eo, morte moriemini*. Quid igi„ tur? An illo ipſo die mortuus eſt? Nequaquam, ſed „ poſt illum diem nongentos vixit, & plures annos. „ Cur igitur dixit Deus, illo ipſo die morte moriemi„ ni? τῇ ἀποφάσει, οὐ τῇ πείρᾳ SENTENTIA, NON „ EXPERIENTIA „. Nihil igitur obſtat, quin Lazarus, ſiquidem, quæ de ipſo narratur, hiſtoria Chryſoſtomo fuit, potitus ſtatim atque deceſſit gloria, Chryſoſtomi ejuſdem judicio, fuiſſe dicatur, ſed potitus *ἀποφάσει ſententia, οὐ πείρᾳ non experientia*. Sic enim hæc nobis interpretari, Chryſoſtomo docente, licet; ſed contra, perſpicua, & manifeſta loca producta a nobis de Abrahamo, deque Lazaro amico Chriſti (ante ſolutum pretium pro generis humani redemtione) in inferis conſtitutis, ſoliſque juſtitiæ luce minime adhuc perfuſis, propptereaque expertibus divinæ viſionis, contorquere in ſententiam alienam, Chryſoſtomo repugnante, non licet.

De Davide, Sanctiſque Martyribus Machabæis quæ adverſarii ex Homiliis Chryſoſtomi proferunt, perfacile explicari poſſunt. Ac de Davide quidem ille non ſcribit, *ſtatim* atque ex hac vita migraſſet, fuiſſe viſurum Deum; ſed [1] *εἰδὼς ὅτι ἐντεῦθεν ἀπελθὼν αὐτὸν ὄψεται. Sciens, quod hinc decedens, hunc* (Deum) *videbit*. Norat ſcilicet David, quamdiu mortalem hanc degiſſet vitam, non ſolum ſeſe non fuiſſe viſurum Deum; ſed etiam *præſentem vitam imperfectam, eſſe atque inſtabilem* [2]; cumque hinc exceſſiſſet, pericula quæque ſeſe evaſu-

1 *In Pſalm.* XLI. *n.* 6. *p.* 141. *tom.* V. *opp. edit. ejuſd.*
2 *In Pſalm.* V. *n.* 1. *p.* 25.

evaſurum, tumque ſe in tuto conſtituturum in aſpectu Dei conſiſtentem felicitatem ſempiternam ſuam. In eo ſecuritatis ſtatu, in quo poſt mortem ſuam ad Chriſti deſcenſum ad inferos David erat futurus, in eo, inquam, ſtatu Davidem conſiderans Chryſoſtomus, ut jam regno non quidem *experientia*, ſed *certa veritate*, vel *ſententia* potitum, deſcribit. Ac pari quidem ratione Chryſoſtomus de Sanctis generatim agens, ita præſentem confert cum futura vita, ut poſt hanc exactam, eos eſſe e mortuis excitandos ſtatuere videatur. Neque tamen aut cogitavit ille, aut inde eſt conſequens, fore, ut ſtatim atque Sancti deceſſerint, reſurgant; ſed hoc & voluit ipſe, & eſſe conſequens intelligitur, ſpatium inter mortem Sanctorum eorumdem, & reſtitutionem humanorum corporum futurum, quo interim temporis ſpatio illi certo ſciant, ſua ſibi eſſe corpora reſtituenda cum gloria: quæ certitudo efficit, ut conſiderentur, quaſi jam reſurrexerint. Sic autem ſcribit Chryſoſtomus in Pſ. v. Πρότερον ἴδωμεν τίς ἡ κληρονομία, καὶ εἰ αὕτη, καὶ ὑμῖν ἐπιβάλλει· ἔπειτα τὸν Χρόνον καθ' ὃν δίδοται .... μάθωμεν δὲ τὸν Χρόνον, καθ' ὃν μέλλομεν ταῦτα ἀπολαμβάνειν. οὐ γὰρ ὁ παρὼν ἐστιν, ἀλλ' ὁ μέλλων. μᾶλλον δὲ καὶ ὁ παρὼν, καὶ ὁ μέλλων. Ζητεῖτε γὰρ τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν. Τὸ δὲ ὁλόκληρον τότε. ἐπειδὴ γὰρ ὁ παρὼν βίος ἐπίκηρος, καὶ ἀτελέστερον ἔτι διακείμεθα, ὅπερ ποιοῦσιν οἱ ἔξωθεν νομοθέται, καὶ τελείοις γενομένοις ἐγχειρίζουσι τὴν πατρῴαν οὐσίαν, τοῦτο καὶ ὁ Θεὸς ἐργάζεται· ἐπειδὰν εἰς ἄνδρα τέλειον, καὶ μέτρον ἡλικίας καταντήσωμεν, καὶ πρὸς τὸν ἀκήρατον μεταστῶμεν βίον, τότε ἡμῖν ἐγχειρίζει τὸν κλῆρον ἐκεῖνον .... εἰ δὲ τινας θορυβεῖ τὸ μηδέπω τελείους ἡμᾶς εἶναι, καὶ ὑποπτεύει τὰ εἰρημένα, ἀκουέτωσαν Παύλου λέγοντος· ὅτε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλουν, ὡς νήπιος ἐφρόνουν ὡς νήπιος ἐλογιζόμην ὅτε δὲ γέγονα ἀνὴρ, κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου, περὶ τοῦ παρόντος, καὶ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος διαλεγομένου. καὶ πάλιν,

λιν, μέχρις οὗ καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας. ἐν μὲν γὰρ τῷ παρόντι βίῳ, φησὶ, καθάπερ παρὰ τροφῷ τινι τῇ κτίσει ταύτῃ ἀνατρεφόμεθα. ἐπειδὰν δὲ μέλλωμεν εἰς τὴν δεσποτικὴν ἄγεσθαι οἰκίαν, τὰ ἱμάτια ἀπαμφιεννύμενοι τῆς φθορᾶς, καὶ ἀφθαρσίαν ἀναλαμβάνοντες, πρὸς ἑτέραν μεθιστάμεθα λῆξιν κ. τ. λ.
„ Primum videamus, quæ ſit HÆREDITAS, & ſi ea ad
„ nos etiam pertineat : Deinde tempus, quo datur ...
„ Diſcamus tempus, quo eam ſumus ſuſcepturi. Non eſt
„ enim præſens, ſed futurum : vel potius & præſens,
„ & futurum. *Quærite* enim *regnum Dei*, *& hæc omnia*
„ *adjicientur vobis*. Sed TOTA HÆREDITAS TUNC.
„ Nam præſens vita eſt INCERTA, & INSTABILIS,
„ & ſumus adhuc imperfectiores. Quod externi faciunt
„ legiſlatores, ut iis, qui ad plenam, ac perfectam æta-
„ tem pervenerint, paterna bona tradant; hoc etiam fa-
„ cit Deus. Poſtquam in virum perfectum & menſuram
„ ætatis occurrerimus, & ad vitam INCORRUPTAM
„ tranſierimus, TUNC illam nobis tradet hæredita-
„ tem ... Quod ſi perturbentur aliqui, quod nondum
„ ſimus perfecti, & ſuſpecta eis ſint, quæ dicta ſunt,
„ audiant Paulum dicentem: *quando eram parvulus, lo-*
„ *quebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam*
„ *ut parvulus; quando autem factus ſum vir, evacuavi,*
„ *quæ erant parvuli*, loquendo de PRÆSENTI, & de
„ FUTURO ſeculo. Et rurſus: *donec occurramus omnes*
„ *in virum perfectum, in menſuram ætatis*. IN VITA
„ ENIM PRÆSENTI, inquit, veluti apud nutricem
„ quamdam creatura hac alimur. QUANDO AUTEM
„ in DOMUM DOMINI deducemur exuentes veſtem
„ CORRUPTIONIS, & ASSUMENTES INCORRU-
„ PTIBILITATEM, ad aliam conditionem TUNC tra-
„ ducemur „[1].

Viden'

1 *N. 1. p. 18. ſeq. Tom. v.*

Viden', ut ſe de *tempore*, quo adeunda cuique Sanctorum ſit hæreditas, acturum polliceatur, atque id tempus *non eſſe præſentis* vitæ dicat, ſed *futuræ*; atque *præſentem vitam caducam eſſe*, *& inſtabilem*, & in hac nos *veluti apud nutricem quamdam ali*; *& quando in domum Domini deducemur exuentes* CORRUPTIONIS *veſtes*, *& aſſumentes* INCORRUPTIONEM, *traducendos eſſe ad aliam vitæ conditionem*? An ergo, quia poſt hanc vitam *caducam*, atque *inſtabilem*, in qua *veluti apud nutricem alimur*, Chryſoſtomus nominat *futuram*, atque hanc alterius fore conditionis dicit, cum exuti *corruptione*, *aſſumſerimus incorruptionem*; hinc tu ſtatues, auctore Chryſoſtomo, Sanctos ſimul ac interierint, corpus reſumpturos haud obnoxium corruptioni? Si autem ex eo quod poſt hanc vitam, alteram illam ſuſceptæ *incorruptionis*, hoc eſt incorrupti corporis vitam Chryſoſtomus memoret; non eſt conſequens, viſum ei Doctori fuiſſe, Sanctos ſtatim atque obierint, eſſe reſurrecturos: quo demum pacto ex commemorata *viſione Dei* poſt migrationem Davidis ex hac mortali vita, concludes, cenſuiſſe Chryſoſtomum, Davidem, ut deceſſit, mox fuiſſe beatum aſpectu Dei?

Verum addit, inquies, Chryſoſtomus de Davide diſſerens: οὐδὲ τὴν ἀναβολὴν ἀναμένει. οὐ στέγει τὴν ὑπερθεσιν, ἀλλὰ ἀποστολικὸν ἡμῖν ἐνταῦθα δείκνυσι φρόνημα· καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔστενεν ἐπὶ τῇ μελλήσει τῆς ἐντεῦθεν ἀποδημίας. „ Ne expectat quidem dilationem, moramque „ non patitur; ſed hic nobis animum oſtendit Apoſtoli„ cum. Etenim ille quoque (*Paulus*) ingemiſcebat pro„ pter diuturnitatem hujus peregrinationis [1] „. Ego vero morarum *impatientem* idcirco dictum Davidem concedo, quod ſciret, cum deceſſiſſet, in eo ſe ſtatu fore, in quo nihil eſſet periculi, ac proinde in tuto eſſe ipſi ſibi coronam futuram. Nam qui rem in tuto poſuit, eam ita conſiderat, quaſi plane ſit conſequutus. Atque hoc David

1 *In Pſalm.* XLI. *n.* 6. *p.* 140.

vid, Paulusque Apoſtolus a Chryſoſtomo dicuntur ſimiles, quod uterque flagraret deſiderio decedendi ex hac mortali vita, & videndi Dei. Contra vero, hoc diſcrepabant: David optabat mori, ut e periculis eriperetur carnis, & in tuto poneret eam, quam poſt Chriſtum adepturus erat, beatitatem in viſione Dei conſiſtentem: quo pacto non *experientia*, at *ſententia*, ut inquit Chryſoſtomus, vel, ut ait Auguſtinus, *certa veritate* proſpiciebat, beatum ſe fore aſpectu Dei: Paulus autem *diſſolvi* cupiebat, ut ſtatim *beatus* cum Chriſto eſſet, Deumque ipſum intueretur. Quamobrem Chryſoſtomus, ubi de Paulo, piiſque ceteris novi Teſtamenti agit, *τὸ ταχέως*,[1] quod eſt *celeriter, confeſtim, extemplo* adhibet; ubi vero de Sanctis veteris Teſtamenti, non item. Immo ANIMAS piorum ante Chriſti mortem INFERORUM, ait, vinculis fuiſſe detentas, fuiſſeque THESAVROS TENEBROSOS, QUIA NONDUM SOL JUSTITIÆ IBI AFFULSERAT: Atque illum INFERNI locum Sanctis iiſdem CALIGINOSUM fuiſſe, & INGRATUM; neque LUCIS ante NATURAM intra ſe recepiſſe: animaſque illas, ut ABRAHÆ, ut ISAACI, ut JACOBI TENEBROSAS FUISSE DONEC DESCENDIT SOL IUSTITIÆ, EOSQUE ILLUSTRAVIT, ET EX INFERNO CÆLUM FECIT, quia UBI CHRISTUS, IBI ET CÆLUM. *Paradiſum enim a* QUINQUIES MILLE, ET AMPLIUS ANNIS CLAUSUM, tunc a Chriſto fuiſſe APERTUM[2]. Abi tu modo, atque hæc, ſi potes, cum viſione Dei, qua tunc Piorum animæ fuiſſent potitæ, componito. Chryſoſtomus quidem TENEBRAS, LOCUM CALIGINOSUM, INGRATUM Sanctis fuiſſe; Sanctoſque fuiſſe THESAVROS TENEBROSOS, QUIA NONDUM EIS LUX VERITATIS AFFULSERAT, Chriſtumq; deſcendentem convertiſſe INFERNUM in CÆLUM, non dixiſſet, ſi Sancti tunc viſione Dei gaviſi fuiſ-

eeeeee ſent,

1 *In Epiſt.* II. *ad Corinth. Homil.* x. *n.* 2. *p.* 508. *tom.* x. » Vitam noſtram is non » extinguit, qui nos oppugnat, ac morte afficit; ne timeas. Confide, cum con» ſideris. Neque enim ille dumtaxat te a corruptione vindicat, ac gravi ſar» cina levat, ſed etiam ad dominum ταχέως CELERITER TRANSMIT» TIT ».

2 Vide Chryſoſtomi teſtimonia, quæ deſcripſi *pag. hujus operis* 77. *ſeqq.*

ſent. Sane cum idem in Pſ. L.[1] *nuda divinitatis* ſplendore *extingui ſolem*, *lunamque* dicat, ſatis oſtendit, ſumma in luce Sanctos illos fuiſſe futuros, ſi beati fuiſſent viſione Dei, neque ullo pacto appellari *tenebroſos theſauros* potuiſſe. *οὐκ ἦλθε*, inquit, *γυμνῇ τῇ θεότητι. εἰ γὰρ γυμνὴν παρεῖχε τὴν θεότητα … ἥλιος ἂν ἐσβέσθη. εἰ γυμνὴν τὴν οὐσίαν ἐπιδεῖξεν, ἡ σελήνη ἂν ἠφανίσθη. Non venit* (Chriſtus in Mundum) NUDA DIVINITATE. *Nam ſi* NUDAM *exhibuiſſet Deitatem* .. SOL CERTE FUISSET EXTINCTUS. SI NUDAM SUBSTANTIAM SUAM MONSTRASSET, LUNA CERTE DISPARUISSET. En qua luce Sancti veteris Teſtamenti in inferis perfuſi non erant, ea ſcilicet luce, cujus comparatione luces ceteræ *extincta*, *diſparentes*, ac proinde tenebrarum inſtar habentur, & qua qui carebant, iidem etſi erant in requie, ac lumine aliquo colluſtrati, tamen *tenebroſi* theſauri & exiſtimabantur, & appellabantur.

Idem de Machabæis a me dictum putato. Nimirum quam hi in tuto martyrii ergo poſuerant, eamdem *ὥσπερ* QUASI fuiſſent adepti coronam, a Chryſoſtomo conſiderabantur. Niſi forte velis eos non in terris, ſed in cælis fuiſſe natos, propterea quod Chryſoſtomus idem de matre illorum ſcripſerit: *ſeptem peperit filios, & nullum peperit terræ; ſed omnes cælo, potius autem regno cælorum, in futuram ipſos omnes enixa vitam*[2]. Neque vero Chryſoſtomus in eo, quo primum abutere, loco ſtatuit, confeſtim eos fuiſſe potitos corona gloriæ conſiſtente in beata viſione Dei. Hoc unum ſtatuit: matrem eorum, TAMQUAM *eos* in tutum *CONCLAVE CÆLUM repoſuiſſet, & ad ſuperas coronas, atque ad immota bona miſiſſet, fidentem multa cum voluptate certamen adiiſſe. ἀλλὰ πάντας αὐτοὺς* ΩΣΠΕΡ *εἰς ἄσυλον ἀποθεμένη ταμεῖον τὸν οὐρανὸν πρὸς τοὺς ἄνω πέμψαντα, καὶ τὰ ἀκίνητα ἀγαθά,*

θαρ-

1 *Num. 1. p. 536. tom. v.*
2 *Homil. 1. de SS. Machabæis n. 3. p. 627. tom. II. edit. ejuſd.*

θαῤῥοῦσα ἐπαπεδύετο μετὰ πολλῆς τῆς ἡδονῆς [1]. Verum Τὸ *tamquam*, ὥσπερ, non *re* eos obtinuiſſe, ſed *ſententia*, *& certa cognitione* coronam, indicat. Quod magis magiſque ex iis, quæ mox Chryſoſtomus adjungit, perſpicitur: Καὶ καθάπερ στεφάνῳ τινὶ τὸν τιμαλφέστατον λίθον, αὐτὴ τὴν σάρκα τὴν ἑαυτῆς τῷ χορῷ τῶν παιδίων ἐναρμόσασα πρὸς τὸν ποθούμενον Ἰησοῦν ἀπεδήμησε, & *tamquam coronæ cuipiam pretioſiſſimum lapidem ſuam ipſa carnem choro filiorum coaptans ad deſideratum* JESUM *profecta eſt*. An tu Chriſtum mortem tunc perpeſſum jam fuiſſe, ac redemiſſe genus hominum, inque ſuam intraſſe gloriam defendes, ut ad eum *deſideratum* proficiſci Machabæorum mater poſſet ſtatim atque perfuncta martyrio eſt? Nam ut Chryſoſtomus *cap.* 1. *Commentarior. in Epiſt. ad Galatas* [2] animadvertit: Τὸ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ ὄνομα μετ᾽ ἀκριβείας ἐξεταζόμενον, τὴν εὐεργεσίαν πᾶσαν ἐνδείκνυται. καὶ γὰρ Ἰησοῦς διὰ τοῦτο κληθήσεται, φησιν, ὅτι αὐτὸς σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. „ Nomen Domini Jeſu Chriſti diligenter expenſum be„ neficentiam omnem demonſtrat. Etenim JESUS ob hoc „ VOCABITUR, *inquit*, quia ipſe SALVABIT popu„ lum ſuum a peccatis eorum „. Quomodo igitur profectam, putas, eam ad *deſideratum Jeſum*, niſi corona in tuto poſita, quam eſſet poſt adventum, mortemque JESU, hoc eſt SERVATORIS Chriſti, conſequutura? Hinc tu quidem intelliges, quorſum ſpectent, quæ Chryſoſtomus ipſe *Homilia* II. de iiſdem Martyribus perſequutus eſt [3].

 At-

1 *Ibid.*

2 *Num.* 3. *p.* 663. *tom.* X.

3 *Num.* 1. *p.* 629. *tom.* II. „ Hoc theatrum adeo præclarum erat, & magnum; „ ut ipſum Angelorum cœtum, immo vero fratres (*frater natu minimus certans*) „ ſpectatores haberet, non jam e terra, ſed e cælis. Coronati enim, ut in „ Olympicis certaminibus, judices conſidebant, non ut certaminum judicio „ præeſſent, verum ut victorem ad accipiendum coronam incitarent „. Ubi hunc Chryſoſtomi locum deſcripſit Anonymus: *All' evidenza*, inquit, *di queſt' ultimo teſtimonio non potè reſiſtere il dottiſſimo Petavio*, che *però*, de Deo, Dei

Atque haud ſcio, cur veteres, qui Apoſtolos, dum viverent, POSSESSORES FUISSE REGNI [1]; ac SIMEONEM eum, qui in ulnas ſuas puerum excepit Chriſtum, Simeonem, inquam, mortalem hanc adhuc degentem vitam, CORONATUM [2] dixerunt; atque eo, qui-

Deique Proprietatibus *lib.* VII. *cap.* XIV. *n.* 10. *ecco, come ingenuamente ſcrive*. » Quid? Quod idem Chryſoſtomus *in homil.* II. *de Machabæis, etiam ante Chriſti adventum, Sanctorum animas in cælo verſatas eſſe, & coronam percepiſſe* » *docet* »: *Che avrebbe mai detto queſto illuſtre Teologo, ſe aveſſe avuto avanti gli occhi que' paſſi del Santo Dottore quì ſopra riportati?* Quid dixiſſet? Illud ipſum quod dixit *lib.* XIII. *de Incarnat.* quem librum longe poſt Tractationem illam *de Deo, Deique proprietatibus* perſcripſit, adeoque rem diligentius expendit: *Cap.* enim XVI. *libri ejuſd.* XIII. *num.* V. *pag.* 362. *tom.* IV. *Theologicor. Dogm. Edit. Pariſ. ann.* 1650. de Chryſoſtomo agens » Iſaiæ locum, inquit, de Chriſto INTELLIGIT, & ejus ad inferos adventu, quos theſauri nomine appellari » idcirco dicit, quod etſi inferi eſſent; *tamen* ANIMAS SANCTAS, & *vaſa* » pretioſa condebant, Abraham, Iſaac, & Jacob ». Quod autem in *lib* VII. *de Deo, Deique proprietatibus* ſcribit Petavius, quo tandem pertinet, niſi, ut ancipitem Johannis Chryſoſtomi animum fuiſſe oſtendat, eſſeque aliqua ejus loca, *in quibus ſuſpenſam ante ultimum judicii diem Sanctorum felicitatem adſtruere videatur pag.* 512. *Edit. Pariſ. an.* 1644. rurſumque illum *hom.* 2. *coronam, etiam ante Chriſtum, Machabæos percepiſſe, docere?* Quid? Anonymus utetur ne hac Petavii *ingenua ſcribendi* ratione, ut Chryſoſtomum in ea re dubium hæſiſſe dicat? An potius Petavio aſſentietur, longe aliam Chryſoſtomo fuiſſe ſententiam *ingenue* ſtatuenti in XIII. *de Incarnatione libro?* Liberior ſane, quam oportebat, fuit interdum Petavius in dijudicandis teſtimoniis SS. Patrum. Notum eſt, quæ ejus fuerit opinio de Patrum Antenicænorum doctrina, quod ad Trinitatis dogma ſpectat. Quam quidem *opinionem* ſuam, a Georgio Bullo, aliiſque vexatam, atque rejectam, etſi non omnino, at aliqua tamen parte retractavit; id quod feciſſe etiam videtur, quod ad rem noſtram attinet, in extremo volumine *Dogmatum Theologicorum, libro*, ut dixi, XVIII. *cap.* XVI. Sed auſcultet Anonymus *illuſtri Theologo, ingenueque ſcribenti* Petavio. Attendat autem quid is *ſcribat*, qui tam fuit in dogmatibus Theologicis diligenter exercitatus: CERTUM EST Chriſtum ad EAM SALTEM inferorum partem VENISSE, IN QUA SANCTI TESTAMENTI VETERIS TAMQUAM CARCERE CLAUDEBANTUR; UT GRÆCI, LATINIQUE TOT A NOBIS RECENSITI PATRES SIGNIFICANT. Proinde CASTIGANDA EST ILLORUM AUDACIA, QUI EOSDEM SANCTOS NEGANT IN SUBTERRANEO ALIQUO RESERVATOS LOCO, IBIQUE INVENTOS A CHRISTO, ET AD PERENNEM GLORIAM REVOCATOS FUISSE, QUOD FIDEI NOSTRÆ EST SATIS. Vide *pag.* 476. *hujuſce operis Not.* 3.

1 Vetus Auctor *Homiliæ in Pentecoſten*, quæ Johanni Chryſoſtomo tribuitur: *tom.* III. *opp. Chryſoſtomi pag.* 789. *edition. ejuſdem*. „ Circuerunt, *inquit*, piſcatores terram, & cum ægram accepiſſent, ad valetudinem reſtituerunt..... » pauperes, & divites, pecunia vacui, ſed τὴν βασιλείαν κατέχοντες REGNUM » POSSIDENTES ».

2 Confer Sermonem CXXVII. *alias* XIII. *de Tempore in Append. opp. S. Auguſtini num.* 3. *pag.* 162. *tom.* V. *edit. Antuerp. an.* 1700. in quo ſic habetur: *A Simeone Sene famoſo, annoſo, probato*, CORONATO *agnoſcebatur*. Tunc *cognovit*, tunc *adoravit*, tunc *dixit*: Nunc Domine dimittis ſervum tuum &c. Quin etiam Auguſtinus *Sermone* CCCLXIX. qui eſt *primus de Nativitate Domini*, eo, quo Chriſtus natus eſt, die *parvulos coronatos*, ſcribit. Quid? eo *ne die* quiſquam fuiſſe in-

quidem dixerunt, quod eos, etſi non *re*, at *ſententia* tamen, *certaque veritate* tum & *poſſeſſores regni* fuiſſe futuros, & CORONA ornandos, ſcirent; haud ſcio, inquam, cur non item in cælis, coronatoſque Machabæos fuiſſe potuerint dicere; quamvis eos Martyres multo poſt & in cælos tranſlatos, & adeptos gloriæ coronam crederent; idque præſertim apud populum eum dicere nequiverint, quem ſæpe, ac multum docuiſſent, proponi quidem vulgo *prolepſi* quadam, ſeu *anticipatione*, ac *ſententia*[1] quidpiam eſſe perfectum, etſi *re*, & *experientia* perfectum non fuerit; neminique ante Chriſti Servatoris mortem ad paradiſum patuiſſe aditum[2]; ſed omnes, quantalibet innocentia præſtitiſſent, ad inferos fuiſſe tranſductos, ibique expectaſſe Reparatorem generis humani, qui ipſis *Solis* juſtitiæ lucem afferret.

Sed auctoritate Chryſoſtomi pugnat Feltrius, infantes Herodis juſſu iteremtos *tempore uno* & *naſcendo ingreſſos mundum*, & moriendo *dedicaſſe martyrio cælum*, *æternamque vitam temporali morte commutaſſe*[3]. Verum pace Feltrii hoc dictum volo, *Homilia* illa, ut & ceteræ, quæ *ex variis in Matthæum locis* excerptæ dicuntur, extantque in Chryſoſtomi operum latinis editionibus, ut in Frobeniana, inque ea, quæ curata Venetiis anno 1583.[4] fuit; homiliæ, inquam, illæ Chryſoſtomi non ſunt; & ſunt fortaſſe a Scriptore quopiam Latino compoſitæ[5]; neque

infantes ab Herode interfectos proinde credidit? Minime gentium. Verba S. Doctoris ſunt hujuſmodi: » Merito cæli locuti ſunt, Angeli gratulati, Paſtores *lætati*, » *Magi invitati*, *Reges turbati*, PARVULI CORONATI ». Mitto exempla cetera, ne longus ſim.

1 Vide locum Chryſoſtomi, quem deſcripſi *pag. hujuſce operis* 948. *ſq.*

2 Confer Chryſoſtomi teſtimonia *pag.* 176. *ſeqq.* 948. *ſeq. hujuſce operis*.

3 Feltrius *pag.* 36. *in not.*

4 *Pag.* 185. *ſeqq. tom.* II.

5 Has merces cum Feltrius venditet, tum audet *p.* 32. fidenter negare, Homiliam Panegyticam de SS. Bernice, Proſdoce, & Domnina eſſe Chryſoſtomi genuinum opus. Scilicet quam in Chryſoſtomi dogmatibus verſatus is homo ſit, video; quanta vero ſit græci ſermonis, dignoſcendæque adeo rationis ſcribendi, qua uti græci Patres conſueverant, facultate, nihil attinet dicere. Sed is, tamen orationem, quam viri quique græce docti, criticæque artis peritia illuſtres a Chryſoſtomo fuiſſe perſcriptam docent, Chryſoſtomo fidenter adimi jubet; propterea quod & inimica Cadonicianis portentis opinionum ſit, & ſpuria proinde neſcio cui videatur ami-

neque tamen, ſi eſſent illæ Homiliæ Chryſoſtomi, mihi quidquam

co ſuo . Contra, Chryſoſtomo attribuit collectionem *eam Homiliarum ex variis in Matthæum locis*, quæ diſſimili ſunt oratione, ac ſtilo, immo quæ magnam partem (ut etiam tertia illa, qua adverſarius idem abutitur) non a Græco, ſed ab Latino quopiam Scriptore non tam verere compoſitæ ſunt, quarumque aliquæ ſunt ex ignoti Auctoris Operis imperfecti Chryſoſtomo falſo adſcripti homiliis acceptæ; quam quidem collectionem indignam diligentiores Chryſoſtomi operum editores putarunt, quæ vel in Appendicibus, quibus notha opuſcula continentur, obtineret locum . Caput autem illud, quod ex ea *Homilia ſpuria*, quæ numero tertia eſt, *tom. II. opp. Chryſoſt. edit. Venetæ an.*1583. *pag.* 387. *verſa*, quamque nobis, quaſi Chryſoſtomi revera ſit, objicit Feltrius, eſt hujuſmodi: *Expugnant tempore uno nativitatem, & mortem, ingreſſum, & exitum; principium, & occaſum, ut ipſis poſſet tempore uno (ut dixi) contingere & naſcendo ingredi mundum, & dedicaſſe martyrio cælum. Merentur pæna martyrium, gloriam ſanguine comparant, æternam vitam temporali morte commutant... Tranſmittit infantes infans Chriſtus ad cælum, nova xenia Patri, primitias fructuum exhibuit genitori.*

Jam Oratio de *SS. Bernice, Proſdoce, & Domnina* Feltrio moleſta eſt, quod in ea legat ſcriptum, *formidabile* veteribus Patriarchis *fuiſſe mori*, Paulo vero *melius*, illis *injucundum*, huic *jucundum*. *Ac merito ſane. Olim enim ad infernum mors deducebat; nunc autem ad Chriſtum mors tranſmittit*. Itaque ut ea ſe moleſtia Feltrius liberet, *hoc nunc ſit reſponſum*, inquit, *concionem illam Panegyricam genuinum fœtum Chryſoſtomi non eſſe, ex eo potiſſimum, quod doctrinæ ibi agantur nulli ſapienti Catholico probandæ. Res manifeſta fiet ex iis, quæ doctiſſimus vir, mihique amiciſſimus propediem emiſſurus eſt in lucem*. Sed iſta licentia eos libros in ſpurios rejiciendi, in quibus tibi *doctrinæ agi nulli Catholico probandæ* videanrur, iſta, inquam, licentia eo demum erumpet, nullum ut ſit, te judice, opus Veterum, quod errorum plenum, proptereaque in adulterinis numerandum non putes. Neque deerit *doctiſſimo* illi *amico tuo* Auctor, quem ſequatur. Sed hoc inter Auctorem illum, virumquem iſtum, quem *doctiſſimum* vocas, intererit. Ille notus omnibus, ſummo ingenio, incredibili eruditione, linguarum latinæ, græcæ, hebraicæ peritia ſingulari. Tuus iſte cujuſmodi ſit, tute videris, Cadonicus fortaſſe erit: Nam hunc abs te *doctiſſimum* appellari intelligo, *& emunctæ naris*. Atque Auctor ille prior reprehenſus etiam a veſtris eſt. Quid iſti eveniet *doctiſſimo* veſtro? Parces ei, credo. Parces autem? Immo vero maximam ei tribues laudem. *Amiciſſimus* enim tibi cum ſit, *doctiſſimus* item habeatur, neceſſe eſt, nihilque non aget erudite, apteque ad artis criticæ canones. Somnia. Sed annon intelligis, te, ſi eo nomine *Orationem* illam *Panegyricam* de SS. *Bernice, Proſdoce, & Domnina* in ſpuriis numerandam cenſes, propterea quod in ea ſtatuatur: *mortem olim deduxiſſe ad inferna*; te, inquam, eſſe item Homiliam Chryſoſtomi XLV. in Geneſim, Homiliam XIX. in cap. X. Epiſt. ad Hebræos, aliaque opuſcula, quæ eadem omnino continent, in adulterina rejecturum? Vide quæ ſcripſimus ſupra *pag.* 579. *not.* 3. *& pag.* 581. *not.*1. *& p.*582. *not.*2. Quid autem illud eſt, quod nos Feltri, hortare, ut ne urgeamus, *pag.* 20. *not.* 1. Diſſertationis tuæ? An de *timore mortis* tunc, cum adhuc Chriſtus expectaretur, invaleſcente, propterea quod mors ad inferna duceret, non agunt Patres, ut Chryſoſtomus, quod vidimus, ut Hieronymus etiam (vide *p.*573. *ſeq. huj. oper.*) ut alii? Argumentum ne, quod a Patribus accepimus, id tu novus magiſter, caves, ne *urgeamus*? At Hilarius de Davide neſcio quid contra ſtatuit. Nihil minus. Nam Hilarius, & Chryſoſtomus etiam alicubi, Davidem conſiderant, ut ad locum ſecuritatis properantem, & hoc pacto concupiviſſe diſſolvi animadvertunt; aliquando autem illum ipſum in eo ſtatu contemplantur, quo erat in inferis, expers viſionis Dei diu futurus, nempe ad Chriſti mortem; atque hac conſideratione eum exhibent, ut interitum metuentem. Nam res eadem diverſis ſpectata modis diverſas affectiones, motuſque animi diverſos excitat, quod & Patres ſciebant, & eſt notiſſimum.

quam negotii exhiberent, ut qui ſciam, Scriptores Eccleſiaſticos in laudationibus præſertim Sanctorum, ea uti facta ſæpe deſcribere, quæ eo tempore, de quo agunt, etſi facta nondum fuiſſent, propterea tamen quod in tuto jam eſſent conſtituta, fierique debebant, ſed tempore, uti facta conſiderabantur. Quod cum Chryſoſtomi, Auguſtini, aliorumque auctoritate oſtenſum hactenus fuerit; non eſt cur mihi rurſum illius oſtendendi laborem ſumam. Atque ille quidem ipſe Homiliarum *de variis in Matthæum locis* conſarcinator, quem pro Chryſoſtomo nobis Feltrius venditat, ea in Domini Jeſu ortu fuiſſe perfecta narrat [1], quæ ante contigerant, Scriptorum nempe Eccleſiaſticorum exemplum imitatus, res præteritas, futuraſve, quaſi præſentes ſint, deſcribentium. Ac de Chryſoſtomo, eique falſo adſcriptis opuſculis, quibus adverſarii abutuntur, ſatis me dixiſſe arbitror.

CAPUT IV.

I. De Patribus ceteris breviter agitur. II. De reatu temporario excluſionis e regno Dei, quo Sancti Veteris Teſtamenti ad Chriſti uſque Servatoris mortem tenebantur. III. De damni pœna, quam in Sanctis iiſdem ſummam fuiſſe futuram, Cadonicus prædicat. IV. De dogmate, quod eſt de purgatorio, quodque confirmari ſua opinione Cadoniciani pugnant.

QUo ſtudio Johannes Cadonicus, quique ei aſſenſus eſt, Anonymus ſex Epiſtolarum italice Venetiis editarum Scriptor, qua diligentia, qua fide in Auguſtini, Hilarii, Johannis Chryſoſtomi teſtimoniis promendis, explicandis, objiciendis verſati fuerint, ſuperioribus capitibus demonſtratum eſt. Sequitur, ut quæ Anonymus idem de Patribus ceteris, deque capitibus quibuſdam doctrinæ diſputet, videamus. Atque id equidem & bre-

1 *Homil.* 1. p. 385.

& breviter, cum opus multis non ſit; & planiſſime, uti quidem eſt opus, exponam.

§. I.

De Patribus ceteris agitur, quorum perſpicua teſtimonia adverſarii implicare ſtudent.

Qui Anonymi Epiſtolam IV. [1] legerit, certe exiſtimabit, hoc ei fuiſſe propoſitum, ut Patres quoſque a communi orthodoxorum doctrina (quæ eſt de Sanctis Veteris Teſtamenti, ante Chriſtum, expertibus viſionis Dei) abhorruiſſe, longeque diſtaſſe oſtenderet. Ab Catholico autem id opinionis portentum tradi, quis ferat, ex quo plane ſit conſequens, Eccleſias Chriſti ubique terrarum conſtitutas a majorum dogmate deſciviſſe, adeoque in errore verſari, atque ita quidem verſari, ut eo etiam alumnos ſuos adultos ætate, pueros, ſummos, infimos imbuere conentur? Nam ſi majores noſtri Albertinos, Chamieros, Gerardos, alios denique homines de ſectis Proteſtantium, quibus nulla erat cum Eccleſia Catholica conſociatio, ſi hos, inquam (propterea quod Patres Eccleſiis Catholicis eripere novis interpretationibus adhibitis ſtuduiſſent) majores noſtri indigne adeo paſſi ſunt, ut diris devotos, totis eſſe voluminibus concidendos putaverint; non equidem intelligo, ut ferendus moderate ſit is, qui cum in Eccleſia Catholica ſit, tum idem atque Proteſtantes illi, in re præſertim doctrinæ, efficere non vereatur. Ac ſi de uno, alteroque Doctore Eccleſiæ ageret, ejuſque ſententias, quas antehac nemo introſpexiſſet, nunc demum ſibi compertas eſſe cœpiſſe jactaret, etſi haud leve id quidem, at tolerabile fortaſſe cuiquam videri poſſet. Sed cum omnes cœtus Catholicorum tamdiu, tam univerſe, in tanta rerum ignoratione verſatos fuiſſe,

[1] *Pag. 26. ſeq.*

fuiſſe, verſarique defendat, ut nullus ante hoc tempus inventus fuerit, qui non ab omnium Patrum ſenſu diſcreparit; ecquis erit, qui iſta jactanti eſſe indulgendum arbitretur?

Verumtamen, quibus id argumentis innixus, ſtatuat, conſideremus. Patrum ſeculi I. & II. teſtimonia negat eſſe *clara*. Quaſi vero etiamſi clara non eſſent, ea contorquere liceret in alienam ab Eccleſiæ doctrina ſententiam. Sed ſunt ea perſpicua, ut plane hujus operis *pag.* 510. *& ſeqq.* conſtitit. Quod ad Juſtinum Martyrem, atque ad Irenæum attinet, quos Anonymus nondum a millenariſmi nota ſatis vindicatos ſtatuit, ſic attendat: hoc item nomine commune magis magiſque confirmari dogma. Nam etſi aliqui II. III. & ſeqq. ſeculis eſſent, qui Sanctis viſionem Dei differri ad judicii diem defenderent, & millenariſmum probarent, eaque de re non parva tunc ætatis eſſet diſſenſio; tamen omnes uno ore, & millenarii, & non millenarii, Sanctorum Veteris Teſtamenti animas in inferis fuiſſe, credebant, ibique expectaſſe generis humani Reparatorem. Hoc ex Juſtini, hoc ex Irenæi, hoc ex ceterorum operibus liquet, ut libro ſuperiore oſtendimus. Cum igitur omnes in Eccleſia Catholica, excepto nemine, jam inde a primis temporibus id defenderint, ſemperque tradiderint, atque inculcarint; latius propagatum id ſane extremum, notiuſque habuerint, neceſſe eſt, quam alterum illud dogma de viſione Dei non differenda ad judicii diem. Quod autem tam vetus, tam late propagatum, tanto ſtudio ſemper traditum, propoſitumque tanta concordia eſt, e rerum numero, quas certas habere oporteat, cuinam tandem excludere licebit? Sed Anonymi, adverſariorumque ceterorum a communi ſenſu abhorrens ratio eſt, ut cum illud de viſione Dei non differenda Sanctis ad judicii diem (de quo fuit aliquando inter Eccleſiaſticos Scriptores diſſenſio) in dogmatibus religionis numerandum, recte quidem credant;

dant; tum illud credendum, haud ſane recte, non arbitrentur, de quo numquam eſt dubitatum. Quamquam fuiſſe aliquos intelligo, qui Juſtinum Sanctis, poſt Chriſti mortem, conceſſiſſe viſionem Dei, defenderent; quibus eo eſt magis auſcultandum, quo vacui, liberique ab omni contentionis, partiumque ſtudio fuerint [1]. De Tertulliano, de Cypriano, de Clemente Alexandrino, de Origene, de Zenone Veronenſi, de Gregorio Nyſſeno, de Athanaſio, nonnulliſque aliis Patribus, quæ Anonymus turbat, ea fere animadverſionibus Feltrianis, Cadonicianiſque, quas hactenus refutavimus, continentur; ſuntque inania, ut ex locis eorumdem Patrum, quæ ipſi *pag.* 526. *ſeqq.* hujuſce operis produximus, intelligi plane poteſt. Quodſi quid in iis locis eſſet obſcuri, id innumerabilibus prope aliis, quæ ibidem deſcripta a nobis ſunt, conſenſioneque Eccleſiarum, quæ ſane eſt maxima, non arbitratu Cadonicianorum eſſet explicandum. His autem tot majorum teſtimoniis, atque huic tantæ omnium Eccleſiarum conſenſioni quid opponere adverſarii queant, dum expecto; ad reliqua capita argumentorum, quibus Cadonicus confidit, refellenda me conferam.

§. II.

De reatu temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei, quo Sancti Veteris Teſtamenti, ante Chriſti mortem tenebantur.

Johannes Cadonicus in eo opere, quod inſcripſit: *D. Aurelii Auguſtini, quæ videtur, ſententia &c. cap.* IX. [2], rea-

1 Mairanus Monachus Congregationis S. Mauri, qui tantum ſtudii, ac laboris curandæ novæ Juſtini operum editionis impendit; *in Præfat. ad opera S. ejuſdem c.* XII. *p.* XLIX. *edit. Venetæ operum ejus Martyris*:„ Quæ, *inquit*, de Sancto„ rum, ante Incarnationem, ſtatu dixit Juſtinus, ea IMMERITO NONNUL„ LI exiſtimarunt „ (ut *immerito* id nunc Anonymus objicit) „ de his etiam, „ qui poſt Chriſti aſcenſionem obierunt, dicta eſſe ..... Quod autem ſpectat „ ad Sanctos poſt Chriſti aſcenſionem mortuos ... *eorum animas* beatitudine „ æterna, & Dei viſione perfrui non obſcure declarat in utraque Apologia &c.

2 *Pag.* 86. *ſeqq.*

reatum ejuſmodi commenticium eſſe, atque inanem putat. Eo autem rei illius confirmandæ cauſſa argumento omnino utitur, quo ſunt Proteſtantes uſi, qui communem de limbo Patrum ſententiam omnium Catholicorum rejiciunt. Sed ut magis, magiſque conſtet, non ſolum dogma ſuum a Proteſtantibus quaſi mutuatum Cadonicum fuiſſe, ſed etiam argumenta; rogatos lectores volo, ut ad ea attendere ne graventur, quæ Johannes Kuchlinus Batavus in Adnotationibus ad Catechiſmum Pſeudo-Eccleſiarum Hollandicarum, & Weſtphriſiacarum complexus eſt. Atque hujus quidem locum ex iiſdem Adnotationibus integrum deſcripſi libro hujuſce Operis primo [1]. Jam vero ratio, qua ille (uti quidem ſe jactat, *adverſus Pontificios diſputans in hoc*, quod eſt *de deſcenſu Chriſti ad limbum Patrum, conſentientes*, & *fidei neceſſitatem ponentes*) confidit, hujuſmodi eſt: *Patres habuerunt nobiſcum eamdem fidem juſtificantem, idem fidei ſuæ objectum, eumdem Chriſtum. Ergo a Chriſto per fidem eorumdem etiam beneficiorum facti fuerunt participes, & per conſequens, prout nos, ſtatim a morte in vitam tranſierunt. Nec obſtat, quod Chriſtus nondum erat paſſus. Paſſio enim ipſius jam erat efficax*. Eodem recidunt momenta argumentorum, quibus etiam Johannes Gerardus vir item e numero Proteſtantium nititur. Nam *Confeſſion. Catholic. tom.* II. [2]. Opinio, *inquit*, Catholicorum *extenuat meritum Chriſti, quaſi illius virtus non redundaverit ad Patres Veteris Teſtamenti, cum tamen agnus dicatur occiſus ab origine mundi; & Chriſtus Jeſus heri, & hodie, & in ſecula. Eadem labefactat unitatem fidei, ac ſpei, quæ viget inter pios. Si enim non eſt eadem ſalus; ergo nec eadem juſtificatio. Si non eadem juſtificatio, ergo nec eadem fides*. Et non poſt multo [3]: Catholici, inquit, *agnoſcunt, Sanctos Veteris Teſtamenti æque ac nos fide in Chri-*

ffffff 2 *ſtum*

1 *Pag.* 376. *not.* 2.
2 *Lib.* II. *Art.* 1. *cap.* III. *p.* 312. *edit. Jenen. an.* 1661.
3 *Ibid. n.* 3. *p.* 323.

ſtum fuiſſe juſtificatos. Si enim æque ac nos in Novo Teſtamento fide in Chriſtum juſtificati fuerunt; ergo etiam eumdem fidei fructum videlicet beatitudinem in VISIONE DEI CONSISTENTEM IMMEDIATE POST MORTEM CONSEQUUTI SUNT. Ades nunc, lector, animo, confer cum his rationem Cadonici. Is *in Epiſtola ad Dalhamum*: „ Unum dicamus, *inquit*, gratiam nempe Dei efficacem, „ atque ſanctificantem, ſine qua filii, & amici Dei fieri „ non poterant antiqui Sancti, gratiam iſtam, inquam, „ juxta Divi Auguſtini mentem ſingillatim explicatam, „ nonnihil pati ab hac Scholis invecta doctrina circa „ Sanctos Antiqui Teſtamenti. Aliam quippe gratiam, „ aliud præmium, Doctore Auguſtino, conſequuti ſunt, „ quam illis tribuant Scholaſtici limbum propugnantes. „ Id patebit; unde a te ipſo concludas, non ſatis uti„ liter a noſtris gratiam hanc propugnari poſt Evange„ lium prædicatum, qûin eamdem juxta omnimodam „ vim ſuam, quoad animarum veram ſalutem, Sanctis „ antiquis communicare decernant [1] „. Et paulo ante orthodoxorum omnium ſententia, quam Cadonicus vocat *Scholaſticorum*, conſtituta, neceſſe fore ait ponere: „ multum diſtare inter Evangelicorum Sanctorum juſti„ tiam, & eorum, qui ante ea tempora Deum colue„ runt. Noſtra namque juſtitia, quæ ſcilicet nobis ab „ eodem uno Deo eſt, animas ea ornatas ſtatim a morte „ corporis ad conſpectum advocat Summi Dei, cum ju„ ſtitiæ antiquorum ea eſſet natura, ut & juſtos ſimul ho„ mines efficeret, & Dei conſpectu indignos &c. [2] „ Idem in opere: *de Divi Aurelii Auguſtini, qua videtur, ſententia, cap.* X. [3] oſtenſurus nihil eſſe cauſſæ, quam ob rem animæ Sanctorum Veteris Teſtamenti, ſimulac illi mortalem hanc vitam vivere deſierunt, Deum *ſicut eſt* non viderint: „ Ipſæ namque, *inquit*, hujus beneficii capaces factæ erant „ per

1 Vide *hujuſce operis p.* 44. *in not.*
2 *Ibid. p.*43. *in not.*
3 *Num.* XII. *p.* 84.

„ per gratiam Dei in remiſſione peccatorum. *Non enim* „ *niſi peccatis homines ſeparantur a Deo*. Itaque animæ ex „ impiis effectæ piæ propter juſtitiam fidei, vere dice- „ bantur a morte revixiſſe, atque vivere.... Idcirco „ ſicuti renovationem, quæ ad ſpiritum pertinet, non- „ niſi per merita Chriſti venturi largitus eſt idem Deus „ antiquæ legis hominibus; ita per mortem Chriſti ſecu- „ tam, ejuſque glorioſam aſcenſionem in cælum, tum ſo- „ lutum eſt pretium jam factæ, atque faciendæ redem- „ tionis animarum; tum alteri etiam parti ſubſtantiæ hu- „ manæ proviſum eſt; atque adeo tota natura humana .... „ fuit abſoluta &c. „. Jam quiſque perſpicit, tam eſſe hanc Cadonici rationem rationi Kuchilinianæ, Gerardianæque ſimilem, quam ovum, ovo. Hoc tamen inter Proteſtantes illos duos, Cadonicumque intereſt. Illi *contra Catholicos omnes* iis ſe rationum momentis agere profitentur, quod verum eſt: hic *contra* SCHOLAS, quod item eſt verum: ſed tacet, quod eſt de pugna cum Catholicis univerſis ſua, non quo neſciat, ſibi cum his omnibus certamen eſſe; ſed quo vereatur, ne, id ſi dicat, in invidiam vocetur violatæ doctrinæ Eccleſiarum. Quaſi vero tam ſint inepti Catholici, ut ei qui ipſos revera oppugnet, parcendum; contra, ei, qui dicat ab ſe Catholicos oppugnari, minime parcendum arbitrentur.

Sed quid tu? inquiet Cadonicus, quid his objectis ab [1] hoc tam *utili ſtudio, ſaltemque a collectionibus meis legendis avertere* curas Lectores tuos? Ita ne vero, Cadonice? Omnis ne iſta ſtudiorum eo demum revolvetur utilitas, ut Catholicorum quotcumque doctrinam Conſtitutionibus Pontificum Maximorum, Formulis etiam profeſſionis fidei, Synodorum Decretis comprehenſam, qua ubique gentium vel pueri ipſi, neophyti, catechumeni in Eccleſia Chriſti ſunt inſtituti, refellere; novaque

1 *In Animadv. ad lib. P. Faſſonii num.164. qua extant in extremo opere Cadonici. De D. Auguſt. qua videtur ſententia p.351.*

que dogmata, Auguſtini nomine, inducere conere, cavereque majorem in modum, ne quis fontes, e quibus ſunt hauſta, indicet, neu lectores ſuos a *Collectionibus*, quibus continentur, *legendis* deterreat?

At ego, inquis, iſtiuſmodi hæreticorum opera non legi [1]. Quaſi vero ei, qui Calvini libros non legerit, fas ſit Calvini inimica doctrinæ Catholicæ dogmata conſectari; iiſque liceat iraſci, qui ſuos lectores hortentur, ut ſibi ab inanibus iiſdem dogmatibus caveant. Næ tu, ſi ſapies, Cadonice, omittes rationem iſtam excuſandi tui. Sed heus tu, an quia eorum hæreticorum opera non legiſti, novamque eſſe putaſti opinionem tuam; ne ſuſpicatus quidem es, nihil tam eſſe novum, tamque abſurdum, quod non uni alicui novatorum aliquando probatum fuerit? Quin etiam, cum tibi amici tui vehementer, ut fatere, auctores eſſent, ut ne iſtam opinionem promeres, ne novitate rei in erroris invidiam vocarere; an tibi non venit in mentem, cupidum aliquem fuiſſe novarum rerum, qui paria cum ſenſerit, in parem fuerit vocatus invidiam? Cur an fuerit, non inveſtigaſti? Inveſtigando enim non unum, ſed plures inveniſſes, qui dogma iſtud tuum contra Eccleſiam Catholicam ab ſe defendi gloriarentur.

Atqui, inquis, *ſatius eſt animum bonis paſcere præceptis, quam malis perturbare doctrinis*. Quid hoc ad rem? *In bonis*, credo, *præceptis* numeras oppugnationem doctrinæ, quam orthodoxi quique in Eccleſia Chriſti didicerint *ſuorum* etiam *rudimentorum temporibus*. Quid autem iſtud *de malis doctrinis* eſt? *Perturbari* ne *animo* quemquam *malis doctrinis* putas, eas ſi in operibus hæreticorum legat; ſin autem non legat, ſed re tamen ipſa conſectetur, non item? Tu vero quid agis, Cadonice? Patiar te non legiſſe libros hæreticorum; verum negare non potes, illud te tueri, quod hæretici iiſdem, atque

1 Cadonicus *ibid.*

atque tu, freti momentis inanium argumentorum, ſuis in libris tueri contra Catholicorum dogma profitentur.

Atenim *quidquid ſcripſi*, inquis, *ex immaculato fonte Sancti Auguſtini pro viribus derivare curavi*. Iſtuc ſane tu videris. Sed noſti, quam alii item libenter eamdem iſtam cantilenam canant. Nam horum tibi me aliquos numeraſſe memini primo hujuſce libri ſecundi capite *p.* 682. *& ſeq.*

Pergis tamen, atque Auguſtini, inquis, *documentis imbutus numquam cogitaſſem vituperare hæreticos, quod optimo cuique patere cælum dixerint, etiam ante Chriſti mortem.* Equidem Cadonice, ſi dixeris, non intellexiſſe te Auguſtini documenta, deceptum eſſe, erraſſe, patiar; ſin perſtes, atque Auguſtini te documentis imbutum in iſtam ſententiam veniſſe pergas dicere, profecto non patiar. Documentis enim Auguſtini quemquam imbutum contra doctrinam omnium Chriſti Eccleſiarum pugnare, impune dici, qui feram? Ferres ne tu illum, qui teſtaretur, *ſe documentis Auguſtini imbutum numquam cogitaſſe vituperare hæreticos, quod differri Sanctis ad judicii diem Dei viſionem dixerint?* Sed is contra dogmata ab Eccleſia definita pugnaret, neque ei Auguſtinus præſidio reipſa eſſet. Eſt ne is S. Doctor tibi præſidio? Ita, inquies, *videtur parvitati meæ.* Quid? Annon etiam alter ille, ſuo judicio, Auguſtinianus ita jactaret videri *parvitati ſuæ*? Quam autem tibi eſſe Auguſtinus adjumento nequeat, demonſtratum eſt. Deinde, Catholici ne iſtud eſſe proprium cenſes, definitione Eccleſiæ moveri; conſenſionem negligere? In quo te cœtu vivere dicam, ſi neſcias, quantum valuerit ſemper, valeat, valereque perpetuo debeat, quantumque obtineat auctoritatis Eccleſiarum in re doctrinæ, præſertim autem in Symboli articulis interpretandis conſenſio?

Immo, (ſic enim addis) *etiam lucrum putaſſem, eos hæreticos capere in ſermone.* Mitte iſtud, Cadonice. Tune *hæreticos in ſermone capias*, cui providendum ſit, ne eorum hoc in quæſtionis

ſtionis genere ſermonibus captus eſſe videare? Quemadmodum autem eos capies? *Qui enim*, inquis, *hoc præmium ante Chriſti paſſionem concedunt juſtis, improbe illud differrent Sanctis Evangelicis uſque ad Judicium extremum, & Lutherum, Calvinumque deſererent in hoc magno retributionis articulo*. Euge Cadonice. Jam hi hæretici toti ſunt tui. Ne time. Id facile ex eorum dictis, quæ hoc capite, quæque priore hujus operis libro deſcripſi, cognoſces.

Verum prome argumenta, quibus eo reatus genere Sanctos Veteris Teſtamenti ſolvi oportuiſſe arbitrare. Teſte, inquis, Thoma, a *Theologis omnibus veluti*[1] *extra controverſiam tenetur, Circumciſione* fuiſſe *remiſſum originale peccatum, nec non per fidem abſque circumciſione in feminis &c.* Jam hoc tibi eſſe ultro conceſſum, ſcito. Perge[2]. *Huic Theologorum conſenſui fundamentum ſuppeditat præclariſſima Apoſtoli auctoritas*. Novi id equidem. Quid morare[3]? *Hinc*, addis, *minus audiendi videntur, qui contenderunt, circumciſione ſignificari non peccatorum purgationem jam factam*, ſed *ſolum faciendam*. Ne cunctare. Jam hos non ſolum non VIDERI, ſed ne eſſe quidem ullo modo *audiendos* ſtatuo. Itaque perfice, quod te cœpiſſe profiteris. Iſtuc propero, inquis[4]: *Quum igitur negari non poſſit, antiquos homines remiſſionem peccatorum recepiſſe per fidem in Chriſtum venturum, quia ſcilicet, ut S. Thomas explicat*[5] „ Juſtitia erat ex fide ſignificata, non ex circumci„ ſione ſignificante „: *Ideo homines in circumciſione, vel in fide abſque circumciſione (dummodo poſſent, nec contemnerent obedire præcepto) remiſſionem culpæ, & pœnæ conſequebantur* „. Cujuſnam pœnæ, quæſo? Temporariæ ne

1 Dele Cadonice, τὸ *veluti*. Thomas III. *P.* LXX. *Art.* IV. *in corp.* id *veluti* non adhibet. *Reſpondeo*, inquit, *dicendum, quod ab omnibus communiter ponitur, quod in circumciſione peccatum origin ale remittebatur*.

2 Cadonicus *de D. Aurelii Auguſtini, quæ videtur ſententia*. *Cap.* IX. *num.* IV. *ſeq.* *pag.* 69.

3 *Ibid. num.* 6.

4 *Ibid. num.* 8. *pag.* 70.

5 III *P. Q.* LXX. *Art.* IV. *in corp.*

ne excluſionis e regno Dei? Temporariæ, inquis. Nam *S. Doctor hoc diſcrimen aſſignat*,, quod pro actualibus pecca-
,, tis & culpæ,& pœnæ remiſſio fiebat; pro ORIGINALI
,, vero, culpa tantum remittebatur, non item pœna [1] ,,.
Hæc ſunt ejus verba. In quo tamen hujuſmodi pœna conſiſteret, explicat tum hoc loco dicens: ,, Quod reatu origi-
,, nalis peccati excludebantur a vita gloriæ ,,: *tum etiam quæſt.* LXX. *art.* IV. Mox addis: *Si hic ſolus D. Thomæ textus occurreret, circa reatum peccati originalis antiquis animabus poſt mortem ſolvendum, facillime interpretari poſſem mentem ejus, atque oſtendere, eum cum ſententia D. Auguſtini aliquo pacto convenire*. D. Auguſtini? Tua, debuiſti ſcribere. Nam Auguſtini longe eſt a tua diſtans ſententia. Sed hac de re dictum alias eſt diligenter. Nunc quid vis tibi? *Facillime*, inquis, *interpretari mentem Thomæ poſſem*. Tune mihi interpretandarum mentium, ſecus atque ipſæ patiantur, tuam facultatem narras? Scio, quam ſit excellens. At *obnoxias*, inquis, *doloribus Sanctorum* Veteris Teſt. *animas ob gloriæ dilationem, aſſerit S. Thomas, cauſſa deſumta a reatu originalis peccati naturæ humanæ incumbente*; quare *inquirendum eſt, utrum hic reatus inhærere poſſet animabus procul dubio per gratiam Dei juſtificatis*. Quærito tu quidem, modo fateare, teſte Thoma, *Sanctos eoſdem*, etſi ob dilationem gloriæ triſtes fuerint, ob *ſpem* tamen ejuſdem gloriæ obtinendæ certam, MAGNUM GAUDIUM HABUISSE. Fateor, inquies. Recte ſane. Nunc expecto, quid poſſis efficere. *Duas tantum*, inquis, *primo peccato pœnas incurriſſe Adam, & totum in ipſo genus humanum in Scripturis Sacris invenio, æternam unam tam pro anima, quam pro corpore, niſi peccatum illud remitteretur a Deo; temporalem alteram, animæque, dum in corpore vivit, aſſiduam, quæ nonniſi corporali morte perſolvitur cum ipſius animæ paſſione, ac mœſtitia*. Non iſtud quærimus, Cadonice. Non enim quid tu, ſed quid Patres, quid Ec-

1 *Ibid. Q.* LII. *Art.* V.

cleſiæ omnes in Scripturis invenerint, hoc nobis ſcito eſſe curæ. *Ac animæ hæc pœna*, inquis *n.* XI., *quantacumque ſit, luenda ſupereſt, vel ſi ab originali peccato non abſolvatur*, VEL SI ISTUD DIMITTAT DEUS. Quæ pœna iſta eſt, quam ferre quis debeat, ſi ei *peccatum* dimittat Deus? Æterna ne? Nam duarum pœnarum meminiſti; *æterna* unius, *temporalis* alterius; deincepſque aſſumſiſti tibi, *hanc pœnam* laturum hominem, etiamſi ſolutus peccato fuerit. *Hujus* autem *pœnæ* nomine utramque ne pœnam illam, an earum alterutram, & quam denique earum duarum ſignificari velis, non indicas. *Temporalem*, dices. Sat habeo. Iſtam igitur ſecundam, nempe *temporalem*, *in Scripturis* invenis. Sic eſt, inquis. Optime. Quænam iſta eſt? *Animæ*, inquis, *dum in corpore vivit, aſſidua, quæ nonniſi corporali morte perſolvitur cum ipſius animæ paſſione, ac mæſtitia*. Cedo Scripturæ locum, quo effici poſſe judicas, dari *aſſiduam illam animæ* pœnam, dum in corpore *vivit, cum ipſius animæ paſſione, atque mæſtitia*: Apoſtolus, inquis, in Epiſtola ad Romanos *cap.* V. *v.* 12. *Per unum hominem*, ait, *peccatum intraſſe in mundum, & per peccatum mortem, & ſic in omnes omnes homines pertranſiiſſe, in quo omnes peccaverunt*. Non quæram, quo demum modo hunc locum unus aliquis SS. Patrum interpretetur. Non enim imitari te volo, unius interpretationem aliorum interpretationi opponentem. Hoc dico, mortis quidem ab Apoſtolo eo in loco mentionem fieri; *aſſiduitatis autem pœnæ illius, cum ipſius animæ paſſione, ac mæſtitia*, non item. At ſunt alia Scripturæ loca, in quibus ejus rei fit mentio. Quid? Annon ſunt etiam Scripturæ loca, quæ piis Vet. Teſtam. Adæ peccati cauſſa fuiſſe occluſum paradiſum, efficiant, non aperiendum ad mortem Chriſti? At explicari aliter poſſunt. Quaſi vero, quod tu aliter explices, id vim amittat confirmandi, quod Eccleſiarum omnium probat conſenſio. Sed age, adducito alia illa Scripturæ teſtimonia, in quibus, quod dicebas, inveneris. Mul-

Multis tu quidem verbis rem perſequere : affers ſcilicet Auguſtini ex IV. *de Trinitate* [1], *ex* XXII. *de Civitate Dei* [2], ex I. *Retractationum* [3], & ex II. *Quæſtionum Evangelicarum* [4] trita ſermone Theologorum loca de omnium vitæ hujus malorum cauſſa, quibus ego ſectator nimirum Thomæ, atque adeo vere Auguſtinianus, libens aſſentior; ſed Scripturarum, in quibus iſta te reperiſſe ajebas, teſtimonium nullum affers. Non ſum neſcius afferri quædam a Theologis Catholicis ſolere plane manifeſta: verum ſi tua probetur interpretandorum ſacrorum Bibliorum ratio, nihil hinc licebit efficere, quod ad demonſtrandam conferat originem tot incommodorum. Nam eſt is, velut ex opere poſtremo tuo intelligitur, etſi non verbo, re tamen abs te conſtitutus canon; ſi ullus ſit Sacrorum Bibliorum locus, quem Patrum aliquis aliorſum acceperit, atque accipi ab aliis Patribus, Theologiſque catholicis ſoleat, etſi Pater idem communem interpretationem non reſpuat, tamen eum locum Patribus ceteris, Theologiſque præſidio eſſe non poſſe. Qui tuus canon ſi invaleſceret, dogma vix ullum, mihi crede, eſſet, quod Scripturarum auctoritate conſiſtere poſſe videretur. Sed age, inquam, profer ea Scripturarum loca. Sed ea omittis, provocaſque ad Auguſtinum. Non mirum id quidem. Scholaſticorum enim, quos negligis, propria eſt argumenti, quo ſemel uti cœperint, perſequendi, perficiendique ratio. Atqui experiamur, quid ex iis, quæ hactenus collegiſti, Auguſtini locis eſſe conſequens, arbitrere. Si verum fateri velis, nihil, inquies, quod ad rem pertineat. Nam interitum animæ, æternamque pœnam, neque hanc ſolum, ſed etiam mortem corporis, doloreſque per Adamum in hominum genus immigraſſe, Auguſtinus Scripturarum ni-

1 *Cap.* III. *num.* v. *pag.* 576. *tom* VIII. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.
2 *Cap.* XXII. *tom.* VII *pag.* 517.
3 *Cap* IX. *num.* v. *pag.* 10. *tom.* I.
4 *Qu.* XXXVIII. *num.* 2. *tom.* III. *P.* II. *p.* 186.

xus auctoritate iiſdem in locis oſtendit: quid autem de iis credendum ſit, quibus ante adventum Chriſti Servatoris remiſſum originale peccatum fuerat, quique pie deceſſerant, pœna ne quoque temporaria excluſionis e regno Dei ſoluti fuerint, nec ne (quum nihil hoc ad inſtitutum ejus referret) non oſtendit. Jam vero ex eo quod tot mala inlata a peccato originis fuerint, non ſequitur, eos, qui culpa, æternaque pœna liberati eſſent; ſolutos etiam fuiſſe reatu pœnæ illius temporariæ excluſionis e regno Dei. *Sed antiqui juſti*, inquis, *paſſionibus, corporiſque morti fuerunt obnoxii*. Do id quidem, modo ne quid de paſſionibus iiſdem conſtituas, quod ſit damnatis propoſitionibus Baii 72. & Queſneli 72.[1] conſentaneum. Sed quid tum poſtea? *Si poſt etiam*, inquis, *originali peccato debitam temporalem pœnam in hoc mundo ſolutam alia itidem temporalis ſupererat ſolvenda poſt mortem; aſſequi minime valeo, quomodo originale peccatum fuerit ipſis remiſſum*.

Quid eſt Cadonice, quod te conturbet, quin intelligas *remiſſum* illis fuiſſe id peccati genus? An *temporalis pœna* pendenda poſt mortem? Verum ſi *temporalis* pœna ferenda in vita te non conturbat, quo minus *remiſſum* eis id peccatum fuiſſe intelligas; quid obſtabit, quin *remiſſum* item intelligas fuiſſe etiam ſi temporaria illis pœna ſubeunda eſſet poſt mortem? Nam ſi *temporalis* pœna indicium *non remiſſionis* eſt; tam non remiſſum peccatum putes, neceſſe eſt, ſi pœnam quis ferre vivus temporariam debeat, quam ſi luere eam debeat poſt interitum corporis.

Sed *hæc remiſſio*, inquis, *cum ab hujus labilis vitæ paſſionibus, moleſtiis, periculis, & debitis non abſolvat, illud ex ſententia S. Auguſtini operatur* „ ne obſit mortuo, quod „ inerat nato „. Quæ iſta miſcendi omnia, turbandique eſt ratio? Tune Auguſtinum appelles teſtem, qui de baptiſmo diſſerit, per *quem id agitur*, ut *evacuetur caro peccati*,

1 Confer S. Thomam 2. 2. *Qu.* CXXIV. *Art.* 1. *ad* IV.

cati, ne etiam *caro concupiſcentia conſperſa obſit mortuo, quæ inerat* [1] *vivo*? Nos vero de piis Vet.Teſt. agimus, qui certe baptiſmo tincti non fuerunt. Deinde non caro concupiſcentia conſperſa piis Veteris Teſtamenti oberat, quin ſtatim atque deceſſiſſent, Deum intuerentur; ſed culpa primi Parentis, qua factum fuerat, ut etiamſi illis, veluti etiam Lazaro amico Chriſti, *remiſſum* originale peccatum eſſet, tamen, ut Auguſtinus idem teſtatur, *& in Lazaro excuſſa de perennitatibus mortalitas inferos adamaret* [2]. Quamobrem Gregorius Magnus non modo Auguſtini egregius interpres, ſed ipſe etiam per ſe Doctor Eccleſiæ, & Pontifex Catholicæ Eccleſiæ Maximus: *Priores ſancti*, inquit, & SUSTINERE ADVERSA *poterant*, & TAMEN A CORPORIBUS EDUCTI ADHUC AB INFERNI LOCIS LIBERARI NON POTERANT, QUIA NONDUM VENERAT, QUI ILLUC SINE CULPA DESCENDERET, UT *eos, qui ibidem* TENEBANTUR EX CULPA, LIBERARET. . . . *In ipſis quoque inferni locis* JUSTORUM ANIMÆ ſine *tormento tenebantur*, UT ET PRO ORIGINALI CULPA ADHUC ILLUC *deſcenderent*, & tamen EX PROPRIIS ACTIBUS SUPPLICIUM NON HABERENT. *Quaſi in tenebris lectulum ſtraviſſe eſt in inferno ſibi* REQUIEM *præparaſſe*. GRAVE ETENIM TÆDIUM ELECTIS FUIT POST SOLUTIONEM CARNIS *adhuc* SPECIEM NON VIDERE CREATORIS. *Quod tædium non immerito B. Job* TENEBRAS *vocat* [3].

Atque his verbis ille Doctor, ac Pontifex Maximus breviter Eccleſiæ Catholicæ de eo reatus genere doctrinam illam complexus eſt, quam tu modo Kuclinos, Gerardos, Bezas,

1 *Lib.* I. *de Peccator. Meritis, & Remiſſione cap.* XXXIX. *pag.* 26. *tom.* X. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. » In parvulis certe gratia Dei, per BAPTISMUM ejus, » qui venit in ſimilitudinem carnis peccati, id agitur, ut EVACUETUR CARO » PECCATI. Evacuatur autem, non ut ipſa vivente carne CONCUPISCENTIA » conſperſa, atque innata repente abſumatur, & non ſit, ſed ne obſit mortuo, » quæ inerat vivo ».

2 *Lib.* I. *contra Julianum cap.* VI. *num.* 24. *pag.* 337. *tom. eod.*

3 Vide *pag.* 532. *hujus operis in not.*

Bezas, Burmannos, Wagenſeilios, Witſios, Camerones, Elmenorſtios ſequutus ſtudes evertere.

Atenim, inquis, *hic idem reatus mortuis obſtitiſſet; nam propter hunc amoti fuiſſent cum maxima pœna ſua a viſione Dei*. Quorſum iſtuc? An Auguſtinus hunc reatum obſtitiſſe negat, quin Sancti Vet. Teſt. Deum cernerent? Nihil minus. Non enim ille de horum reatu, ſed *de evacuata in parvulis baptiſmo carne peccati* agit, *non ut ipſa vivente carne concupiſcentia conſperſa repente abſumatur, ſed ne obſit mortuo, quæ inerat vivo*. Ab *evacuata* vero *in* PARVULIS *per baptiſmum* CARNE PECCATI, *quæ* CARO PECCATI *evacuatur, non ut in ipſa vivente carne* CONCUPISCENTIA CONSPERSA, *& innata repente abſumatur, & non ſit, ſed ne obſit mortuo, quæ inerat vivo*; quo tu dialecticæ facultatis canone fretus veluti gradu, ad reatum illum alterum temporariæ pœnæ deſcendis, cujus ferendæ cauſſa ſancti *Veteris Teſtamenti* ad mortem uſque Servatoris Chriſti excludebantur e regno Dei?

Sed ex conceſſo reatu ferendæ temporariæ in hac vita mortali pœnæ, qui reatus obſtiterit, quin Sancti Veteris Teſtamenti, continuo atque deceſſerant, Deum intuerentur; quid tu commodi conſequere? *Dicendum*, inquis, *eſſet, peccatum originale non fuiſſe eis remiſſum, vel ex parte tantum remiſſum, & ex parte non*. Cur tandem? Non enim, ut id ſit conſequens, video. Quia, ſic enim addis, *illa remiſſio, quam etiam beatitudinem*[1] *Apoſtolus nuncupat, id præſtabat, ut* TEGERETUR, *&* REMITTERETUR, *&* NON

1 Hoc erit reliqui, ut Abrahamum, dum mortalem adhuc degeret vitam, beatum viſione Dei fuiſſe, Cadonicus ſtatuat. Nam animadverti jubet, juſtificationem Abrahæ fuiſſe a Paulo *in Epiſt. ad Romanos cap.* IV. μακαριότητα BEATITUDINEM appellatam. Ac miror equidem, cur non aliquem aut Hilarii, aut Auguſtini, aut Johannis Chryſoſtomi captarit locum, quo aſpectu Dei beatitudinem illam conſtitiſſe oſtenderet. Sed quis non videat, beatitudinis nomine Apoſtolum indicaſſe juſtificationem Abrahæ, etſi is tum Patriarcha vitæ hujus incommodis premeretur, cujuſmodi etiam eorum beatitudo eſt, de quibus eſt a Servatore Chriſto dictum: *beati qui lugent?* Quid vero hinc duci queat, quod efficiat, Abrahamum ſtatim atque functus hac vita mortali fuit, conſequutum fuiſſe in viſione Dei conſiſtentem vitam, ne ſuſpicari quidem poſſum.

NON IMPUTARETUR *Abrahæ credenti peccatum, ut ſupra vidimus, teſtimonio ex pſalmis deſumto: beati quorum remiſſæ &c.* Dummodo Proteſtantibus non aſſentiare, qui in *conteɛtione* ſolum, & *remiſſione*, & *non imputatione peccati* juſtificationem ponunt; ſed confiteare eam *& in ſanɛtificatione, & renovatione hominis interioris per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum conſiſtere*, ita ut Synodus Tridentina *Seſſ.* VI. *cap.* VII. *& ibid. Can.* XI. docet, aſſentior. Quamquam miror, te de juſtificatione, poſt damnata ab Synodo hæreticorum impia dogmata, diſserentem vocibus iis ſolummodo contentum eſſe, quibus hæretici ipſi uti conſuerint, omiſſis ceteris, quæ Eccleſiarum Catholicarum doctrinam integram proponunt. Verumtamen perge, tuique argumenti conclude ſententiam.

Sed adhuc (nam ſic aſſumis) IMPUTARETUR PECCATUM, ſi ejus POENA SOLUTA CUM MORTE, REATUS TAMEN POST MORTEM MANERET. Vide, quam turbes omnia. Jam hoc primum, quaſi nobis placeat, ponis: *ſoluta cum morte* pœna, *reatum tamen peccati poſt mortem* in juſtis Teſtamenti Veteris *manſiſſe*. Id autem falſum eſt. Nos enim neque *poena eos temporaria omni ſolutos cum morte*; neque obſtrictos *reatu peccati*, ſeu *culpæ*; ſed pendendæ pœnæ reliquæ *temporariæ* item, quæ eos manebat poſt mortem, hoc eſt pœnæ excluſionis e regno Dei, ad Chriſti uſque Servatoris mortem, reatu fuiſſe illigatos dicimus. Deinde, ei, qui *reatu ferendæ temporariæ* pœnæ obligatus ſit, *imputari peccatum* ſtatuis, atque ita quidem *imputari, ut omnino remiſſum non ſit*. Sic enim concludis: *non fuiſſe ergo* (*peccatum*) *omnino remiſſum* [1]. Id autem cum Decretis, Canonibuſque Synodi Tridentinæ pugnat [2]. Etenim ea Synodus *rimitti culpam*, pœ-

1 Cadonicus *ibid. num.* 18. *pag.* 74.

2 *Seſs.* VI. *cap.* XIV. *tom* X. *Concilior. edit. Pariſ. an.* 1714. „Docendum eſt, „ Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multo aliam eſſe a baptiſmali, „ eaque contineri non modo ceſſationem a peccatis, & eorum deteſtationem, aut „ cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorumdem Sacramentalem confeſ- „ ſionem

pœnamque æternam poſſe confirmat, *non dimiſſa tota temporali pœna*. Jam vero niſi remitti *nequire culpam*, *ſeu peccatum* poſſe judicares, non *dimiſſa etiam tota temporali pœna*; quomodo tu ex *reatu illo pendendæ poſt mortem temporariæ pœnæ* poſſes concludere, *non fuiſſe omnino peccatum remiſſum*? Atque eſt iſtud Proteſtantium [1] pronunciatum damnatum ab Synodo: remiſſa culpa reatum nullum eſſe reliquum temporariæ pœnæ ferendæ: quo quidem pronunciato conantur efficere, remiſſa *culpa nullum remanere reatum pœnæ temporalis exſolvendæ vel in hoc ſeculo, vel in futuro in purgatorio*.

Video, quid ſis dicturus: Synodum nempe de *remiſſione actualium*, quæ dicimus, peccatorum poſt baptiſmum *admiſſorum* agere, damnareque eos, qui non remitti culpam, niſi tota una remittatur pœna, defendunt. Equidem novi, ab Synodo ibidem de *actualibus* peccatis poſt acceptum baptiſmum admiſſis agi; ſed pronunciatum iſtud veſtrum, quod latiſſime patere cernis, in remiſſionem peccati cujuſvis generis dico cadere, nullum ut remiſſum habendum ſit, niſi una cum culpæ reatu *totus* ſimul una tollatur *reatus* pœnæ. Niſi enim id pronunciatum tam eſſet univerſim intelligendum, nihil inde effici abs

» ſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutio-» nem, itemque ſatisfactionem ... non quidem pro PŒNA ÆTERNA, quæ vel » Sacramento, vel Sacramenti voto UNA CUM CULPA REMITTITUR, ſed » PRO PŒNA TEMPORALI, quæ, UT SACRÆ LITTERÆ DOCENT, NON » TOTA SEMPER, ut in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam » acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contriſtaverunt ». Et *canone* xxx. *p.* 41. » Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti cul-» pam ita remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit; UT NULLUS RE-» MANEAT REATUS PŒNÆ TEMPORALIS EXSOLVENDÆ vel in hoc ſecu-» lo, vel IN FUTURO IN PURGATORIO, ANTEQUAM AD REGNUM » CÆLORUM ADITUS PATERE POSSIT: anathema ſit. Et *ſeſs.* xiv. *c.* viii. *p.* 94. » Sancta Synodus declarat falſum omnino eſſe, & a verbo Dei alienum, » CULPAM A DOMINO NUMQUAM REMITTI, QUIN UNIVERSA ET-» IAM PŒNA CONDONETUR. Peſpicua enim, & illuſtria in ſacris litteris » exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, HIC ERROR re-» vincitur. Sane & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gra-» tiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero » qui ſemel a peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti » dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non for-» midaverint ». Confer & hujus *Seſſion. can.* xii. *pag.* 99.

[1] Vide *notat. ſuperiorem*.

abs te poſſe cognoſceres. Nam ſi excipi inde oportere ſtatueris remiſſionem *actualis culpæ* poſt baptiſmum admiſſæ; cur non item excipi concedes poſſe *remiſſionem culparum* & *originalis*, & *actualium* etiam, in quas incidiſſent, & a quibus liberati fuiſſent juſti, ante Chriſti mortem, cum ſcilicet nondum inſtitutus baptiſmus eſſet, in quo, ut eadem Synodus docet, una cum remiſſione culpæ tota ſimul pœna [1] dimittitur? Nihil namque erit cauſſæ, quamobrem eo (quod eſt de *admiſſæ*, poſt ſuſceptum baptiſmum, *culpæ actualis remiſſione*, non vero totius temporariæ pœnæ) conceſſo; alterum contra, quod eſt de culpa originali, ante inſtitutum baptiſmum, remiſſa, non remiſſa temporali pœna, concedendum non arbitrere. Quandoquidem ſi primum non repugnat, ne repugnabit quidem alterum: Sin contra, id alterum pugnans eſt, pugnans quoque putetur primum, neceſſe eſt. Pugnat autem, te auctore, hoc alterum adeo, ut ſtatuas, hoc idem non ſolum fieri nequiviſſe, ſed ne intelligi quidem abs te poſſe: pugnet igitur etiam, neceſſe eſt, primum. Quamobrem tam erit pronunciatum iſtud veſtrum, te judice, late patens, ut in cujus tandem cumque peccati remiſſionem debeat cadere. Qua ex re intelligitur, quam egeris imprudens novi dogmatis a Proteſtantibus primum contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam excogitati cauſſam; cum ut illud tuerere, rationem etiam illam tam late patentem adoptaris tibi, quæ ab Synodo Tridentina rejecta eſt.

Sed diſce, *inquis*, ab Auguſtino (in 1. *de Nuptiis, & Concupiſcentia libro*) [2], quid agat peccati originalis remiſſio. Quid? Egone, te monitore, diſcam, quod jamdiu noverim? Auguſtinus de *remiſſo*, BAPTISMI GRATIA, *originali peccato* agit: nos vero de *remiſſo ante baptiſmi inſtitutionem*. Cur autem ad Auguſtinum provocas? An eum aut plus decretis Tridentinæ Synodi valere, aut contra ejus

hhhhhh Sy-

1 Vide *notat.* 2. *pag.* 975. 2 *Cap.* 2. *p.* 191. *tom.* 2. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

Synodi decreta ſenſiſſe cenſes? Minime vero, inquies. Quin etiam fateri te, dices, ibidem ab Auguſtino de *remiſſione ſancto baptiſmate*, ut ſcribis, *operata*, differi, addeſque illud item tuum: *quiſpiam fortaſſe concedet, originale peccatum nunc quidem tam perfecte REMITTI, TEGI, NON IMPUTARI; contendet autem hactenus, & ante paſſionem Chriſti... remiſſionem illius peccati cum aliquo temporali remanente reatu fuiſſe conjunctam* [1]. Sed quid iſtud eſt, *quiſpiam*? Annon omnium Catholicorum ſententia eſt, reatu temporario excluſionis e regno Dei ad Chriſti uſque tempora obligatos fuiſſe juſtos, qui & ante legem, & tempore legis deceſſerant? Deinde potin' es aliquando phraſibus etiam ceteris Synodi Tridentinæ uti? Nam juſtificatione *tegi, remitti, non imputari* peccatum, ſolummodo ſcribis; *ſanctificari* vero, *ac renovari interiorem hominem &c* non ſcribis. An verere, ne quis (ſi ejus Synodi verba adhibeas) minus te Auguſtinianum eſſe arbitretur [2]? Age vero, ſi noſti, Auguſtinum in eo, quem indicaſti, loco *de remiſſione baptiſmo operata* differere, quid cauſſæ eſt, quamobrem nos tam multis verbis, quæ ad rem non conferant, obtundendos exiſtimes?

Atqui etiam *de remiſſione* ante inſtitutum baptiſmum, perinde ſenſiſſe Auguſtinum *ex dictis patet* [3]. Tanto hercle minus iſta tam longa, tamque ſupervacanea oratione obtundendos nos eſſe, exiſtimare debueras. Quamquam non video, ecquid tale *ex rebus* hactenus abs te *dictis pateat*. Sed mittis *dicta*, atque ad præſidium ſecundi libri, qui eſt *de Nuptiis & concupiſcentia* ab Auguſtino perſcriptus, confugis [4]. Vinces, ſiquid iſtinc repetere poſſis, quod tuæ queat prodeſſe cauſſæ. At Auguſtinus *ibi per fidem*, inquit, *eamdem venturi in carnem Chriſti &c. etiam juſti ſalvabantur antiqui*. Eſt ita, ut dicis. Aſſentitur

1 Cadonicus *ibid. num* 20. *pag.* 75. *ſeq.*
2 *Seſs.* VI. *cap.* VI. *p.* 35. *& canone* XI. *p.* 41.
3 Cadonicus *ibid. pag* 76.
4 *Cap.* XI. *pagi* 209. *T.* X. *Edit. Antuerp.* an. 1700.

titur Thomas, aſſentior ipſe, aſſentiuntur orthodoxi omnes. Quid tum? At addit Auguſtinus: „ EX QUO „ ENIM INSTITUTA EST CIRCUMCISIO IN PO- „ PULO DEI, quod erat tum ſignaculum juſtitiæ fidei, „ ad SIGNIFICATIONEM PURGATIONIS VALE- „ BAT ET IN PARVULIS ORIGINALIS VETE- „ RISQUE PECCATI „. Id quoque damus. Verum non id quærimus, valuerit ne circumciſio ad *ſignificationem purgationis originalis peccati*. Noſtra enim omnis eſt quæſtio de reatu temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei ad Chriſti uſque deſcenſum ad inferos. At pergit Auguſtinus: „ Sicut & BAPTISMUS ex illo valere cœpit AD „ INNOVATIONEM HOMIMIS, EX QUO INSTI- „ TUTUS EST „. Quid? Nihil ne plus virtutis ineſſe baptiſmo putas, quam in circumciſione fuerit? Age vero oſtendito ex Auguſtino, *innovationem hominis*, ad quam valet baptiſmus, quaque fit, ut reatus omnis temporalis etiam pœnæ poſt hanc vitam tollatur, parem omnino eſſe ei *purgationi peccati originalis, ad cujus ſignificationem valebat circumciſio*; adeo ut hæc item reatum omnem temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei ante Chriſti mortem ſuſtuliſſe credenda ſit. Verumtamen adjungit mox Auguſtinus: „ Non quod ante circumciſionem juſti- „ tia fidei nulla erat; nam cum eſſet in præputio, ex fide „ juſtificatus eſt Abrahaam „. Quid hoc ad nos? Ecquis enim noſtrum ſtatuit, *juſtitiam* tunc *fidei fuiſſe nullam*? At concludit Auguſtinus: „ Eadem fides Mediatoris ſal- „ vos juſtos faciebat antiquos puſillos cum magnis, non „ Vetus Teſtamentum, quod in ſervitutem generat, „ non lex, quæ non ſic eſt data, quæ poſſet vivificare: „ *ſed gratia Dei* PER JESUM CHRISTUM DOMINUM NO- „ STRUM. QUIA SICUT CREDIMUS NOS, CHRISTUM IN „ CARNE VENISSE, SIC ILLI VENTURUM; SICUT NOS „ MORTUUM, SIC ILLI MORITURUM; SICUT NOS RE- „ SURREXISSE, ITA ILLI RESURRECTURUM; ET NOS VE-

„ RO, ET ILLI AD JUDICIUM MORTUORUM, VIVORUMQUE VENTURUM „. Salvos eos, ſeu in tuto poſitos fuiſſe, gratia Dei per Jeſum Chriſtum, credidiſſeque fore ut fierent, quæ nos facta credimus, Catholici omnes fatemur: verum hoc fatemur etiam, nondum *effuſum*, *ſolutumque pretium illud fuiſſe*, quo effuſo pretio boni fideles JAM REDEMTI PRORSUS INFEROS NESCIUNT; ut Auguſtinus idem ſcribit in xx. *de Civitate Dei*[1]. Et pergis tamen, Cadonice[2], Auguſtinum tibi præſidio eſſe, ipſumque ſententias iſtas tuas adverſus Pelagianos tueri, dicere; neque conſideras, non modo lapſum eſſe te graviter, ſed etiam per ſummam injuriam in cœtus Catholicorum inſultare, quaſi omnes vetere traditione rejecta, commentis delectentur Pelagianorum[3]?

At

1 Confer quæ ſcripſi *p. 799. ſeqq. hujus operis & p. 758 ſeqq.*

2 Cadonicus *ibid. num. 21. pag. 77.*

3 *Intelligant*, inquit Cadonicus *ibid.*, *Lectores, Sanctum Doctorem conſtantiſſime tueri ſententias iſtas adverſus Pelagianos, quin ipſi de novitate coram Eccleſia illum arguerent; unde conſequitur, totam Eccleſiam Catholicam in eodem ſenſu fuiſſe: Hinc non perperam characterem traditionis antiquiſſimæ me inſcribere puto ſententiæ huic, & nonniſi bono jure a contraria opinione diſcedere Divi Thomæ in antiquis juſtis reatum invenientis temporali pœna ſolvendum poſt mortem: nam vocabula* REMITTERE, TEGERE, NON IMPUTARE *originale peccatum, quemcumque ejuſdem peccati reatum poſt mortem elidunt*. Nego vocabulis iſtis vim ineſſe, ut reatum ejus temporalis pœnæ poſt mortem ſolvendæ tollant. Quid tu? Remitti ne, tegi, non imputari juſtificatione culpam actualem poſt ſuſceptum baptiſmum admiſſam negas poſſe, ſi reatus ſuperſit temporariæ pendendæ pœnæ poſt mortem? Utrumvis elige. Aut negare te, aut concedere, dicito. Si negas, jam damnata erit Synodi Tridentinæ auctoritate tua iſta tam confidens negatio. Si ajas: non ergo τὸ *remitti, tegi, non imputari quemcumque reatum temporariæ pœnæ poſt mortem ſolvendæ elidet*. Qua autem fronte Thomæ eam eſſe opinionem audes ſolum dicere; quaſi non ſit Gregorii Magni, reliquorum Pontificum Maximorum, quos tibi ſupra numeravi, Eccleſiarum item omnium, Patrum denique univerſorum, per quos eſt ab Apoſtolorum temporibus ad nos uſque ducta traditio? Cur autem Pelagiani novitatis arguiſſent Auguſtinum, cui, ut ſupra docui, numquam venit in mentem portenta iſta tua opinionum doctrinæ omnium Eccleſiarum inimica defendere? Quod ſi licet tibi iſtam Auguſtino conflare injuriam, licuiſſet etiam iis (qui ipſum adverſus Pelagianos diſputantem, concupiſcentiam peccatum eſſe ſtatuiſſe ajebant) id ipſum erroris monſtrum in traditionibus Apoſtolicis numerare, quod nemo tunc fuerit Catholicorum, qui Doctorem tantum, eam ob cauſſam, erroris argueret. Liceret item iis, qui ipſum perinde adverſus Pelagianos pugnantem, confirmaſſe ſtatuunt, omnia opera infidelium eſſe peccata, hoc idem falſum dogma in traditionum cenſum referre, propterea quod nemo tunc Auguſtinum erroris accuſaverit adverſus eoſdem hæreticos diſſerentem. Liceret quoque iis, qui cum Noriſio pugnant, dubitaſſe Auguſtinum, validus ne ſit baptiſmus Iudicre, mimicequelcollatus, liceret, inquam, e traditionum numero rejicere dogma, quod eſt de ea conferendi baptiſmi ratione prorſus invalida, propterea quod Donatiſtæ

At idem ſcribit Auguſtinus *Enarrat* II. *in Pſalmum* XXXI.[1] eorum, quorum ſint *cooperta*, *tecta*, *abolita*, ne puniri quidem a Deo peccata. Certum quidem eſt, in eos non animadverti æterna pœna. Atque id ſane vult Auguſtinus. Verum quid hinc efficies? Nega, ſi potes, eorum aliquos, quorum tectæ, coopertæ, abolitæ culpæ

natiſtæ, contra quos tunc Auguſtinus ſcribebat, Auguſtinum ipſum non accuſarint erroris ea de re dubitantem, quæ Eccleſiæ Catholicæ traditione fulta eſſet. *Confer Noriſium Vindiciar. Auguſtinianar. cap.* IV. §. VII. *pag* 61. *edit. Patav. an.* 1709. Fas præterea eſſet novis Millenariis Eccleſiam hujus temporis a Veteris Eccleſiæ traditione deſciviſſe, dicere, propterea quod Irenæus, & Tertullianus ab hæreticis, contra quos diſputabant, & pro millenariſmo pugnabant, redarguti non fuerint erroris, perinde ac ſi pro Eccleſiæ doctrina certantes contra doctrinam Eccleſiæ agerent. In longum ſermonem vocarer, ſi exemplis ceteris congeſtis, quam ſit hujus traditionis Cadonicianæ notio abſurda, vellem oſtendere. Itaque mitto exempla. Rem ipſam per ſeſe conſiderabo. Nos Eccleſiam magiſtram ſequuti, credimus, *quod ſemper*, *quod ubique*, *quod a pleriſque omnibus* orthodoxis *univerſe*, *conſtanter*, *perſeveranter* pronunciatum, adſertumve ſit, haberi *traditum* oportere. Contra Cadonicus, illud eſſe antiquiſſimæ traditionis loco habendum, decernit, quod 1. ab uno, 2. aliquando adverſus hæreticos diſputante, eaque de re (de qua non fuerit inter hæreticos, catholicoſque contentio) non ex inſtituto diſſerente, ſed quaſi aliud agente dictum, defenſum, adſertumve fuerit; immo quod non dictum revera, defenſum, adſertumve fuerit, ſed quod uni alicui, ut Cadonico exempli gratia, adſertum, defenſum, dictumve fuiſſe videatur, 3. quodque nitatur ſilentio: 4. ac ſilentio quidem hæreticorum, adverſus quos ab uno illo diſputatum aliquando fuerit, quique hæretici ei non exprobrarint, receſſiſſe ipſum a doctrina Eccleſiæ. Ceterum non eſſe quærendum, quid alii Patres jam uſque ab ætate Apoſtolorum tradiderint; neque, an ea opinio ad poſteriora tempora pervaſerit; neque, an a multis ſeculis conſenſioni repugnet omnium Chriſti Eccleſiarum. Id vero genus opinionis, quo demum modo in ſeriem traditionum, & quidem antiquiſſimarum referre, quis poterit, quin merito omnium clamore, ac ſibilis excipiatur? Sed agent Cadonico, qui *in ſermone ſe capturum* hæreticos jactat, agent, inquam, Cadonico hæretici gratias. Nactos enim ſe eſſe, profitebuntur, illius beneficio, traditionum antiquiſſimarum theſaurum, quibus expugnare Catholica dogmata, quamlibet conſenſione omnium Eccleſiarum firma, poſſint. Nulla enim tam erit abſurda, atque inanis, doctrinæque catholicæ adverſa opinio, quæ non ipſis videri queat, fuiſſe ab aliquo Patrum adverſus hæreticos diſſerente, neque in erroris invidiam tunc vocato, defenſa; & ex qua, eorum perinde judicio, non ſit conſequens, Eccleſiæ ejus temporis, quo Pater ille floruit, eam fuiſſe *probatam*, ideoque referendam eſſe in numerum *antiquiſſimarum traditionum*. Sed mirum cuiquam videbitur, quid ſit, quod, cum *ſilentium* hæreticorum apud Cadonicum plurimum ad conſtituendam traditionem valeat, tum *teſtimonium* omnino nil valeat. Teſtimonium ecce Fauſti Manichæi, adverſus quem Auguſtinus ſcribit, luculentiſſimum ſupra *p.* 842. *ſeqq.* deſcripſimus, doctrinam noſtram Eccleſiæ noſtræ doctrinam eſſe (Auguſtino non repugnante) ajentis, a qua nemini Catholicorum fas ſit recedere. Quamquam non modo non ſilentio, ſed ne teſtimonio quidem hujus generis hominum moverer, niſi & a Patribus univerſis olim, & conſequentibus ſeculis ad hæc uſque tempora perveniſſe ſcirem noſtram numquam interrupta traditione, firmamque Eccleſiarum conſenſu ſententiam. Sed modum faciam. Vereor enim ne nimium longus in re non neceſſaria fuerim.

1 *Num. 9. pag.* 132, *Tom.* IV. *opp. Edit. Antuerp. an.* 1700.

pæ ſunt, quibuſque gratia eſt data, qua cari ſint, & amici Deo, non plecti temporali pœna poſt mortem. Non negabis autem, ni velis Synodi Tridentinæ decretis, canonibuſque reſiſtere. *Sed quando legimus*, inquis, *imputatum non fuiſſe Abrahæ peccatum, intelligendum eſt cum reſpectu ad jam dicta, ſcilicet quia remiſſum, & tectum erat a Domino, & ſic percipimus imputatum illi non fuiſſe quoad pœnam æternam; cum* VIDEAMUS VERE FUISSE IMPUTATUM AD POENAM TEMPORALEM IN HAC CARNE SOLVENDAM. Quæ iſta tua in diſſerendo inconſtantia eſt? Abrahæ *tecta, non imputata, abolita* fuiſſe peccata conſtituiſti. Id ultro conceſſum eſt tibi; quin etiam datum id conſilii eſt, ut adderes, eum ſanctificationis gratia fuiſſe auctum, amicumque fuiſſe Dei, ne qua re diſſidere ab decretis Tridentinæ Synodi videre-re. Ea re conceſſa: ſumſiſti, iis, quibus tecta, non imputata, abolita peccata ſint, reatum nullum eſſe reliquum. Diſtinctum eſt. Reatum culpæ, æternæque pœnæ, conceſſum eſt nullum eſſe reliquum; temporariæ vero reliquum eſſe univerſim nullum, negatum eſt. Id modo tu reſponſionis genus oppugnaturus, quid ais? *Peccatum originale vero fuiſſe imputatum Abrahæ*. Quid eſt, niſi hoc concedere, quod negaras, ac tecum proinde luctari eſt? *Sed ad pœnam*, inquis, *temporalem*. Conſtanter dictum! Verum ſi peccatorum illa, ut ita dicam, *contectio*, ſi *non imputatio*, ſi *abolitio* denique reatum ejuſmodi non tollit, cur tu eam, ante univerſe ajebas, quemcumque reatum tollere? Deinde, ſi *abolitio* eadem non efficit, ut ne reatu temporariæ pœnæ quiſquam in hac vita ferendæ teneatur; cur impediebat, quin Sancti Veteris Teſtamenti temporariæ pœnæ poſt hanc vitam ſolvendæ reatu non modo tenerentur, ſed ne teneri quidem poſſent? At *peccati originalis pœnam temporariam, quantum attinet ad hujus vitæ damna, & ad extremum animæ in carne ſupplicium, perſolvit.*

ſolvit Abraham in vitæ tribulationibus conſtans, & fidelis perſeverans, & demum tot tantiſque meritis cumulatus occumbens. Minus accurate tu quidem loquere. Sed non eſt otium, ut expendam, quæ dicis omnia. Itaque ſit iſtud, ut dicis. Patiar. Perge. Verumtamen cave, ne multis me ſine cauſſa morere. Interea memineris, eſſe tibi tandem aliquando concludendam rationem. Pergis: *Nullum* ENIM peccatum *Abrahamus voluntarium commiſit, quin immo juſtitiæ, & fidelitatis tanto Patriarchæ teſtimonia Dei ore perhibebantur*. Id quo ſpectet neſcio. Verum modo quorſum evadas, intelligam, detur item hoc tibi. Neque vereor, ne dando, ullam cauſſæ jacturam faciam. *Conſequitur itaque*, inquis, *quod peccatum, de quo mentio fit, non imputaretur ipſi poſt mortem*. Nego enim vero id eſſe conſequens. Nam ex eo *quod* fas tibi ſit dicere, *imputatum Abrahæ peccatum* originale fuiſſe *ad pœnam temporalem in hac vita ſolvendam*; non intelligo cur non ſit item fas addere, imputari illud etiam potuiſſe *ad pœnam temporalem* excluſionis e regno Deo ſolvendam poſt mortem ad Chriſti uſque deſcenſum ad inferos.

Neque vero ſolum concluſiſti, quod ex antecedentibus non eſt conſequens, ſed etiam id extuliſti, quod anceps, ambiguum, atque involutum obſcuritate eſt. Quare diſtincto eſt opus. Ergo, ſi *peccatum originale imputatum Abrahæ non fuiſſe poſt mortem*, dum dicis, hoc intelligis: olutum fuiſſe Abrahamum reatu ejus culpæ, æternæque pœnæ, fateor hoc ei pacto non fuiſſe ei *imputatum peccatum* illud; ſin putas, *reatu eum* non fuiſſe *obſtrictum pendendæ* temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei ad deſcenſum uſque Chriſti ad inferos; id vero ne ſpera, extorquere a nobis te poſſe, ut fateamur. *Sed ſi reatus ſupererat* (ſic autem aſſumis) *cum dolore ſolvendus*, *peccatum originale imputatum fuiſſet etiam poſt temporalem pœnam, ideſt poſt mortem corporis, & uſque ad deſcenſum ad inferos*. Crambem eamdem recoquis.

Tau-

Tautologi iſtud quidem eſt, non dialectici. Jam ut diſtinctum id, explicatumve fuerit, noſti. Expecto nunc, ut facias me ipſum detinendi finem. *Ergo* (ſic tandem argumenti concludis ſententiam) *ergo non ſolum verum non eſſet, quod Apoſtolus evidentiſſime prædicat, Abrahæ credenti non imputatum a Domino fuiſſe peccatum; ſed immo intelligendum eſſet, animam Abrahæ duplici temporali pœna pro peccato eodem fuiſſe punitam: altera ſcilicet totum ſpatium occupante ſuæ in corpore vitæ, quæ ex Auguſtino damnata eſt, juxta illud Eccleſiaſtici* (40. 1.) „ *grave jugum „ ſuper filios Adam a die exitus eorum de ventre matris eo„ rum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium* „: *altera peculiari animæ ſolius jam vere juſtæ poſt ſeparationem a corpore, atque vehementiſſima, utpote manente a privatione mercedis poſſeſſionis Dei in tot ſecula. Hanc tamen duplicem pœnam improbat Nahum dicens*: Non conſurget duplex tribulatio: *ubi Septuaginta legunt* „ *non judicabit Deus* bis „ *in idipſum* „. Dialectice! Quænam iſta eſt concludendæ ſententiæ ratio, ut id conſequens eſſe ſtatuas; quod & eſt per ſe falſum;& ex poſitis abs te rebus nullo modo eſt conſequens? *Reatu temporalis pœnæ in hac carne ſolvendæ* illigari mortalem etiam, cujus ſint remiſſa peccata, dixiſti. Permiſſum eſt. Hanc enim perſolviſſe Abrahamum, addidiſti. Quod item eſt datum tibi. Rationem adjunxiſti, quare perſolverit. Nam hiſce mox uſus es verbis: *nullum* ENIM *de Abrahamo peccatum propria voluntate commiſſum* dicitur *in Scripturis*. Tò ENIM cauſſam indicat, quamobrem putes, Abrahamum in carne vivum eam temporalem *perſolviſſe originalis peccati pœnam*. Jam etſi falſum eſt, rationem, ob quam Abrahamus eam *pœnam perſolverit*, hanc fuiſſe, quod *nullum de eo peccatum propria voluntate commiſſum legatur in Scripturis*; tamen quod & aliud te velle ſuſpicatus eſſem, & ne moleſtia afficerer diuturniore, id etiam eſſe tibi permittendum duxi. Inde tu continuo conſequi affirmaſti, imputatum originale peccatum

catum Abrahæ non fuiſſe poſt mortem, hiſque verbis ſignificaſti, egiſſe te de reatu poſt mortem non ferendæ temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei. Id vero, negatum tibi eſt, eſſe conſequens. Neque enim ex temporaria pœna in carne, quamcumque ob cauſſam, ſoluta ſequitur, pendi etiam pœnam temporariam, ſi qua eſt reliqua ſolvenda, poſt mortem non poſſe. Etſi vero provideras (qui enim rem tam claram non providiſſes?) fore, ut illud tibi negaretur eſſe conſequens; ſumſiſti tamen hoc modo: Sed *ſi reatus ſupererat ſolvendus, peccatum originale imputatum fuiſſet poſt temporalem pœnam, id eſt poſt mortem corporis*. Explicatum autem id eſt, quod de imputatione peccati captioſum in modum ſumſiſti. Atque ſi *imputationis peccati* vocabulis indicaſti *reatum pœnæ temporariæ* reliquæ ſolvendæ poſt mortem, conceſſum; ſin *reatum culpæ, æternæque pœnæ*, negatum eſt. Ac iſtis tu quidem vocabulis *reatum reliquæ temporariæ pœnæ* pendendæ poſt mortem ſignificare voluiſti; alioquin nil inde cognoſſes te poſſe concludere. Jam ut huc captionibus, veluti gradibus quibuſdam deſcenderis, video. Hinc autem ad Apoſtolum quomodo deſcendiſti? *Ergo*, inquis, *verum non eſſet, quod Apoſtolus evidentiſſime prædicat, Abrahæ credenti non imputatum a domino fuiſſe peccatum*. Quid iſtud eſt, *ergo*? An oſtendiſti Apoſtolum ajentem, non fuiſſe imputatum peccatum Abrahæ, non ſolum de *non imputatione culpæ, æternæque pœnæ* agere, ſed etiam de Abrahamo *non obſtricto reatu temporariæ pœnæ* reliquæ pendendæ poſt interitum corporis? Id autem ſi oſtenſum abs te numquam eſt, ut revera nunquam eſt oſtenſum, qua tandem confidentia contra conſenſionem omnium Chriſti Eccleſiarum, contra Pontificum Maximorum effata, contra omnium Eccleſiæ Patrum Scripturas interpretantium auctoritatem concludis: *ergo verum non eſſet, quod Apoſtolus evidentiſſime prædicat*: addereque etiam audes: *immo intelligendum eſſet, animam A-*

brahæ duplici temporali pœna pro eodem peccato fuiſſe punitam, altera ſcilicet totum ſpatium occupante ſuæ in corpore vitæ; altera peculiari animæ ſolius poſt ſeparationem a corpore? Quæ te docuit ratio, eſſe ex datis tibi rebus, id IMMO, conſequens? Conceſſum ne tibi umquam eſt, ſatis fuiſſe ſolvendi ejus reatus cauſſa pœnam ab Abrahamo in carne pendi? Si autem non conceſſum id tibi, ſed negatum etiam vehementer eſt; quo tu modo ponis, duplicem, noſtra quidem ſententia, pœnam fuiſſe Abrahamo ferendam, atque ita quidem ponis, ut ejus duplicis pœnæ alterutram ſatis fuiſſe ad reatum illum ſolvendum, conſtituere videare? Numquam enim fuiſſes auſus nos accuſare temere excogitatæ duplicis pœnæ, niſi alterutram redundaſſe, ſupervacaneamque fuiſſe judicares. Quid autem? Synodum ne Tridentinam accuſabis, quæ mortalem, qui vivus partim inlatis ſibi, patienterque toleratis, partim ultro ſuſceptis incommodis, afflictationibuſque ſatisfacere divinæ juſtitiæ curarit, ſed antequam plene ſatisfecerit, decedat, Synodum ne, inquam, quæ illum in purgatorio reliquam pœnam laturum, docet, accuſabis, quaſi duplicem pœnam excogitarit, quarum alterutra ſupervacanea ſit? Quod ſi eam Synodum non accuſas, quod tanta ea,quam indicat, pœna ſit, quanta eſt opus, ut plene ſatis juſtitiæ divinæ fiat; quid eſt, quod non item dici ab Catholicis omnibus patiare, fuiſſe pœna excluſionis e regno Dei tam diuturna opus, ut divinæ juſtitiæ ſatisfieret; quæ conſtituerat, ex primo homine,per quem peccatum intravit in mundum, natis hominibus occluſum jam paradiſum non antea aperiendum, quam ſecundus homo de cælo cæleſtis naturæ humanæ redemtionis pretium ſolviſſet? Jam quum illud, de quo paulo ante dicebam, extorquere nequiveris, ut ab orthodoxorum quoquam concederetur; qua lege dialecticæ facultatis eo deductus es, iſtud ut de duplici pœna concluderes, & Prophetæ loco adverſus Eccleſiarum,Patrum, Pontificum deni-

denique Maximorum doctrinam abuterere? At eadem inquies, *juſtis Teſtamenti Veteris fides, eadem juſtitia fidei, eadem renovatio ſpiritus per merita Chriſti fuit*, ac ſit juſtis in novo Teſtamento hominibus. Quod ſi par utrorumque in Chriſto fuiſſe conceditur juſtificatio, cur non item ſtatim poſt ipſorum mortem par concedetur in viſione Dei conſiſtens beatitas? Annon id eſt *juſtitiæ Dei velle præſcribere eos punientis, qui nullum haberent reatum*[1]?

O Paule Apoſtole, quæ te impulit cauſſa, ut de iis agens, qui ante legem, legiſque tempore juſtitiam fidei adepti fuiſſent, in Epiſtola ad Hebræos ſcriberes: *& hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis* MELIUS ALIQUID PROVIDENTE, *ut non ſine nobis conſummarentur*[2]? Non quæram, quid iſtud ſit *aliquid melius*. Sed iſtud quidquid ſit *melius* cur PRO NOBIS, non item pro illis *proviſum* eſt, quos, doces, *fide probatos*[3] placuiſſe Deo, adeptoſque eam fuiſſe, quæ eſt in Chriſto, juſtitiam? Quæ, inquam, cauſſa eſt, quamobrem confirmes, eos *non accepiſſe repromiſſionem, Deo* PRO NOBIS ALIQUID MELIUS PROVIDENTE, UT NON SINE NOBIS CONSUMMARENTUR? Ignorasne MELIUS ALIQUID pro alterutro ſolum eorum PROVIDERI non poſſe, quorum par ſit, fueritve juſtificatio quibus tandem cumque temporibus vixerint? An eſſe tibi putas divinæ juſtitiæ præſcribendi poteſtatem datam? Verum, Cadonice, quì genus iſtud doctrinæ cognitum aliis fuiſſet, ſi erat, ut ſcribis, *divino beneficio* reſervatum *parvitati tuæ*, ut quod *Bezæ*, quod *Buceri*, quod *Reiſerii*, quod *Witſii*, quod *Kuchlinii*, quod *Aretii*, [4] quod tot alii de Proteſtan-

1 Vide, quæ ex Cadonici libris protulimus *pag. hujus operis* 862. & *pag* 964

2 Vide *pag.* 641. & 644. *hujuſce operis*, & *p.* 667 *ſeq.* in quem poſtremum locum teſtimonium Claudii Sanctesii tranſtulimus egregie diſſerentis de *cap.* xi. Epiſtolæ Pauli ad Hebræos.

3 Confer Sanctesii *locum indicatum notatione ſuperiore*, & Melchioris Cani teſtimonium a me deſcriptum *p.* 480. *ſeqq hujuſce operis not.* 9.

4 Benedictus Aretius homo de grege hæreticorum, qui anno fere 1570. Bernæ periit, in ſuis *Problematibus Theologicis* hoc noſtrum Chriſtianæ doctrinæ caput

ſtantium Sectis excogitarunt, horum libris ne viſis quidem, aſſequerere, idque Kuchlinianis, Gerardianis, Aretianiſque [1] momentis rationum inferre in rem orthodoxorum publicam ſtuderes? Sed quid ego hæc perſequor, cum nullus eſſe jocandi debeat in rebus tam ſeveris locus? Norunt cœtus omnes Catholicorum, norant Majores quique noſtri, juſte a Deo occluſum hominibus fuiſſe paradiſum, admiſſi ab Adamo primo omnium parente peccati cauſſa; atque occluſum quidem fuiſſe juſte; ſed Dei miſericordia fuiſſe decretum, ut reſeraretur, non tamen ante, quam effuſum, ſolutumque a ſummo Sacerdote *ingreſſuro ſemel in ſancta* Chriſto pretium redemptionis generis humani fuiſſet. Novit item Eccleſia, norant Patres, norant Apoſtoli, eos, qui contra conſtituturi eſſent, auſuros eſſe juſtitiæ divinæ præſcribere, daturoſque operam, ut, quæ obtinet in Eccleſia, ſemperque obtinuit, doctrina, funditus evertatur. Hæc cum dico, Cadonice, tibi

put evertere conatus eſt, dogmaque illud inducere, quod nunc probatur Cadonicianis. De eo Pſeudotheologo Johannes Lenſæus Belliolanus Regius ſacræ Theologiæ Lovanii Profeſſor in eo opere, cui titulus: *De fidelium animarum Purgatorio libri duo: De limbo Patrum, liber tertius: edit Lovan. an.* 1584. *Proœm. lib.* II. *p.* 286. ſcribit hoc modo: » Benedictus hic cum animadverteret, e vicino limbo » non mediocriter ſua in purgatorium tela fruſtrari, in id ſeparatim INCUBUIT, » ut hanc QUOQUE DEMOLIRETUR INFERORUM MANSIONEM, forſitan & tartarum agreſſurus aliquando, ut nec dæmonibus quidem ipſis apud inferos locus eſſe poſſit. Eſt enim nonnullorum, hac tempeſtate, illa cognita » progreſſio, ut ſublatis limbo, & purgatorio, tandem nec infernum damnatorum crederent eſſe ullum ». In his obtinere locum Cadonicus haud poterit: etſi tartarum is quoque aliquantiſper aggreſſus eſt, ut qui pœnam ſenſus malis angelis, reprobatiſque animabus differri ad judicii diem putaverit.

1 Argumenta, quibus Aretius antea, poſtque ipſum Cadonicus cauſſam defendunt ſuam, huc fere rediguntur: 1. Utrumque limbi oſtendit appellatio: 2. Ambo ſtatuunt, limbum eſſe Sinum Abrahæ non poſſe: 3. *Iidem ajunt, fidem in Chriſtum, juſtificationemque piorum utriuſque teſtamenti eſſe communem*, adeoque horum omnium *pari celeritate* commune præmium eſſe oportere. Hoc poſtremum, quod item adhibitum a Kuchlinio, Gerardoque eſt, ſic proponit Aretius: » Sancti in Vet. Teſt. » eadem fide in Chriſtum, qua nos, ſunt juſtificati. Quod ſi eadem fides eſt utroſ- » que juſtificans; habuere igitur eamdem juſtificationis gloriam. Gloria autem » juſtificationis eſt vita æterna. Quare, mea quidem ſententia, pii ante Chri- » ſtum defuncti animabus ad cælos aſcendere, corpore in terra quieſcente. De- » inde, cum ſit eadem noſtra fides, quæ fuit piorum in Veteri Teſtamento, » idem etiam meritum eſſe Chriſti utriſque ſalutare fateri, neceſſum eſt. Eadem » autem fides idem meritum apprehendere potuit. *Hebr.* XIII. *Chriſtus heri, & » hodie, & idem in ſecula*. Itaque mors Chriſti quavis ætate eumdem effectum » præſtitit. Non igitur opus eſt limbo &c. »

tibi dico. Tu, etſi neſciens, nolenſque, at re tamen ipſa traditionem, tu ſcripta oracula, tu Eccleſiarum doctrinam ſtudes iis argumentis, quibus hæretici confidunt, evertere, tu modum juſtitiæ [1] Dei præſcribere velle videris. Re-

1 Johannes Lenſæus poſteaquam *cap.* I. *p.* 292. *libri illius tertii de limbo Patrum* animadvertit, *pios qui ante legem, legiſque tempore deceſſerant* » quin cæleſti do-
» micilio privarentur, ſed IN INFERNUM ALIQUEM LOCUM DEMITTE-
» RENTUR, donec eos inferni clauſtra refringens Chriſtus EDUCERET, IN
» ECCLESIA DEI NON ESSE DUBIUM » ad *cap.* V. deſcendens *p.* 305. ſic argumentum Aretii deſcriptum *notatione ſuperiore*, depellit: » Tua hæc, Areti
(dicam ego: *Cadonice*) „ ratio tum denique aliquem adverſus nos locum habere
» potuiſſet, ſi juſtificationis gloriam, hoc eſt vitam æternam ſanctis iis, qui
» ante Chriſti adventum in juſtitia deceſſerunt, noſtra aliquando detraxiſſet opi-
» nio. Sed juſtificationis gloriam illis tribuimus, quam & meritis eorum fuiſſe
» juſto Dei judicio reddendam aſſerimus. Habes ergo, quod tuum argumen-
» tum poſtulat, ſicut unam fidem juſtorum omnium, unamque ex fide juſtitiam,
» ita etiam communem, quæ omnibus promiſſa ſit, juſtificationis gloriam, vi-
» tam æternam. Hic nempe DIURNUS EST ILLE DENARIUS, quem Pa-
» terfamilias vocatis in vineam propoſuit, perſeveranter operantibus certiſſime
» redditurus, quacumque tandem hora veniſſent. Sed ut illic murmurabant quidam,
» quod non plus accepiſſent primi, qui diei pondus, æſtumque pertulerant,
» quam poſteriores, qui una tantum hora laboraverant; ita video quid TU QUO-
» QUE SUBMURMURES, CUR videlicet ANTIQUORUM JUSTORUM DI-
» LATA SIT MERCEDIS RETRIBUTIO, ut non antequam his, qui PO-
» STERIUS VOCATI SUNT, redderetur. Nam & propterea dictum intelligi
„ poſſe putat Auguſtinus, redditam operariis eſſe mercedem incipiendo a noviſ-
„ ſimis uſque ad primos, quod ii, qui poſterius venerunt in vineam, minus
» ab ipſa Dei contemplatione dilati ſint, quam priores. Id videre eſt in
» fine *cap.* XXIV. *lib. de Spiritu. & Littera*, cumque ſenſum Auguſtini Divus Gre-
» gorius *Homil.* XIX. ſuper *Evangelia* ſine cunctatione complexus eſt. Verum ob
» id Areti, ſi murmur operariorum exaggeras, tibi jure Paterfamilias reſpondere
„ poſſit: amice ego nullam illis antiquioribus facio injuriam: Nonne denarium
» accipiunt, de quo mecum convenere? Quod ſi aliquanto tardius, quam hi, quid
» tum poſtea, quando id quod differtur, non aufertur? An non licet mihi facere quod
» volo?„ Tale quiddam Areti reſpondere tibi poterit ... Sed & de ipſa beata cor-
» porum reſurrectione redargueris, quam differri uſque ad ſeculi finem conſtat;
„ in qua tamen tantum inerit boni, tantumque felicitatis, ut propterea electi
„ omnes in illo communi, ſupremoque judicio audituri ſint, *venite benedicti*
„ *Patris mei poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*. Hoc ergo
» beatum regnum, quod ſanctis in fine reddetur, in quo demum erit vera
» παλιγγενεσία rerum omnium, differri certiſſimum eſt, donec fratrum numerus
» compleatur. Neque tamen ſi AUDIENDUS ES, DIFFERRI DEBUIT, SED
» STATIM POST MORTEM REDDI JUSTIS OMNIBUS, ſicut POST MOR-
» TEM CONTINUO REDDETUR EIS JUSTIS, QUI IN FINE SECULI JU-
» DICE VENIENTE MORIENTUR. *Quanam*, inquis, *hoc conſequentia ra-*
» *tiocinationis adſtruitur?* Tua, inquam, ipſius, ſi attendere me libuerit per tuæ
» ratiocinationis veſtigia gradientem ... Aut hoc tibi, quod ſic colligo, conceden-
» dum eſt, aut rationis tuæ imbecillitas confitenda. Denique tibi Apoſtoli ma-
» gis audienda doctrina eſt, quam tuis rationibus auſcultandum. Ille autem de
» antiquis juſtis verba faciens: *& hi omnes*, inquit, *teſtimonio fidei probati*,
„ *non acceperunt repromiſſionem*; *Deo pro nobis aliquid melius providente, ut*
» *non ſine nobis conſummarentur*, hoc eſt NEC PRIUS VITA BEA-
„ TA VETERIS TESTAMENTI ELECTIS DONARETUR, ſicut & non

„ prius

Redeo ad argumentum illud tuum,quod erat de *reatu temporalis pœnæ excluſionis e regno Dei uſque ad Chriſti mortem* a piis *Veteris Teſtamenti ſolvendæ* . *Tautologi* illud eſſe dixi . Cur autem dixerim , paucis accipe. Ταυτόλογος , ſeu *Tautologus* is eſt , qui etſi non iiſdem verbis , *idem* tamen *dicit* , aut *repetit* . Jam vero , tu reatu illo illigatos pios Veteris Teſtamenti non fuiſſe demonſtraturus , ſic argumentare . Si homines illi pii illigati eo reatu fuiſſent , imputatum iiſdem fuiſſet peccatum originale . Non fuit autem eis imputatum peccatum originale . Non ergo illigati eo reatu fuerunt . Verumtamen cum imputandum eis peccatum originale fuiſſe ſcribis , non de culpa intelligis , æternaque pœna ; ſed de pœna temporaria , quæ eis infligenda fuerit poſt mortem. Nam ſi ſecus intelligeres , & laberere quidem turpiter, & nihil contra Catholicorum doctrinam concludere te poſſe perſpiceres. Cum id igitur de reatu temporariæ pœnæ intelligas ; huc demum tuum argumentum recidat neceſſe eſt . *Si pii Veteris Teſtamenti*, peccati primi parentis cauſſa , *reatu temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei ad mortem uſque Chriſti fuiſſent illigati* ; *fuiſſent illigati reatu pœnæ temporariæ exluſionis e regno Dei ſolvendæ uſque ad Chriſti mortem : Illigati autem non fuerunt reatu temporariæ pœnæ excluſionis e regno Dei ſolvendæ ad mortem uſque Chriſti . Igitur illigati non fuerunt reatu temporariæ pœnæ excluſionis*

» prius reſurgent illi ad beatam corporum immortalitatem , quam Apoſtoli,
» ceterique novi Teſtamenti participes ... Quin & illud in eadem ad Hebræos
» Epiſtola magis etiam huc facit, quod ſcriptum eſt ; ſemel in anno ſolum Pon-
» tificem in ſecundum tabernaculum introire ſolitum , eo ſignificaſſe Spiritum
» Sanctum, nondum *propalatam eſſe viam ſanctorum* , ſive in ſancta , hoc eſt
» cælum ipſum ; quomodo paulo poſt interpretatur Apoſtolus ; quia nimirum ,
» auctore Chryſoſtomo, quem & Theophylactus , & Œcumenius , & Haimo , &
» Anſelmius, aliique ſequuntur Patres , tunc adhuc occluſum fuerit , & inacceſſum
» cælum , priuſquam ſacerdos noſter Chriſtus Dominus , oblato proprii ſangui-
» nis ſacrificio , eo fuiſſet ingreſſus , ſuoque ingreſſu manifeſtaſſet , jam re-
» ipſa , membris ſuis eodem patere deinceps viam .... Nemini igitur, ante Chriſti
» aſcenſum , iter in cælum patuit » : *Et cap. VI. pag.* 112. „ Quod ſi quia mors
» Chriſti ſemper fuit Deo præſens ; idcirco nullus eſſe debet limbi carcer ad
» piorum animas concludendas : nulla ergo etiam mors eſſe debuit , qua piorum
» corpora ſumma cum moleſtia , & triſti omnino ſeparatione a ſuis animis di-
» vellerentur „.

ſionis e regno Dei ſolvendæ uſque ad Chriſti mortem. Ecquid autem eſt, niſi hoc argumentum tautologicum eſt? Ac de reatu illo pœnæ temporariæ hactenus; de quo quidem diſputans, non ſolum cumulate reſpondi ad ea omnia, quæ operis tui *de Divi Auguſtini, quæ videtur, ſententia, capite nono* complexus es, ſed etiam ad ea, quæ eadem de re graviora capite decimo te comprehendiſſe arbitrare.

§. III.

De dilata juſtis V. T. viſione Dei, ſeu de temporaria damni pœna, quam ſummam eſſe debuiſſe Cadonicus prædicat.

Negat Cadonicus quarto capite ſui operis de *D. Aurelii Auguſtini, quæ videtur, ſententia &c.* „ juſtorum „ animas in ſinu Abrahæ ex ſpe conſequendæ gloriæ ha„ bere potuiſse tale gaudium, quo dolor privationis Dei „ vinceretur „. Jam ut id ab ſe jure fuiſſe negatum oſtendat, comminiſcitur, Petri apud Lucam cap. II. Actorum Apoſtolicorum verba [1]: *de ſolutis a Chriſto doloribus inferni*: *MAXIMUM NEGOTIUM* faceſſere *THEOLOGIS OMNIBUS*, qui, ut ait ipſe, *ab Auguſtini ſententia diſcedunt*. Quibus ſane verbis non Auguſtini revera ſententiam indicat, ſed ſuam: *Theologoſque* Catholicos *omnes* implicari, innuit, Petri verbis; Proteſtantes contra, quorum ſupra meminimus, non item. Quos quidem Proteſtantes opinionis ſuæ adſertores in *Theologorum* numerum referat, neceſſe eſt. Nam ſi in *Theologis* numerandi ſunt ii, qui ab ejuſmodi opinione minime recedunt; Catholicorum autem nemo eſt, aut fuit Theologorum, qui ab ea non recedat, aut non receſſerit; ac ſoli, qui ab ea ipſa ante hæc tempora non receſſerunt, fuere Proteſtantes; ſequitur, ut Proteſtantes numero ſint habendi Theologorum. Sed hos ſibi Theologos Cadonicus habeat. Hoc nunc jure me affirmare poſſe intelligo, falli Cadonicum (nolo enim gravius

vius dicere) falli, inquam, Cadonicum, Petri loco Catholicos omnes Theologos implicari, tam confidenter jactantem. Quotus enim quiſque Theologorum, Patrumque fuit, qui Sanctos Veteris Teſtamenti in inferis triſtitiæ aliquo dolore ob dilatam ipſis viſionem Dei affectos fuiſſe negaret, eguiſſeque proptera liberatore, qui ipſos inde eximeret? Quemadmodum vero ii, qui eo doloris genere fuiſſe Sanctos eoſdem affectos pronunciant, implicari verbis Petri Apoſtoli potuerunt, quæ ſunt de *doloribus inferni* a Chriſto *ſolutis*, ſi his ipſis verbis eorum non ſolum non evertitur, ſed ne concutitur quidem; immo vero magis magiſque confirmatur ſententia?

Atque animadvertit id ſane Cadonicus; quam ob rem antiquum obtinens numquam concludendæ rationis, quam ſemel proponere ſit aggreſſus, pugnas fingit Theologorum, quæ hac de re profecto ſunt nullæ, eoque confugit, ut conjungi cum triſtitia requiem neget poſſe. Quod quidem inanis opinionis genus, cum a nobis[1] alibi copioſe vexatum, refutatumque fuerit, nunc omittatur.

Ad Auguſtini loca veniam, quibus Cadonicus oſtendi ab ſe poſſe arbitratur, adeo inter ſe mœrorem, felicitatemque pugnare, ut nullo modo eodem in animo queant conſiſtere. Sunt eorum locorum longiſſima quædam petita ex *Confeſſionum libro* x. *capp*. xx. *&* *ſeqq*. in quibus Doctor idem Sanctus diſputat de beata vita. Atque ille amore æſtuans Dei in his ipſis locis[2]: „ QUUM „ TE DEUM MEUM QUÆRO, inquit, VITAM BEA„ TAM QUÆRO. QUÆRAM TE, UT VIVAT ANI„ MA MEA. VIVIT enim corpus meum de anima mea, „ & vivit anima mea de te. Quomodo ergo quæram vi„ tam beatam, quia non EST MIHI, DONEC DI„ CAM SAT EST, ILLIC UBI OPORTET, UT DI„ CAM.

1 *Pag. hujus operis* 146. *ſeqq*.
2 *Cap.* xx. *p.* 136. *tom.* 1. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

„ CAM [1]? . . . Abſit Domine, ut, quocumque gaudeam,
„ BEATUM ME PUTEM. Eſt enim gaudium, quod non
„ datur impiis, ſed eis, qui te gratis colunt, quorum
„ gaudium tu ipſe es: ET IPSA EST BEATA VITA
„ GAUDERE AD TE, DE TE, PROPTER TE, IPSA
„ EST, ET NON EST ALTERA. Qui autem ALIAM
„ PUTANT ESSE, aliud ſectantur gaudium, neque ipſum
„ verum . . . . Qui non de te gaudere volunt, quæ ſo-
„ la vita beata eſt, non utique vitam beatam volunt ....
„ Beata VITA EST GAUDIUM DE VERITATE; hoc
„ eſt enim gaudium de te, qui veritas es . . . . BEATUS
„ ERGO ERIT, SI, NULLA INTERPELLANTE MO-
„ LESTIA, DE IPSA, PER QUAM VERA SUNT
„ OMNIA, SOLA VERITATE GAUDEBIT [2].

Conſideremus nunc, quid ex his, Cadonicus exiſtimet, eſſe conſequens. Intelligi, ait, ex hiſce Auguſtini verbis [3] notionem *beatitudinis a Deo, qui veritas eſt*, inditam eſſe *memoriæ noſtræ*. Sit ita plane. Quin etiam, *poſſe*, addit, *hominem viventem* hanc notionem *in aliena convertere, quæ nec firmiter vera ſunt, nec meliora*, proptereaque efficere non poſſunt quemquam beatum. Id quoque damus. Jam quotum quemque eſſe, qui *audeat dicere*: *juſtos antiqui Teſtamenti* ignoraſſe, beatitatis naturam *gaudium eſſe de veritate*, ad eamque non aſpiraſſe? Fatemur, niſi dementem, qui iſtud audeat dicere, fore neminem. Pergit Cadonicus: *Inſuper, quis non fatebitur, eos firma credidiſſe fide, nullum hominem in hac caduca vita beatitudinem poſſe obtinere?* Rogas, Cadonice, quis iſtud non fateatur? Si de beatitate conſiſtente in viſione Dei loquare, nullus eſt, qui non fateatur, cognoſſe juſtos Veteris Teſtamenti, eo beatitatis genere felicem in hac mortali vita futurum neminem: ſin de beatitate agas, qua homo gaudeat ſpe erectus, ſeu firmiter confidens, perpetuo ſe futurum aſpectu

kkkkkk ctu

1 *Ibid. cap.* XXII, *pag.* 157.
2 *Ibid. cap.* XXIII. *pag. ead.*
3 Cadonicus *cap.* IV. *num.* 11. *pag.* 14.

ctu Dei beatum, ſcito eorum unum, qui non fatentur, juſtos Vet. Teſt. non cognoſſe, hoc beatitatis poſtremo genere potiri hominem mortalem poſſe; eorum, inquam, qui id non fatentur, Auguſtinum, cujus auctoritate abuteris, eſſe principem. Id vero cum ex innumerabilibus prope ejus Doctoris locis, quorum nos aliqua in hoc opus noſtrum tranſtulimus[1], quæ ſane perſpicua ſunt; tum ex iſto ipſo XXI. *capite libri* X. *Confeſſionum*, quod caput nobis ad conſiderandum proponis,[2] conſtat, in quo Auguſtinus: *nimirum*, inquit, *habemus* beatam vitam *neſcio quomodo*. *Et eſt alius quidam modus, quo quiſque cum habet eam*, TUNC BEATUS EST, *& ſunt, qui* SPE BEATI SUNT. INFERIORE MODO *iſti habent eam, quam illi, qui jam reipſa beati ſunt*: *Sed tamen* MELIORES, *quam illi, qui nec re, nec ſpe beati ſunt*. Age Cadonice, perſequere, quod cœpiſti argumentum. *Cum igitur*, inquis, *ex hujus conſequutione beatitudinis verum gaudium animæ pendeat*. Jam opinor, te *beatitatem* conſiſtentem in viſione Dei, quam beatitatem *eſſentialem* dicimus, *veri gaudii* appellare nomine. Addis mox: *quomodo gaudere poterant illæ* animæ juſtorum Veteris Teſtamenti, *quæ ab intimo deſiderio exercebantur beatitudinis conſequendæ, ſine interim amoto deſiderii ſui*? Quæris *quomodo*? Audi *quomodo*. Eodem pacto, quo Paulus, cui *triſtitia magna, & continuus* dolor fuit, *ſemper* ſe tamen *gaudere*, ac *ſpe* quidem *gaudere* ſcripſit[3]. Audiſtin' Pauli ſententiam? Audi nunc Auguſtini. *Quid dicit Apoſtolus? Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*. QUARE SEMPER? Et HIC, & IBI? PRORSUS ET HIC, *& ibi*. HIC ENIM UNDE GAUDEMUS? DE SPE. *Ibi unde gaudebimus? de re*. MAGNUM GAUDIUM HABET SPES GAUDENTIS. Jam audiſti *quomodo gaudere* animæ illæ juſtorum Veteris Teſtamenti poterant. Immo multo magis eas

GAU-

1 *Pag. 247. ſeq. & p. 766. ſeqq.*
2 *Pag. 156. tom. 1. edit. Antuerp. an. 1700.*
3 Confer, quæ ſcripſi *pag. 246. ſeqq. hujuſce operis*.

GAUDERE potuiſſe, multoque beatiores fuiſſe Auguſtinus docet, quam fuerit Adamus in paradiſo. Nam animabus illis CERTA VERITATE MANIFESTUM fuiſſe, quis neget, *ſine fine ſe habituras omni moleſtia carentem ſocietatem Angelorum in participatione ſummi boni?* Ades nunc animo, quidque Auguſtinus de his, quibus id ſit certa veritate manifeſtum, ſtatuat, attende: *Quantum pertinet ad ſpem futuri (boni)* BEATIOR QUILIBET EST in QUIBUSLIBET CRUCIATIBUS CORPORIS, CUI NON OPINIONE, SED CERTA VERITATE MANIFESTUM EST, SINE FINE SE HABITURUM OMNI MOLESTIA CARENTEM SOCIETATEM ANGELORUM IN PARTICIPATIONE SUMMI BONI; *quam erat ille homo (Adamus) ſui caſus incertus* IN MAGNA ILLA FELICITATE PARADISI.[1] Atqui animæ illæ cruciatu nullo corporis, (vacabant enim corpore) nullo ſpiritus ſupplicio, quaſi exulare e patria *ſuis ipſi propriis actibus* meruiſſent, ſed ſenſu uno mœroris (ob occluſum ipſis peccato primi parentis, quod naturam humanam infecerat, paradiſum) affecti, CERTA VERITATE cognorant SINE FINE SE HABITURAS MOLESTIA *carentem ſocietatem Angelorum* IN PARTICIPATIONE SUMMI BONI. Itaque non ſolum Adamo in paradiſo degente; ſed etiam eo, quem beatiorem futurum Adamo in quibuſlibet cruciatibus corporis, Auguſtinus teſtatur, animæ illæ erant beatiores. Atque hinc intelliges, beatum & dici, & eſſe eum poſſe, qui etſi *eſt affectus aliquo moleſtiæ* genere, tamen gaudet, propterea quod *certa veritate* norit, ſe potiturum tandem *ſine moleſtia participationem ſummi boni.* Alioqui dici ille, qui, cum in quibuſlibet corporis cruciatibus, atque adeo in magna moleſtia ſit, tum norit certa veritate potiturum ſe tandem *omni moleſtia carentem ſocietatem Angelorum in participatione ſummi boni*; dici, in-

1 *Lib.* XI. *de Civ. Dei cap.* XII. *p.* 215. *tom.* VII. *opp. edit. Antverp. an.* 1700.

inquam, ille ab Auguſtino non modo non BEATIOR Adamo, ſed ne BEATUS quidem ullo modo potuiſſet. Quare quod idem Auguſtinus in eo, quem ex *libro* x. *Confeſſionum c.* XXIII. opponis, loco ſcribit: *beatum* fore hominem, *ſi nulla interpellante moleſtia de ipſa, per quam vera ſunt omnia, ſola veritate gaudebit*, non de illa, qua beatior Adamo eſſe quiſquam, *qui certa veritate* norit, ſe fore *participem ſummi boni*; ſed de cumulate perfecta beatitate intelligi non modo poſſunt, ſed etiam omnino debent, neque quidquam nobis negotii exhibent.

Atqui Auguſtinus, inquis, apertiſſime docuit, *nullum rationalem animum moleſtias, & difficultates velle; eas autem, dum accidunt, tolerari jubere Deum, non amari &c.* Quid tu implicas, miſceſque omnia? An nos *difficultatibus* quemquam, *moleſtiiſque* dicimus eſſe beatum? *Beatos*, dico, eſſe *ſpe* homines poſſe, dumque *certa veritate* norint, ſe gaviſuros ſocietate Angelorum *in participatione* ſummi boni; eſſeque etiam (Auguſtinum [1] auctorem ſequutus) dico, Adamo *ſui caſus incerto*, dum magna illa felicitate paradiſi frueretur, beatiores. Tu vero, non ſectator quidem, ſed oppugnator Auguſtini, Cadonice, tu, inquam, niſi hæc falſa eſſe effeceris (quod efficies profecto numquam) nihil ages. Verumtamen ſic amas opinionem tuam, in eaque ſic perſtas, ut ne Auguſtinum quidem, quem unum te ducem ſequi jactas, contra, atque ipſe cenſeas, ſtatuentem morere. Quare nihil ad ea, quæ ille de ſpe ſcribit, attendens, id more tuo concludendo ſcribis, quod ad rem omnino non pertinet. *Itaque*, ſic enim concludis, *quamquam homo ſuperna proſpiciens gaudeat ſe tolerare, Dei voluntatem in ſe, & per ſe compleri deſiderans, mavult tamen non eſſe quod toleret.* Quid hoc ad rem? *Hinc*, inquis, *miſerum quemque eſſe dum tolerat, perſpicuum eſt*. Do, miſerum eſſe, qua ratio-

1. Vide hujus operis *pag.* 148. *ſeqq.*

tione cruciatur: *ſed hominem ſpe, certaque veritate* proſpicientem, *ſe futurum ſocium* Angelorum in *participatione ſummi boni*, quo demum pacto dices *miſerum*, cum eum Auguſtinus *etiam Adamo* paradiſi deliciis circumfluente dicat beatiorem? At *gaudium*, inquis, *tolerantiæ conjunctum tolerantiæ pœnam non minuere, patet*. Patet? Id ne quod ſenſui hominum communi [1] repugnat, *patet*? Age tu, qui cum te maxime Auguſtini diſcipulum affirmas eſſe, tum minime Auguſtinum ſequere; annon intelligis, ut iſtuc, quod tam fidenter pronuncias *patere*, tam non patere Auguſtinus ſcribat, ut contra *patere ſignificet*, *magnum gaudium ſpem habere*, hominemque, cui *certa veritate manifeſtum ſit, participem ſe ſummi boni futurum, in quibuslibet cruciatibus corporis*, Adamo *paradiſi deliciis* gaudente fore beatiorem? *Jam magno* gaudio, *beatitateque*, quæ major ſit illa, qua Adamus in paradiſo degens fruebatur, *tolerantiam pœnæ minui*, ecquis tam eſt confidens, ut contra rationem, ſenſumque communem neget?

At ideo, inquis, *ſancta Scriptura dicit* „ ſpes, quæ „ differtur, affligit animam „ *Proverb.* XIII. verſ. 12. Nihil agis, Cadonice. Nemo umquam noſtrum negandum duxit, dilatione boni, quod ſperatur, affligi animum. Sed eo, inquis, id Scriptura *dicit*, quia *ſpes adeo non vincit dolorem ex dilatione ſperati boni neceſſario manantem, ut dolor non ſit, donec ipſa ſpes a re præſente abſorbeatur*. Quibus tu conceſſis rebus iſtuc perveniſti? Tu *pœnæ tolerantiam gaudio* minui negaſti. Nos contra minui diximus; tolli omnino, non diximus. Ex conceſſa vero imminutione *tolerantiæ pœnæ* quibus tu gradibus perveniſti ad ſublatum omnino dolorem, ſeu mœrorem ex *dilatione* ſperati boni manantem? Nam minui idem eſſe, atque tolli, delerique, a quo tu Latino Scriptore didiciſti? Sed de gaudio triſtitiam minuente, deque felicitate, utrum conſiſtere cum aliquo mœrore poſſit, in priore hujus operis libro [2] diximus. Sed

1 Vide *pag. 146. ſeqq. hujus operis*. 2 *Ibid.*

Sed tu oblitus Auguſtini, cujus, etſi tam longis teſtimoniis, nihil te tamen proficere cognoſti poſſe, tranſfers te quidem ad Thomæ Aquinatis præſidium. Ita æſtuans, teque in partes omnes verſans, ſiquam forte reperias, in qua, etſi non ſatis tuto, at aliqua ſaltem ratione poſſis conſiſtere, fingis, Angelicum Doctorem ipſum, de *cauſſa, deque veris effectibus doloris*, quem in inferis pios Veteris Teſtamenti tuliſſe arbitrabatur, *ſi prolixius agere ſuſcepiſſet*, multo plura fuiſſe additurum ex Sermone CXXXVII. *de tempore*, quem Thomas ipſe Auguſtino judicabat adſcribi oportere. Scilicet quoniam ea, quæ Thomas ſcribit, tibi non ſatis ad genium ſapiebant, ea tibi ipſi deſideranda fuerunt, quæ velles, quæque fingeres, Thomam fuiſſe ſcripturum. Quid autem habet Thomas, ex quo poſſis conjectura cognoſcere, plura eum de illius doloris magnitudine fuiſſe additurum, ſi de Patrum in ſinu Abrahæ ante Chriſtum ſtatu copioſius agere inſtituiſſet[1]? *Alius eſt, ait S. Doctor, dolor de dilatione ſperatæ gloriæ, ſecundum illud Prov.* XIII. ſpes, quæ differtur, affligit animam: *quem quidem dolorem patiebantur Sancti Patres in inferno, ad quod ſignificandum Auguſtinus in Sermone de reſurrectione dicit, quod* LACRIMABILI OBSERVATIONE *Chriſtum orabant*: quos *dolores cauſatos ex dilatione gloriæ Chriſtus actualiter ſolvit, gloriam præbendo*. An quia animadvertit, τὸ LACRIMABILI OBSERVATIONE adhibitum ab Auguſtino fuiſſe ad *ſignificandum dolorem*, quem ex dilatione gloriæ capiebant Veteris Teſtamenti Sancti in inferis, conjicii poteſt, additurum fuiſſe Thomam, ſi ex inſtituto eadem de re diſputaſſet, minui eumdem dolorem ſpe certa gloriæ nequiviſſe? Ecce vero, ut Thomas data opera de Patribus Sanctis Veteris Teſtamenti beneficio Chriſti auctis gloria, ereptiſque ex inferis diſſerens, atque

1 III. *part. quæſt.* LII. *art* II. *ad* 2. Quam minuatur dolor ſpe certa gloriæ, cognoſces etiam ex Johannis Chryſoſtomi *Expoſit in Pſalm.* XLI. *n.* V. *ſeq. p.* 139. *to.* V. *opp. edit. Pariſ. Monachor. Congreg. S. Mauri*.

que Auguſtini ſententiam explicans, *ſolvit* [1], inquit, *Chriſtus eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ, ex cujus tamen ſpe magnum gaudium habebant*. Sed mittis Thomam, convertiſque te ad eum Apoſtoli *ex Epiſtola ad Romanos cap* XII. qui eſt de *ſpe gaudentibus*, implicandum locum, eoque tantum effici jactas poſſe, ut non minuatur quidem dolor; ſed tamen gaudeat ſpe is, qui *patitur tribulationem*: ad eamque rem comprobandam, hanc affers Auguſtini ex Tractatu CI. in Johannem [2] ſententiam: „ Non ſit GAUDIUM NOSTRUM, quale habet mun„ dus, de quo dictum eſt, mundus autem gaudebit: „ ne tamen hujus deſiderii (*divini promiſſi*) parturitio„ ne SINE GAUDIO triſtes ſimus, ſed ſicut ait Apo„ ſtolus: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*, quia & „ ipſa parturiens, cui comparati ſumus, PLUS GAUDET „ *de mox futura prole*, QUAM TRISTIS EST DE PRÆ„ SENTI DOLORE „. Adeo autem impeditus ipſe, implicatuſque es, ut non animadvertas, maximam tibi tecum eſſe conflictationem, teque labefactare iis ipſis locis, quibus ſtatuere conaris, opinionem iſtam tam inanem tuam. Nam ſi plus GAUDET, quam DOLEAT, vexatus *tribulatione*, qui tamen præmio ſe potiturum ſperat; quibus hinc artibus efficies, ſpem non minuere ortum ex tribulatione dolorem, cum ex eo, quod *minor gaudio* dolor ſit, ſiquid evincitur, dolorem imminui gaudio ſpei evincatur? Ac ne in cogitationem quidem cadit, ut gaudio animi non imminui dolorem Auguſtinus putaverit, qui, ut ſupra vidimus, ſtatuit, hominem, cui certa veritate manifeſtum ſit, participem ſe ſummi boni futurum, in quibuſlibet cruciatibus corporis fore Adamo deliciis paradiſi circumfluente beatiorem.

Et audes tamen gloriari n. XVI. capitis IV. operis ejuſdem tui: *monſtraſſe* inanibus iſtis argumentis te, *gaudio ex ſpe futuræ gloriæ* orto non *fuiſſe* juſtarum animarum

1 III. *P. qu.* LII. *Art.* V.   2 *Num.* 6. *p.* 548. *t.* III. *part.* II. *op. edit. an.* 17.0.

rum, quibus dilata ad Chriſti mortem viſio Dei fuerat, *præſentem amaritudinem temperatam*. Quin etiam Auguſtini ad rem non pertinente loco ex *Epiſtola* CXLV.[1] *ad Anaſtaſium* abuteris: *quanto ſunt caritati futura meliora, tanto ſunt infirmitati violentiora præſentia*: quaſi is Doctor tui ſimilis fuerit, ſecumque pugnarit, dicens, *dolorem* gaudio ex ſpe orto VIOLENTIOREM, cum alio loco, ut paulo ante oſtendimus, affirmarit, PLUS hominem ſperantem GAUDERE, quam DOLEAT. Atque Auguſtinus quidem in Epiſtola ad Anaſtaſium, *tam eſſe infirmitati violentiora præſentia* ſcribens, de iis agit, *quibus ingerit ſe terrenæ ſuavitatis affectus, & delectationibus ſuis noſtra comitatur officia*. Quid? tales ne, dices, fuiſſe in inferis juſtos expectantes *adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*, ut iiſdem ſeſe *ingereret terrenæ ſuavitatis affectus, & delectationibus ſuis eorum comitaretur officia*? Sed næ ego ineptus ſum, qui hæc tua tam inania argumenta, tamque inter ſe pugnantia perſequor.

Itaque prætermitto, quæ ex Thomæ 2. 2. q. 28. art. 1. miſces, *capite eodem* IV. operis tui, quæque capite V. ex Auguſtini priore libro de *Moribus Catholicæ Eccleſiæ cap.* III. *& libro de Beata vita* congeris, ut efficias, eum, qui *beatus non eſt*, Auguſtini ſententia, *miſerum, & egentem eſſe*. Nam hæc partim, ut alia pleraque abs te producta, ad rem non pertinent, partim quid ſignificent, utque nobis minime repugnent, ex iis, quæ ſupra[2] docuimus, intelligi plane poteſt.

Quæ capite VI. Auguſtini teſtimonia complexus es, ut oſtenderes: *privatione viſionis Dei pœnam maximam damnatorum effici*, nos de Sanctis V. T. differentes non movent. *Damnati* & culpa propria maxima ſua indignos ſeſe

1 *Num. 2. p. 556. tom. II. opp.*
2 *Pag. 246. ſeq. & p. 776. & 788. ſeqq.*

ſeſe reddidiſſe aſpectu Dei, in eaque ſe miſeria perpetuo manſuros noſcunt, ſciuntque, ſpem ſibi oriri nullam omnino poſſe Dei ejuſdem, hoc eſt ſummi illius conſequendi boni, ad quod ſeſe fuiſſe creatos norunt. Contra, Sancti Vet. Teſt. in inferis ante Chriſti mortem conſtituti, non vitio ullo proprio ſuo, ſed peccati originis cauſſa, quod tamen ipſis remiſſum erat, exulare ſeſe e patria cognorant; ultroque ad Dei voluntatem plene conformabant ſuas; ac *certa veritate proſpiciebant, futuros ſe ſocios Angelorum in participatione ſummi* ejuſdem *boni*; quamobrem gaudebant, ejuſque gaudii ratione non ſolum dici beati poterant, ſed, ut ab Auguſtino ſtatui vidimus, multo etiam Adamo ſui ſtatus incerto, dum in paradiſo degeret, beatiores.

At, inquies, animæ purgatoriis ignibus cruciatæ ſpe etiam tenentur conſequendi regni. Eſt id totum diſſimile. Nam hæ quidem non modo triſtes ſunt, quod exulent e regno, ſed quod etiam inde *propriarum actionum*, quibus offenderunt Deum (qua ex re acerbiſſimum capiunt dolorem) exulent, & ſenſus inſuper torqueantur pœna. Harum autem rerum nulla in animas juſtorum Veteris Teſtamenti cadebat. Jam efficere nequiviſſe te non modo Pauli, atque Auguſtini, ſed ne ullius quidem alterius auctoritate, illam dilatæ divinæ viſionis pœnam talem fuiſſe, qualis deſcripta abs te ipſo eſt; immo vero eam fuiſſe minorem magno illo gaudio, quo animæ juſtorum eorumdem nullo quidem cruciatu ſenſus affectæ, pleneque ad Dei voluntatem conformantes ſuas, ob ſpem certam ſummi conſequendi boni perfundebantur, ſatis eſt hactenus, ut arbitror, demonſtratum. Quin etiam paragrapho ſuperiore oſtenſum eſt tibi, reatum, quo Sanctos eoſdem illigatos, ad Chriſti uſque Servatoris mortem, fuiſſe credimus, niti doctrina Eccleſiæ, nec vero commentum eſſe, neque rem ejuſmodi, ut qui eam concedat, is *præſcribere divinæ juſtitiæ* velle videatur: te autem, qui contra

ſtatuendum eſſe judicaris, ab Auguſtini [1], quo magiſtro unice gloriare, atque ab Eccleſiæ ſententia receſſiſſe.

§. IV.

De dogmate, quod eſt de purgatorio, quodque Cadoniciani ſua opinione confirmari pugnant.

Poſtulat nunc inſtituti ratio, ut videamus, quid Cadonicus, ſublato Patrum limbo, imminutiſque tartari cruciatibus [2], de purgatorio eſſe ſtatuendum putet. Ergo ille immiſſorum in purgatorium locum, ubi ubi ille ſit, numerum modo augere, modo mirifice imminuere videtur. Atque imminuit quidem, dum *remiſſionem* ſe peccatorum intelligere negat [3] poſſe, ſi in eo, cui remiſſa peccata dicuntur, reatus ſuperſit ullus temporariæ pœnæ ſolvendæ poſt mortem. Quod ſi verum univerſim eſt, jam e purgatoriis cruciatibus eripiantur neceſſe eſt ii, quos tamen Synodus Tridentina docet [4], ob reatum ejuſmodi, in purgatorio pœnas pendere. Contra vero, eos, ad quos Chriſtus deſcendit, quoſque ex inferorum tenebris

1 *S. Auguſtinus Lib. de Spiritu, & Littera cap.* XXIV. *num.* 41. *pag.* 71. *ſeq. tom.* X. *opp.* „ Nec ad rem, *inquit*, quidquam intereſt, utrum a minore uſque ad ma„ jorem, an ſi a majore uſque ad minorem diceretur (ab *Jeremia c.* XXXI. *v.* 34) „ Quod ſimiliter nihil intereſt etiam ſi minores intellexerimus, qui tantummodo „ credere, majores autem, qui etiam intelligere, quantum in hac vita poteſt, „ lumen incorporeum, atque incommutabile valuerant. Sive MINORES TEM„ PORE POSTERIORES, MAJORES TEMPORE priores intelligi voluit; SI„ MUL enim PROMISSAM DEI CONTEMPLATIONEM ACCEPTURI SUNT „ OMNES, quia & illi PRO NOBIS MELIORA providerunt, ne SINE NOBIS „ PERFECTI PERFICERENTUR. Et ideo velut priores reperiuntur minores, „ quia MINUS DILATI SUNT, ſicut in illo evangelico denario per ſimilitudi„ nem dicitur, QUA PRIUS ACCIPIUNT, QUI POSTERIUS VENERUNT „ AD VINEAM.

2 Nam caput eſt integrum VII. operis Cadoniciani inſcriptum : „ Dæmones non„ dum in inferno ſepulti fortaſſe non torquentur pœna ſenſus ignis materialis. „ Iſtis vero, nec non damnatis hominibus probabilius nonniſi in fine ſeculi hoc „ accedet ſupplicium „. Confer, quæ ſcripſimus *pag.* 93. *ſeq. hujus operis in not.* & *pag.* 98. *not.* 1. & *pag.* 199. *ſeq. not.* 2.

3 Confer, quæ ſcripſi *pag.* 962. *ſeqq. hujuſce operis*, & quæ Cadonicus adnotat in Præfat. ad opus *de D. Auguſtini, qua videtur, ſententia num.* 14. *pag.* IX.

4 Vide, quæ ſcripſi *p.* 976. *ſeq. not.* 2. *hujus operis*.

bris eduxit, ut traditum a Majoribus noſtris eſt, eos, inquam, omnes Cadonicus in purgatorios cruciatus rejicit; qua ex re fit, ut, etſi nolens, tamen Patriarchas omnes, juſtoſque ceteros Veteris Teſtamenti in purgatorium locum detruſiſſe videatur. Nam de Patriarchis, Juſtiſque illis Patres diſputant, eoſque ex inferorum tenebris ereptos teſtantur, ut ex Patrum eorumdem teſtimoniis, quæ a pagina 522. ad paginam 619. deſcripſimus, plane conſtat. Hæc autem Cadonicus, etſi contra omnium Chriſti Eccleſiarum ſenſum, adverſus Pougetium diſputans [1], ſcribat; nihilo ſecius tanti putat eſſe, ut his ipſis dogma de purgatorio confirmari arbitretur [2]. Sed Eccleſia Catholica his commentis, quæ doctrinæ ſuæ tam manifeſto repugnant, non indiget, confirmandi ſui dogmatis de purgatorio cauſſa. Scripturarum enim, traditioniſque monumentis, quibus antehac ſemper munita pro eodem dogmate pugnavit, perpetuo adverſus hæreticos pugnare

 per-

1 Jam eſt id a nobis hactenus demonſtratum.

2 Cadonicus *in Præfat operis de D. Auguſtini, quæ videtur, ſententia num. 19. pag. xi.* » Certiſſimo, *inquit*, Chriſti deſcenſui in inferos, APERTISSIMUS, » PRÆCLARISSIMUSQUE TRIBUI MIHI VIDETUR EFFECTUS, ſi eum » DESCENDISSE DICAMUS ad liberandas a PURGATORII PŒNIS animas fi» delium, juxta illud: *penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inviſam omnes » dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*. Huic INTELLIGEN» TIÆ GRÆCOS, LATINOSQUE PATRES SUFFRAGARI puto, dum una » voce profitentur deſcenſum Chriſti Domini ad eripiendos, qui in pœnis erant, » fuiſſe ordinatum. Nec umquam Pougetius hanc gratiam incertam facier pur» gantibus animabus juxta a ſe citata Patrum teſtimonia. Dum autem CERTAM » agnoſcere inciperet, tunc Eccleſiæ dogmata circa beatitatem Sanctorum » aptius tueretur, atque S. Auguſtini auctoritate vallaret ». Cadonicus, ut quiſque cernit, certa incerta facit, incerta certa, idque, ne reprehendatur, Auguſtini nomine facit, ſumma profecto S. Doctoris injuria. Num enim Chriſtus deſcendens ad inferos purgatoriis cruciatibus vexatas animas, quæ nondum purgatæ plene fuiſſent, liberarit, dubitatum eſt, dubitantque etiamnum Theologi, inter quos eſt proinde hac de re ipſa contentio, aliis quidem eorum liberatas omnes fuiſſe ajentibus, aliis contra pugnantibus, ita ut tamen utrique veri eſſe ſuam dicant ſimiliorem, non vero certam ſententiam: ſed Theologus orthodoxus nullus eſt, nullus cœtus Catholicorum, qui non certum eſſe ſtatuat, Chriſtum ad Sanctorum locum deſcendiſſe, eoſque vindicaſſe in libertatem. At Cadonicus, quod catholicis Theologis omnibus de exemptis animabus e purgatorio incertum eſt, certum facit; atque adverſus quorumque Patrum, Theologorum, Cœtuum catholicorum, Pontificum denique Maximorum auctoritatem, quod de liberatis Sanctis e limbo indubium in primis, certiſſimumque eſt, in rebus incertis numerat, ac nonniſi everſa ea Eccleſiæ doctrina defendi apte poſſe dogma de Sanctorum beatitate, fidenter ſtatuit, perque ſummam injuriam Auguſtinum ſuæ inanis ſententiæ teſtem vocat. Quis tam ferreus, ut contineat ſe?

perget; ac vetuſtatem, univerſitatem, conſtantiam probans, quemadmodum novis inventis, quæ ipſa in Proteſtantibus continenter eſt averſata, ſeſe non patietur duci; ita in eos, ut in injurios ſibi, animadvertet, qui audeant dicere, laturam ipſam, ut uſu ſaltem inventis iiſdem novis fides, & auctoritas adjungatur. Quo minus etiam ferendum ducet eum, qui innuat, non [1] *recte* illud credi, quod, ut conſtat, coetus omnes orthodoxarum gentium, quod antiquitas, quod Sedes ipſa Apoſtolica de ereptis ex inferis juſtis Veteris Teſtamenti docent; neque id innuat ſolum, ſed etiam haud dignum Chriſto exiſtimari debere ſignificet deſcenſum ad Sanctorum eorumdem Veteris Teſtamenti limbum; ignotumque hactenus Eccleſiæ ipſi fuiſſe, ſtatuat, *effectum ad inferos deſcendentis Chriſti*; ſibique ipſi eſſe, *effectum* illum ut aperiat, planumque faciat, reſervatum jactet. [2] Non enim danda venia illi videtur eſſe, qui coetus ipſos Catholicorum, hoc eſt Eccleſiam jam inde a multis ſeculis in graviſſimæ, maximæque rei ignoratione verſatam fuiſſe defendat; ſibique rei illius manifeſtandæ gloriam deberi, non dicere ſolum, ſed etiam ſcribere non vereatur. Hinc viderint Cadoniciani, quam inanis ipſorum ſit perſuaſio de veris commodis duobus in Eccleſiam inlatis Cadonici opera; quorum quidem commodorum alterum in faciliore interpretatione doctrinæ veterum Patrum conſiſtat, alterum in firmando orthodoxo dogmate de Purgatorio. Etenim neque dogma quodpiam Eccleſiæ ſuſtineri poteſt ruinis eorum, quæ docet Eccleſia; neque de Purgatorio intelligere loca Patrum licebit, niſi una concedatur, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Patriarchas ceteros, Prophe-

1 Confer Cadonici locum deſcriptum notatione ſuperiore.

2 Cadonicus *cap.* II. operis *de D. Auguſtini, quæ videtur, ſententia num.* 2. *pag.* 5. „ Lectores intelligent, *inquit*, optabile eſſe, ut inter hujus ABSCON„ DITÆ quæſtionis LATEBRAS tale lumen affulgeat, ut iis ſalvis, QUÆ RE„ CTE credimus, Chriſti deſcendentis ad inferos APERIATUR EFFECTUS, „ qui porro conſpicuus, & Deo Redemtore omnino DIGNUS eſt, ſi, quem ſu„ pra propoſui, poſſet oſtendi. Nam JUSTA cum ratione deſcendiſſe apparet, „ ſi ad liberandas ANIMAS IN PURGATORIO captivas deſcendiſſet.

phetas, Johannem Baptiſtam, uno verbo, juſtos, qui ante Chriſtum deceſſerunt, ſuppliciis purgatoriis fuiſſe cruciatos, ex eorumdem Patrum ſententia. Nam ſi horum Patrum loca de ereptis ſolum e Purgatorio animabus, ut Cadoniciani pugnant, intelligi apte poſſunt; cum iidem ipſi Patres, uti ſupra demonſtratum eſt, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, ceteroſque juſtos, quorum eſt modo facta mentio, ereptos ex inferorum tenebris, adſertoſque in libertatem fuiſſe affirment; ſequetur, ut Patres ipſi, Abrahamum, Iſaacum, ceteroſque juſtos illos purgatoriis ignibus fuiſſe cruciatos, indeque ab deſcendente ad inferos Chriſto exemtos, putaverint. Hæc vero nemo non videt, quam longe ab dogmate orthodoxo diſcrepent. Quæ autem a dogmate orthodoxo diſcrepant, nemo eſt Catholicorum, qui eſſe in veris commodis numeranda putet.

CAPUT V.

I. Hymnis aliquot, Homiliis Patrum, Collectis etiam, ſeu formulis precum, quæ publice in Eccleſia aut recitantur, aut recitabantur, Cadonicus, ejuſque patroni ſtudent efficere, Veterum vita ſancte functorum animas, ante Chriſti mortem, fuiſſe aſpectu Dei beatas. II. Falluntur. III. Librorum enim Liturgicorum totius Catholici orbis auctoritate oſtenditur, Sanctas ipſas animas deſcenſu ad inferos Chriſti fuiſſe vindicatas in libertatem, adeoque tum primum beari cœpiſſe viſione Dei.

DIſputationem de re theologica numquam minus recte inſtitutam vidi, quam nunc inſtitutam ab Cadonico videam. Theologi orthodoxi omnes de re doctrinæ agentes monumenta Eccleſiæ publica, eaque in primis, quibus precum formulæ, rudimentaque hominis Chriſtiani continentur, ſuis adverſariis opponunt; mo-

monumenta vero ipſa publica monumentis aliis Eccleſiæ publicis non opponunt. Hæc enim, quibus (propter Eccleſiæ, cui probantur, auctoritatem) tantum ineſſe ponderis Theologi Auguſtinum [1] ſequuti docent [2], ut iiſdem comprimi hæreticorum audaciam poſſe credant; hæc, inquam, monumenta quaſi inter ſe pugnantia negligere, idem propemodum eſſe judicant, atque Eccleſiam ipſam negligere, ex qua ſunt profecta, quæque iiſdem utitur ad ſuos & in doctrina ſana inſtituendos, & recte informandos ad pietatem. Verumtamen Cadonicus libros rituales Eccleſiæ opponit [3] Catechiſmo Concilii Tridentini, quo in Cateſchiſmo *myſteriis* Chriſtianæ religionis adnumeratur ſententia, quæ eſt de Sanctis Veteris Teſtamenti non ante beatis viſione Dei, quam Chriſtus ad inferos deſcendiſſet.

§. I.

Hymnos aliquot, Homilias, Formulaſque precum libris Eccleſiæ ritualibus comprehenſas Cadonicus, ejuſque vindices proferunt, iiſque confirmari putant opinionem novam ſuam.

Atque abutitur quidem in primis Cadonicus hymno

1 Auguſtinus *lib. de Dono Perſeverantiæ cap.* XXIII. *pag.* 565. *tom.* X. *edit. Antuerp. an.* 1700.

2 De rudimentis hominis Chriſtiani, ſeu de catecheticis Inſtitutionibus vide, quæ ex Auguſtino deſcripſi *pag.* 410. *not.* 1. *hujus Operis*, & quæ ex libris Theologorum *pag.* 411. *not.* 1. *Operis ejuſdem*.

3 Nam Præfat. ad opus inſcriptum *de Divi Aurelii Auguſtini, quæ videtur, ſententia*, *n.* 22. *ſqq. pag.* XII. *ſqq.* Catechiſmi Romani hac de re doctrinam rejicit, quaſi in ea *characteres* non extent *traditionis*. „ Nos, *inquit n.* 27. *p* XVII. „ in hoc bivio relicti ſpinis, & tribulis undequaque ſcarente etiam AB HOC DE „ CETERO ADMIRABILI, NEC NON TANTÆ AUCTORITATIS LIBRO, „ NEQUE IN HISCE DOCTRINIS (Catechiſmo comprehenſis, quas hactenus „ Cadonicus idem deſcripſerat) INVENIENTES CHARACTERES VENERAN„ DÆ TRADITIONIS, QUÆ A CONSTANTIA, ET ANTIQUITATE PRÆ„ CIPUE DIGNOSCITUR, QUID RELIQUI HABEMUS, NISI AD EJUSDEM „ TRADITIONIS FONTES DEVOTE CONFUGERE? „ Scilicet Cadonicum expectabat liberanda traditio. Atque hunc ſi audimus, eas nobis Romana Eccleſia in Catechiſmum Concilii Tridentini uti *myſterium* religionis continentes doctrinas intulit, quæ *characteribus venerandæ traditionis* deſtituuntur: reſervatumque Cadonico eidem erat, ut nunc demum ad fontes ipſe traditionis DEVOTE CONFUGERET, utque PATRUM, a quibus Tridentinæ Synodi Ca-

mno [1], qui ad laudes die feſto S. Joſephi recitandus præſcribitur, quique ſic habet:

Hac die Joſeph meruit perennis
Gaudia vitæ.
O nimis felix, nimis o beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam
Chriſtus, & Virgo ſimul aſtiterunt
Ore ſereno.
Hinc Stygis victor, laqueo ſolutus
Carnis, ad ſedes placido ſopore
Migrat æternas, rutiliſque cingit
Tempora ſertis.

Opponit deinde, quod *ad Offertorium in liturgia pro defunctis Fidelibus* legitur: *Signifer S. Michael repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim* ABRAHÆ PROMISISTI, ET SEMINI EJUS. Animadvertit præterea „ ſententiam „ gloriæ ſtatim a morte Sanctis Innocentibus tributæ, „ in Sermone x. de Sanctis Auguſtino alias inſcripti conti- „ neri, inque die natali SS. Innocentium in Breviario Rom. „ poſt tot ejuſdem correctiones legendam relinqui .... In „ eo autem Sermone hæc legi: *Digne natalem illorum* co- „ limus, quos beatius æternæ vitæ mundus edidit, quam quos

techiſmus diſcrepat, ut PATRUM, inquam, FIDEI NOSTRÆ LUMINIBUS COMPARTICEPS FACTUS inveniret, QUOMODO noſtræ hac de re ANTIQUISSIMÆ FIDEI RATIONEM REDDERET. Poſt ubi hæc Cadonicus de Catechiſmo Synodi Tridentinæ auſus eſt ſcribere, tum ejuſdem Præfationis *num.* xxxv. *pag.* xvii. „ Quod *ſi hymnis*, inquit, *pugnare* præſtaret, „ jam in Vindiciis Auguſtinianis *cap.* xvi. *exhibetur* quid Eccleſia in feſto S. Joſeph „ canat, quid in feſto Sanctorum Innocentium legat. Immo Eccleſia natalem „ celebrans ſeptem fratrum, qui Romæ ſub Marco Aurelio Antonino paſſi ſunt, „ ſermonem ad verbum legit S. Auguſtini Epiſcopi, in quo ipſe ſeptem Fratrum „ Machabæorum palmas exornat. Hunc quaſi integrum exſcripſi cap. xviii. un- „ de manifeſtum fieret Eccleſiam haud differre aliquot ſeculis Machabæorum „ gloriam, quam abſque mora collatam explicat ſeptem fratribus novi Teſta- „ menti, iiſdem utens Sancti Patris argumentis, & auctoritatibus „. Quam is graviter fallatur, paulo poſt videro. Interea hoc tenebo, monumenta ipſum Eccleſiæ publica publicis Eccleſiæ monumentis opponere, perinde ac ſi Eccleſia ipſa de re doctrinæ pugnantia, atque adeo falſa ſuis monumentis publicis comprehenderit.

1 Cadonicus *in Vindiciis cap.* xvi. *pag.* 159.

„ quos maternorum viſcerum partus effudit. Siquidem an-
„ te vitæ perpetuæ adepti ſunt dignitatem, quam uſuram
„ præſentis acciperent. Aliorum quidem pretioſa mors
„ martyrum laudem in confeſſione promeruit, *horum in*
„ *conſummatione complacuit. Quia incipientis vitæ primor-*
„ *diis ipſe eis occaſus initium gloriæ dedit, qui præſentis ter-*
„ *minum impoſuit* „. Quin etiam monet Cadonicus: *com-*
mune (ab „ Eccleſia) in Breviario officium S. Machabæis
„ præſcribi; tum etiam in decollatione S. Joh. Baptiſtæ,
„ & in feſto ſancti Johachim, nec non Sanctorum Mo-
„ ſis, Hieremiæ, Job, Zachariæ, & Samuelis in quibuſ-
„ dam diœceſibus; commune ſcilicet præſcribi officium
„ cum ſanctis Martyribus, & Confeſſoribus novi Teſta-
„ menti [1] „. Statuit poſtremo, *ſinum Abrahæ* in formulis precationum Eccleſiaſticarum ſæpe commemoratum, ſinum, inquam, Abrahæ uti nunc eſt, quod ad gloriam felicitatemque pertinet, nulla re diſcrepare ab Abrahæ ipſo ſinu, qualis erat ante Chriſti Servatoris mortem [2]. Non diſſidet ab Cadonico Feltrius in ea, quam *de Hilarii* hac de re *ſententia* perſcripſit, Diſputatione *in not. 7. ad pag. 34. ſq.* Non enim ſolum animadvertit: *Præpropere a Theologis nonnullis, qui cum ceteris vulgo ſentiunt, Dei fruitionem, ante Chriſti mortem, nulli prorſus fuiſſe redditam, nimiſque facile exiſtimari, fundamentum aliquod ſuæ opinionis in eo etiam deprehendi, quod in feſto horum puerorum die vetus canticum te Deum, & vox Alleluja a Sacerdotibus divinas preces facientibus omittantur*: ſed etiam, ubi locum ex Sacramentario Gallicano deſcripſit: „ Infans Chri-
„ ſtus tranſmittit ad cælos nova exenia Patri, primitias
„ exhibet genitori per Chriſtum Dominum noſtrum „ [3]: ubi, inquam, hunc locum Feltrius deſcripſit, iis ſe, inquit, fuiſſe

1 *Præfation. ad opus de D. Auguſtini, quæ videtur, ſententia n.35. pag* XVII. *ſq.*
2 *Cap* XVIII *operis de Divi Auguſtini, quæ videtur, ſententia. n. 1. ſeq. p.119. ſeq.*
3 Confer *tom* 1. *part.* II. *Muſæi Italici Mabilloniani pag.* 295. *edit. Pariſ. anno* 1724. Ejus ſacramentarii perantiquo ante annos 1000. perſcripto codice uſum ſe Mabillonius fuiſſe teſtatur in *Præf. ibid pag.* 276. *num.* VIII.

fuiſſe *maxime permotum verbis, quod aperte indicent pueros illos* STATIM *ad Patrem tranſmiſſos in cælos, & primitias veluti Genitori exhibitos*. Atque hæc quidem Cadonicus, Feltriuſque [1] proferunt ſtatuendi novi dogmatis cauſſa.

§. II.

Cadonicum, Feltriumque his monumentis eccleſiaſticis abutentes egregie falli demonſtratur.

Sed caveat Cadonicus, ne, dum aliorſum, atque Eccleſia velit, hymni de S. Joſepho verſus illos contorquere ſtudet, fateri etiam cogatur, eumdem S. Patriarcham, cum mortalem adhuc vitam degeret, fuiſſe beatum aſpectu Dei. Nam eſt in ejus diei feſti veſperarum hymno ſcriptum hoc modo:

„ Poſt mortem reliquos mors pia conſecrat,
„ Palmamque emeritos gloria ſuſcipit:
„ Tu vivens, ſuperis par, frueris Deo,
„ Mira ſorte beatior.

Quid? An hinc Cadonicus concludet, ea gloria S. Joſephum, fuiſſe potitum, dum mortalis inter mortales verſaretur, quæ poſt mortem ſuſcipit pios palmam emeritos; cumque hæc gloria beatitas illa ſit, quæ viſione continetur Dei, S. Patriarcham illum, antequam vita hac fungeretur, non modo fruitum eo viſionis genere fuiſſe; ſed etiam ratione ejus *fruitionis* fuiſſe ſuperis *beatiorem*? Quod ſi affirmare non audet, tale quidquam hinc eſſe conſequens, etſi his verſibus vis (ſi modo in verborum, ut ita dicam, cortice conſiſtas) vis, inquam, ineſt longe major ad beatitatem viſione Dei contentam viventi inter mortales S. Joſepho adſerendam,

m m m m m m quam

1 *Ibid. pag.* 36. *in not.* Sed τὸ STATIM non legitur in eo *Sacr. Gallicani* loco.

quam inſit iis, quæ ab Cadonico proferuntur; quid eſt, quod verſus, quibus Cadonicus idem abutitur, ad demonſtrandum valeant, beatitatem illam ei Sancto ſtatim poſt mortem fuiſſe datam; hi vero, quibus nos uſi ſumus, eamdem beatitatem ei adhuc mortalem agenti vitam fuiſſe datam, ad demonſtrandum non valeant? An *placidi ſoporis, ſedium æternarum, gaudiorum perennis vitæ, rutilorumque ſertorum* vocabulis plus ineſſe, Cadonicus putat, virium, ac poteſtatis, ut beatitatem in viſione Dei conſiſtentem indicent, quam inſit vocabulis *gloriæ, quæ ſuſcipit poſt mortem* pios *emeritos palmam*; & *fruitionis Dei, qua* quis non *par* modo *ſit ſuperis, ſed mira etiam ſorte beatior*? Id autem ſi non putat, quæ cauſſa eſt, cur prioribus illis vocabulis evinci ſtatuat, felicitate in viſione Dei conſiſtente auctum S. Joſephum ſtatim poſt mortem fuiſſe; poſtremis vero effici poſſe non ſtatuat, Sanctum ipſum Patriarcham eodem felicitatis genere fuiſſe auctum, cum is adhuc inter mortales mortalis verſaretur?

At hæc poſtrema apte ad Eccleſiæ ſententiam explicanda ſunt. Quid? Poſtrema ne hæc, Cadonice, apte ſunt ad Eccleſiæ ſententiam explicanda; priora vero, quibus ipſe abutere, non ad Eccleſiæ, ſed ad tuam; an quæ tua ſententia eſt, eadem erit, te judice, tribuenda Eccleſiæ? Verum quæ tua iſta erit licentia, ut tibi rei conceſſæ loco aſſumas, quod tibi vehementer ab univerſis orthodoxis cœtibus Chriſtianorum, hoc eſt ab Eccleſia ipſa negari vidimus? Age vero, expedi, quemadmodum verſus ex hymno illo Veſperarum expreſſi accommodate ad ſententiam Eccleſiæ ſint intelligendi. Nempe, inquies, ſancto Joſepho mira ſorte obtigerat, ut Chriſti Servatoris putaretur Pater, cumque eo una ageret, ejuſque convictu domeſtico frueretur. Hoccine igitur ſolum eſt, *mira ſorte Joſephum beatiorem fuiſſe ſuperis, ſuſceptumque fuiſſe a gloria illa, quæ poſt mortem pios palmam emeritos ſuſcipit*? Annon etiam hæc

hæc verba ſignificant: Joſepho (qui hoc præ ſuperis conſequutus eſſet, ut, ceu pater Chriſti, Chriſtum ipſum infantem, puerum, adoleſcentem haberet, aleretque domi) veluti certum arrhabonem fuiſſe datum illius gloriæ conſequendæ, quæ pios palmam emeritos poſt mortem ſuſcipit; obque eam *certitudinem* conſideratum fuiſſe perinde, ac ſi gloriam eamdem jam vivens obtinuiſſet: eo ſane modo, quo ſenex Simeon, qui Chriſtum ipſum excepit in ulnas ſuas, in *lectionib.* II. *nocturni diei feſti Purificat.* vivens CORONATUS [1] dicitur, propterea quod certus de *corona* eſſet? Quod cum ita ſit, cur non item verſus illi de *Joſepho laqueis ſoluto carnis, ſtygis victore, & placido ſopore ad ſedes migrante æternas, rutiliſque cingente tempora ſertis*, de eodem Joſepho intelligendi ſunt ita, ut, (quoniam ſolutus laqueis carnis, in ſinu Abrahæ quieſcebat, certaque veritate norat, brevi ſe in gloria beatum viſione Dei futurum) conſiderari merito poſſet, quaſi jam cepiſſet, quod tutiſſimus expectabat? Atque hæc interpretatio non repugnat, ut repugnat tua, ſententiæ omnium cœtuum Catholicorum firmatæ conſenſu; ſed ei mirifice congruit, neque excogitata arbitratu meo, ſed Patrum eſt auctoritate firmata, imprimiſque Auguſtini [2], atque Chryſoſtomi [3], quos tu, cum minime ſequeris, tum maxime duces te ſequi gloriare. Atque hoc etiam eſſet reliqui, ut fingenti iſta, atque jactanti tibi adjungenda eſſet aſſenſio; neganda vero Benedicto XIV. Pontifici Maximo, in *limbo* S. Joſephum quieſſe, antequam Chriſtus eo deſcenderet, affirmanti; idque ſane affirmanti, dum *officii*, quod dicimus, Sancti ejuſdem Patriarchæ meminit [4], quod quidem *officium* ille, antequam publicatum

mmmmmm 2 eſſet,

1 Vide quæ ſcripſi *pag. hujuſce operis* 869. *ſeq.*

2 Hujus illuſtrem hac de re locum ex *Epiſtola* XCVIII. *ad Bonifacium* deſcripſi *pag.* 868. *ſeq. hujuſce operis*.

3 Confer locum Chryſoſtomi a me deſcriptum *hujuſce operis pag.* 948.

4 Hymni, qui recitari die s. Joſephi feſto conſueverunt, 21. Novembris die anno 1671. probati, Breviarioque Romano inſerti ſunt. Officium porro de eodem Sancto compoſuit, expendique juſſit a Sacra Rituum Congregatione (qua de re vi-

eſſet, expenderat, atque probaverat, ut qui tunc Romæ *Promotoris Fidei* ſuſtineret dignitatem. In *limbo* autem S. Joſephum, ante Chriſti mortem, fuiſſe, quo demum pacto Benedictus XIV. Pontifex Maximus ſtatuiſſet; ſi ex hymnis, quos ipſe probarat, S. Patriarcham illum, ſtatim atque laqueis carnis ſolutus fuit, ad æternas intuentium Deum ſedes migraſſe, intellexiſſet? Quemadmodum vero id intelligere potuiſſet non ſolum contra omnium totius catholici

ci

videndus Meratius ad *Gavanti opus: d.* XIX. *Martii to.* 1I. *P.* 1. *p.* 505. *Edit. an.* 1738.), ac deniquepublicavit Clem. XI. P. M. *an.* 1714.. Quo tempore Proſper Lambertinius fungebatur Promotoris Fidei munere. Is cum in S. R. E. Cardinalium Collegium cooptatus jam eſſet, opus edidit inſigne de *Servorum Dei Beatificatione, & de Canonizatione Beatorum*, quod quidem opus aliquot partibus auxit, rurſumque typis excudi curavit, poſteaquam Pontificatu Maximo potitus indidit ſibi Benedicti XIV. nomen. Hujus autem operis *lib.* IV. *p.* 1I. *cap.* XX. *num.* 5. *pag.* 130 *Edit. Patav. an.* 1743. » Clemens Papa XI., *inquit*, proprium officium compoſuit in honorem s. Joſeph in Eccleſia univerſali recitandum. Ea occaſione excitati nonnulli pii viri enixe poſtularunt, ut Sedis Apoſtolicæ auctoritate fas eſſet, nomen Sancti Joſeph in Litaniis invocare. Sacrorum autem Rituum Congregatio mihi tunc Fidei Promotori demandavit, ut ſenſum meum de ea petitione pro veritate exponerem. Itaque ut ex officio parerem, Diſſertationem exaravi, & typis edidi ». Ea Diſſertatione, quid Benedictus, quod ad rem noſtram ſpectet, complexus fuerit, ex *capitis ejuſd. num.* 11 *pag.* 131. conſtat. Dat enim in Limbum deſcendiſſe s. Joſephum: *Et in eo*, inquit, *quod attinet ad deſcenſum ad limbum, ille certe cultui obſtare non poteſt: primo quia plurimorum Sanctorum mentio fit in Martyrologio Romano*, QUAMVIS AD LIMBUM *deſcenderint: Signanter autem Sanctorum Malachiæ, Habacuc, Michææ, Agabi, Amos, Samuelis, Joſue, Gedeonis, & Annæ Propheteſſæ, Zachariæ, Jonæ, Abrahæ &c. Secundo quia ſolemni celebritate recolitur, non obſtante deſcenſu ad limbum, memoria Præcurſoris Domini Sancti* JOHANNIS BAPTISTÆ, *nec non* MARTYRUM MACHABÆORUM, *uti advertit S. Bernardus Epiſtola* XCVIII. » Quæris, quidnam viſum Patribus fuerit, ut ſolis ex omnibus antiquis juſtis ſingulari quodam privilegio Machabæis annuam celebritatem pari cum noſtris Martyribus veneratione decernerent in Eccleſia ſolemniter exhibendam? Si dixero merito Martyrum gloria judicatur, quibus non impar fuit in Martyrio virtus, erit forſitan ſolutum, cur ipſos, ſed nedum plane cur ſolos; cum & alios nonnullos ex veteribus pari conſtet zelo pietatis occubuiſſe, non tamen pari & tripudio recoli meruiſſe. Quod ſi illis non immerito hujuſcemodi negatur ſolemnis celebritas, quia nimirum quod præbuit virtus, præripuit tempus; cur non & eadem fuit in Machabæis conſideratio? Siquidem ET IPSI PRO TEMPORE NON AD CÆLI MOX GAUDIA, ſed AD INFERNI TENEBRAS DESCENDERUNT, NE TUNC quidem APPARENTE PRIMOGENITO ex mortuis, qui APERIRET CREDENTIBUS REGNA CÆLORUM, AGNO videlicet de tribu Juda, qui aperit, & nemo claudit, ad cujus introitum cum omni auctoritate ſupernis poteſtatibus diceretur: *Attollite portas principes veſtras &c.* Proinde ſi incongruum videtur cum gaudio recolere tranſitum, qui GAUDII NON FUIT, caveatur & in iſtis (*Machabæis*); aut ſi iſtos ob ſuæ virtutis meritum FESTIVO PROSEQUI FAVORE placet, cur non itidem deferetur & illis »? Mitto cetera, quæ vir maximus complexus eodem opere eſt, quod hæc ſatis eſſe ad dignoſcendum putem, quæ eſſe poſſit verſuum illorum ex *Hymno ad laud. Officii s. Joſephi*, quibus Cadoniciani abutuntur, ſignificatio.

ci orbis, ut oſtendimus, Doctorum, & Catechiſmorum; ſed etiam librorum Eccleſiaſticorum Ritualium, quod mox demonſtrabimus, auctoritatem, ac fidem? Quid? Si ne ex verbis quidem illis, quibus componuntur verſus, quibus abuteris, concludere quiſquam poſſit, Joſephum, ſtatim ac ſolutus laqueis carnis fuit, ad æternas ſedes migraſſe[1]?

Quod de S. Joſepho dixi, eſſe item dictum putato de Innocentibus, de Septem fratribus Machabæis, de Johanne Baptiſta, deque Sanctis ceteris, qui ante Chriſtum mortem obierant, quorumque eſt abs te facta mentio. Quamquam a me quoque de ſermonibus illis, quos in SS Innocentium, Machabæorumque laudem ſcriptos, inlatoſque in Breviarium Romanum dicis, actum fuiſſe data opera, memini[2]. Quod ſi quæ dicta ab Auguſtino de Machabæis fuerunt, Eccleſia ad Sanctos ſeptem Martyres, qui M. A. Antonino Imper., pro Chriſto certarunt, aptat; eo quidem aptat, non quod, velut hi, ſtatim atque perfuncti martyrio ſunt, frui cœperunt aſpectu Dei, ſic item Machabæos, ſimul ac deceſſere, aſpectu Dei frui cœpiſſe arbitretur; ſed quod ſciat, ea, quæ, etſi non ante Chriſti deſcenſum ad inferos facta[3] fuerant, quia tamen certo erant futura, uti facta Auguſtinus de Machabæis agens propoſuit, multo aptius accommodari ad ſeptem Fratres Martyres poſſe, qui ut e mortali migrarunt vita, confeſtim facta viderunt, quæ dum certarent, ſibi obventura ſperaverant.

Quod adjungis e formula illa precum, *quæ ad offertorium in Liturgia pro mortuis* adhibetur, ad rem profecto non pertinet. PROMISSAM *enim olim lucem ſanctam Abrahæ* fuiſſe, inde tibi licebit efficere; allatam ſtatim atque deceſſit, non item.

De

1 Non enim in iis τοῦ *ſtatim* veſtigium ullum extat.

2 *Pag.864. ſeq. hujus operis.* De SS. iiſdem V. T. vide *Not.* ad p. 1012. hujus operis.

3 Vide quæ ſcribit Auguſtinus in Epiſtola ad Bonifacium, e qua inſignem locum in hujus operis paginam 869. ſeq. tranſtulimus.

De *ſinu Abrahæ* quod objicis, cave ne non tute primus cogitaſſe, ſed e Pſeudo-reformatorum libris mutuatus eſſe videare. Nam tale quidpiam Catholicis noſtris objectum a Mareſio fuiſſe intelligo homine de ſecta Calvinianorum [1]. Atque eſt quidem iſta Mareſio digna ex *ſinus Abrahæ* appellatione concluſa ratio. Nihil enim umquam audivi levius. Hanc graviter, ac vere, ut ſolet, pauciſque, ut res poſtulabat, refellit Thomas [2], e cujus quidem AngeliciDoctoris tam brevi oratione,quam in ſubjectam adnotationem tranſtulimus, cum omnis ſit Patrum, Eccleſiæque univerſæ de Sanctor. Veteris Teſtamenti limbo, ſeu de loco inferorum,qui ante Chriſtum ſinus erat Abrahæ, comprehenſa traditio, non ſolum ever-

1 Hujus eſt a nobis pag. 375. ſeq. not. 5. deſcriptus locus.

2 III. P. Quæſt. LII. *art.* II. „ Sinus Abrahæ poteſt ſecundum duo conſiderari, uno modo ſecundum quietem, quæ ibi erat a pœna ſenſibili, & quantum „ ad hoc non competit ei nomen inferni, nec ſunt ibi aliqui dolores. Alio modo poteſt conſiderari quantum ad privationem gloriæ ſperatæ, & ſecundum hoc „ habet rationem inferni, & doloris: & ideo nunc dicitur ſinus Abrahæ illa requies beatorum, non tamen dicitur infernus, nec dicuntur nunc in ſinu Abrahæ „ eſſe dolores „ Benedictus Aretius vir e numero Pſeudo reformatorum *in Problematibus Theologicis* Catholicos redarguit, uti nunc redarguimur a Cadonico, quaſi *illud, quod* dicimus, de ſinu Abrahæ *impertinens ſit, & alienum a mente Scripturæ*. Hunc graviter oppugnans Johannes Lenſæus *lib. de Limbo cap.* III. *p.* 297. „ Quatenus, *inquit*, modo limbus ille Patrum non ſit, hoc eſt, talis aliquis, „ qualis ille erat apud inferos, Sanctarum, & plene alioqui purgatarum animarum ſtatus; SINUS TAMEN ABRAHÆ nec modo eſſe deſiit; quin plus etiam „ in eo quietis, atque ſolatii poſt Chriſti adventum eſſe cœpit EX DEI CLARA „ CONTEMPLATIONE: quippe qui tunc apud inferos illis erat Abrahæ ſinus, „ nunc iiſdem, & aliis Sanctorum ſpiritibus in Cælo eſt, in quem, ut recipiantur animæ defunctorum, Chriſti quoque Eccleſia (teſte Dionyſio Areopagita) „ deprecatur. In quo ſinu D. Auguſtinus gratulatur ſuum eſſe Nebridium. *Quidquid enim illo ſignificatur*, inquit, *ſinu, in eo meus vivit Nebridius & jam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit, quantum poteſt, ſapientiam pro aviditate ſua ſine fine felix*. Sic & apud Sulpitium Severum: „ *Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur*, omniſque ante corporum reſurrectionem purgata anima hunc in ſinum deportatur, quemadmodum id Prudentius verſu expreſſit in hymno defunctorum:

Sed dum reſolubile Corpus
Revocas Deus, atque reformas,
Qua nam regione jubebis
Animam requieſcere puram?
Gremio ſenis abditam Sancti
Recubabit, ubi eſt Eleazar.

„ Atque id quidem recte Prudentius. Nam reformato per glorioſam reſurrectionem corpore, non jam abdita, & ſecreta quies, ſed erit electorum omnium „ manifeſta, ipſiſque etiam reprobis conſpicua felicitas. Ideoque & illa diſtinxit

„ Hi-

evertitur Mareſii ratio illa inanis,[1] ſed quidquid etiam tuarum animadverſionum intuliſti *in capita* XVIII. *&* XXI.[2] Operis tui *de Divi Aurelii Auguſtini, quæ videtur, ſententia*.

De loco, quem e Sacramentario Gallicano expreſſit Feltrius, non laboro. Eſt enim ejus loci omnino ſimilis, quem Johanni Chryſoſtomo falſo attributum, evolvimus, atque illuſtravimus tertio hujuſce libri noſtri ſecundi *capi-*

„ Hilarius enarrans pſalm. LI. » *Extendit*, inquit, *Sanctus Propheta ſpes ſuas* ad infinitam perennitatis ætatem, nec concluditur mortis occaſu, eum ſciat ſibi in Abrahæ ſinibus, exemplo pauperis Lazari, eſſe vivendum; ſciat quoque glorioſæ reſurrectionis demutatione coæternum ſe, & conformem Deo eſſe manſurum. » Quod ſi quis hic objiciat, ipſa differentia Lazari, & Epulonis, qua ille dicitur eſſe deportatus in ſinum Abrahæ, hic vero ſepultus in inferno, ſignificari Lazarum non fuiſſe apud inferos, ſed divitem ſolum; nos ei reſpondebimus illud primum: non ſolum in græcis codicibus, verum etiam in latinis permultis ſecus haberi, ut nimirum hæc ſit contextus illius diſtinctio: *Mortuus autem eſt & dives, & ſepultus eſt. In inferno autem elevans oculos ſuos &c.* quomodo & Auguſtinus legit *libro* XII. *de Geneſi ad litteram cap.* XXXIII. *&c.* Deinde ne lectionem alteram aut damnare, ut vitioſam, aut non ſuſtinere poſſe, ut adverſam videamur; conſiderandum eſt, divitem Epulonem non ſimpliciter in inferno collocatum, ſed *ſepultum* diei, ut illic obrutum, & in ima detruſum, planeque coopertum ſuppliciis cogitemus. Sed neque *Chaos* illud magnum intelligi neceſſe eſt ſpatium ingens illud, quod eſt inter cælos, & inferos interjectum, cum & in ipſa inferorum amplitudine tamquam vaſta quadam regione concipi poſſit hoc *chaos*, quod rectius *hiatum*, ſeu *voraginem* dixerimus, id enim greca dictio χάσμα ſignificat: hac nimirum figura ſermonis inſinuante nobis Abrahamo (id quod D. Ambroſius hunc interpretatus locum breviſſime dixit) non poſſe merita poſt mortem immutari „. Ad locum Thomæ quid Cadonicus reſpondeat, conſideremus. *Ex hoc*, inquit, *etiam loco* (ultra *cæteros ſuperius commemoratos*) *aperte conſtat*, *Sancti Thomæ ſententiam omnino ab Auguſtiniana diſcrepare. Illo ſcilicet dolores in ſinu Abrahæ inveniente*, *negante altero*. Euge Cadonice. Actum eſt abs te more tuo. Quod reſponſum Thomæ expugnare ratione non poſſe cognoſti, eludendum putaſti commentis, & confidentia. Callide! Implicatum iri ſperaſti Lectores tuos, ſi fidenter abs te jactari intelligerent, *aperte conſtare*, Auguſtini ſententiæ adverſari ſententiam Thomæ; *dolores hoc in ſinu Abrahæ inveniente*, *negante altero*. Quamobrem non æque curaſti, ubi id alter iſte neget, oſtendere. Indicas tu quidem Auguſtini ex Epiſtola ad Evodium tritum ſermone Theologorum locum, quem egregie a Thoma explicatum, teſtimoniiſque perpluribus Auguſtini tibi minime faventem vidimus. Profers præterea teſtimonium S. ejuſdem Auguſtini e IX. *Confeſſionum libro c.* III. de Nebridio in ſinu Abrahæ manente, quod teſtimonium allatum a Lenſæo nos item paulo ante deſcripſimus. Sed Nebridium (qui diu poſt mortem Chriſti deceſſit) in ſinu Abrahæ, ubi dolores nulli ſint, ſed ſumma quies, atque incredibile gaudium, manere, annon etiam Thomas ſtatuit? Quæ igitur eſt iſta, quam tu tam confidenter fingis, inter Thomam, atque Auguſtinum luctatio?

1 Quæ traditio Eccleſiæ ſit de Sanctis veteris Teſtamenti in inferis, ſeu in Limbo, quem dicimus, differri ſibi coronam dolentibus, iiſdemque ſpe lætis, ac quieſcentibus: hujuſce operis priore libro *cap.* III. *ſeq.* demonſtratum eſt.

2 *Pag.* 139. *ſeq.* & *cap.* XXI. pleno inanium ratiocinationum ſimilium plane earum, quas hactenus refutavimus, cujus capitis hæc eſt Cadoniciana inſcriptio: *San-*

capite[1]. Eſt vero illorum minime ferenda ratio, qui locis hujuſmodi, quæ cum involuta obſcuritate ſunt, tum perfacile explicari queunt, tot perſpicua, quot ne numerando quidem percenſere poſſumus, non luce quidem donare, ſed noctibus obducere conantur, ut ne eſſe doctrinæ omnium Eccleſiarum Catechiſmis, Inſtitutionibuſque comprehenſæ conſentanea videantur.

§. III.

Librorum Liturgicorum totius Catholici Orbis auctoritate oſtenditur, Sanctorum Veteris Teſtamenti animas, deſcenſu Chriſti ad inferos, fuiſſe vindicatas in libertatem, adeoque tum primum beari cœpiſſe aſpectu Dei.

Atque ut ne qua re ſimilis eſſe videar eorum, qui cum nihil habeant veterum monumentorum, quæ ipſis præſidio ſint; tum eſſe ſibi permulta glorientur in promtu, ut, quod veritate nequeunt, id arte, quæ confidentia maxime nitatur, aſſequi poſſint; proferam in medium ex hymnis, precibuſque Eccleſiaſticis ῥητὰ adeo perſpicua, ut (verſent ſe licet adverſarii quacumque volent, idque enitantur, in eoque omni ope, omnibuſque viribus laborent, ea ut implicent, rapiantque in alienam ſententiam) extorquere tamen etiam ab invitis debeant, ut doctrinam Catechiſmis Eccleſiarum hac de re noſtra omnem comprehenſam, hoc eſt inſtitutionem *credendi lege ſupplicandi ſtatui*[1], firmarique confiteantur.

In

Sanctorum Patrum in ſinu Abrahæ receptorum quies, niſi explicetur pro beatitate eſſentiali, qua potirentur, ſcripturis, & rectæ rationi, & eorum fidei, ſpeique, immo promiſſionibus Dei adverſari videtur. Quam id non videatur, oſtenſum hactenus a nobis eſt Theologos orthodoxos omnes, Patres, Cœtus quoſque Catholicorum, Pontifices denique Maximos præmonſtrantes ad veritatem viam ſequutis..

1 *Pag.* 957. *ſeq.* Miror Feltrium non dubitaſſe, Arnoldi Abbatis Bonæ Vallis (*ex Tractatu de Cardinalibus Chriſti operibus*, qui extat in *Appendice ad Cypriani Opera*) teſtimonio voluiſſe uti, ut ſuam de Sanctis Innocentibus ab Herode peremptis,

In hymno ad *Matutin. Dominicæ in Albis*, ut eſt in Romano Brèviario, hæc leguntur:

,, Rex ille dum fortiſſimus
,, De mortis inferno ſpecu
,, PATRUM SENATUM liberum
,, Eduxit AD VITÆ jubar.

ptis, ſtatim atque fuere perfuncti mortali vita, beatis aſpectu Dei ſententiam confirmaret. Arnoldi verba, quibus ille confidit, hæc ſunt omnino. » Sic San- » ctorum perſecutionibus tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere, ,, quos occidit, melioris vitæ ſtatum eis procurat, & quod ille in perditione ,, molitur, hi utuntur pro beneficio, quibus lucra vitæ perpetuæ per hæc mo- » mentanea damna celeri compendio acquiruntur . . . ILLICO ſpiritus infantilis » vaſculi receptaculum deſerens . . . ab illis infantilibus coagulis anima expedita, » adepta rationis, & intellectus plenitudinem in occurſum Chriſti feſtinat, a quo » militiæ ſuæ quærens ſtipendium, ad lucis, & pacis æternæ præmittitur gaudia, ,, & epiphaniæ ſolemnia in cæleſtibus celebrat: nec in ſtellæ alicujus lumine, » ſed in ipſa claritate divinæ præſentiæ gloriatur . . . In momento aſſequuti ſunt, ,, quæ pacificis, & mundo corde debetur, beatitudinem. Hi itaque a cunabulis » in cælum translati, facti ſunt superni capitolii Senatores, & Judices ,,. Miror, inquam, hæc non dubitaſſe afferre Feltrium confirmandæ ſuæ opinionis cauſſa. Nam qui mediocriter in libris Arnoldi verſati ſunt, dicta hæc fuiſſe more aliorum Scriptorum, præſertim autem Oratorum Eccleſiaſticorum, ſciunt, qui Scriptores Eccleſiaſtici exhibent plerumque ut *factum*, quod *faciendum* certo eſt; quodque *Sententia* conſtitutum eſt, id efferunt, quaſi re ille, de quo agunt, *Experiatur*. Confer, quæ ex Johanne Chryſoſtomo deſcripſi *hujus operis pag.* 948. *ſeq.* Tunc Feltri, Arnoldi Carnotenſis Abbatis Bonæ Vallis verbis quidquam proficies, cujus ſunt tam illuſtria de occluſo omnibus ante Chriſti mortem Paradiſo teſtimonia, tumque primum reſerato, cum eo Chriſtus latronem introduxit? Conſidera, quæſo te, quæ hujus operis *pag.* 450. *not.* 3. complexi ſumus; deinde quæ Arnoldus idem *Tract.* 11. ad illa Evangelii Verba ,, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo* ,, ſtatuit, expende. ,, Apertis ſeris antiquis latro primitiæ ,, derelictorum introducitur in Regnum Cælorum. AMOVETUR ab INTROI- ,, TU PARADISI CUSTODIA AB INITIO PERVIGIL, & verſatilis ille gla- ,, dius minax, quem Cherubim ab antiquo vibraverat, unde lucifer corruit ,,. Et *tract.* VI. ad illa verba: *Pater ignoſce illis &c. t.* XXII. *Bibl. PP.* ,, Ad ſanctificatio- ,, nem animæ obtinendam ſpiritus ille (Chriſti) deſcendit ad inferos, & aſcen- ,, dit ad ſuperos: ibi confringens vectes ferreos, & hic aperiens *portas æterna-* ,, *les* . . . Nec fuit mora inter oblatum, & impetratum, ſed ſub omni celeritate ,, ſe complexæ ſunt paſſio, & abſolutio. Itaque alterum ex altero conſtitit; ut ,, eadem hora & repleret ſuperos, & inferos captivaret. Acta ſunt tamen in cæ- ,, leſtibus gaudia illa prolixiori ſpatio, neque ſtatim reverſa eſt ad corpus ſuum ,, anima Chriſti, ſed interim his, quos de tam antiquis tenebris liberaverat, SPLEN- » DORIS DIVINI GRATULABUNDAM EXHIBEBAT PRÆSENTIAM ,,. Si primitiæ introductorum in regnum Latro fuit, ſi antea occluſus Paradiſus erat, ingreſſuſque in eum a cuſtodia ab initio pervigili, Arnoldo teſte, impediebatur; quo demum modo ad eum aditus infantibus illis patere, ex Arnoldi ſententia, poterat? Quinam vero in tenebris antiquis fuerant, niſi juſti, propterea quod occluſus eis paradiſus eſſet; quibus quidem juſtis Chriſtus *interim*, *anima ad inferos cum deſcendiſſet, ſplendoris divini ſui gratul abundam exhibuit præſentiam*, hoc eſt beatitatem, quæ viſione continetur naturæ Dei?

Ecquis *Senatus is Patrum* eſt ex *inferno ſpecu eductus ad vitæ jubar*, niſi Patriarcharum, reliquorumque juſtorum Veteris Teſtamenti chorus ereptus ex inferis, auctuſque æterna illa in Dei viſione conſiſtente vita? Scio, Cadonicum ad *antiquam*, ut ait, *hymni* ejuſdem *lectionem* provocare, quæ eſt hujuſmodi:

„ Dum Rex ille fortiſſimus,
„ Mortis confractis viribus,
„ Pede conculcans tartara
„ Solvit a pœna miſeros.

Verum quid hinc ille commodi poſſit capere, neſcio. *Miſeri*, inquit, *pœna ſoluti* fuerunt animi vexati purgatoriis cruciatibus. Sed labitur. Nam 1. eorum, qui hymnum hunc jam inde a tot ſeculis divinorum officiorum horas ſervantes recitaverunt, nemo unus fuit, qui verbis: *ſolvit a pœna miſeros*: non [1] indicari Patriarcharum, reliquorumque Veteris Teſtamenti juſtorum animas judicaret, quæ (ut omnium, quod quidem ſupra demonſtratum eſt, cœtuum catholicorum ferebat, fertque conſenſio) in inferis manebant, dolenteſque differri ſibi contentam Dei viſione gloriam, quam cupidiſſime expetebant, liberatorem interim præſtolabantur. Addictos autem ſacris homines divina officia perſolventes, cœtuſque omnes catholicorum non intellexiſſe, quæ ſacris hymnis comprehenſa ſunt; unumque Ca-

1 Vide locum S. Antonini Archiepiſcopi Florentini deſcriptum *pag.* 411. *hujuſce operis not.* 5. ubi „ erat, *inquit*, in limbo illo etſi non pœna ignis, tamen pœna „ damni, ſcilicet de retardatione gloriæ, quam expectabant, quæ aliqualiter af„ fligebat eos... Unde Eccleſia in Hymno: *ſolvit a pœna miſeros*, ſcilicet Chri„ ſtus „. Confer etiam Donati Martæ Eremitæ Auguſtiniani teſtimonium, quod attuli *pag.* 428. *hujus ipſius operis not.* 2. & Johannis Pauli Pallanterii *Explanat.* in Hymnos *Eccleſiaſticos ad Paulum V. P. M. pag.* 179. *edit. Rom. an.* 1606. *& p.* 187. *ſeq.* Profecto qui ante nos Catholici hunc hymnum legerunt, quique etiam num ita legunt, ne ſuſpicati quidem ſunt umquam, *miſerorum pœna ſolutorum* vocibus ibi ſignificati, non quidem animas Sanctorum Patriarcharum &c. ſed eas, quæ purgatoriis ignibus cruciantur. Confer etiam Joh. Olitam *Expoſ. hymnor. Novi Brev. p.* 216, *edit. Neapol. an.* 1639.

Cadonicum,dogma Proteſtantibus probatum in Eccleſiam inferre conantem, nunc demum vidiſſe verum, doctoremque veniſſe catholicis ipſis (quaſi hi tamdiu verſati in ſumma rei tantæ ignoratione fuerint) allaturum lucem, quis credat? 2. Ex hymno, qui ad *veſperas diei ejuſdem Dominicæ in Albis* recitandus præſcribitur (ut vetus lectio poſtulat) perſpici plane poteſt, de juſtis Veteris teſtamenti (quibus, *propriarum actionum* cauſſa, nulla ſupereſſet luenda temporaria *pœna* poſt mortem, quique in inferis conſiſtebant *expectantes adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*) τὸ *ſolvit a pœna miſeros* intelligi oportere. Hoc enim veſperarum, quem modo meminimus, hymno ſignificatur, obductum omnibus ante Chriſti mortem paradiſi oſtium, tumque primum, cum Chriſtus idem deſcendit ad inferos, *reddita vitæ præmia* fuiſſe. Sic autem habet:

„ O vere digna hoſtia,
„ Per quam fracta ſunt tartara,
„ Redemta plebs captivata,
„ REDDITA VITÆ PRÆMIA.
„ Conſurgit Chriſtus tumulo,
„ Victor redit de barathro,
„ Tyrannum trudens vinculo,
„ ET RESERANS PARADISUM [1].

Sed ſac minus clara ſit *antiqua* illa hymni, qua Cadonicus abutitur, *lectio*; at eſt tamen *lectio recentior* ſane clara. Neque enim quiſquam tam abſurdo ingenio eſt, ut *ſenatus Patrum* vocabulis, non Patriarcharum, Prophetarumque chorum, ſed animas purgatoriis ignibus

 cru-

1 Franciſcus Sylvius *in* III. *P. ſumma Theologicæ S. Thomæ. quæſt.* LII. *art.* V. „ Chriſtum, *inquit*, ad inferos deſcendentem liberaſſe Sanctos Patres ibi detentos, primo quidem claram divinitatis viſionem eis tribuendo ſtatim a ſua morte; poſtea vero etiam ex loco inferni educendo, SIGNIFICANS ECCLESIA dicit: *o vere digna hoſtia, per quam fracta ſunt tartara, redemta plebs captiva-* „ *ta*

cruciatas intelligat. Ecquando enim Eccleſia de juſtis, qui ante Chriſtum deceſſerant, agens aut *Patrum ſenatum* dixit multitudinem purgatoriis ſuppliciis cruciatorum, aut eos ipſos purgatoriis ignibus vexatos appellavit *Patres*? Quod ſi numquam (ut revera numquam alios, niſi Patriarchas ſanctos, Prophetas, juſtoſque ceteros, qui liberi a purgatoriis pœnis eſſent, eo appellavit nomine, quod quidem omnibus notum eſt) quæ tanta Cadonici licentia eſt, ut non perſpicuis recentibus monumentis minus perſpicua vetera illuſtrare, ſed implicare recentiora perſpicua minus perſpicuis veteribus conetur?

Quod ſi perſtat ille, vetuſtioribuſque ſeſe monumentis convinci, quam novis, malit; adſit animo, atque ad ea, quæ Sa-

„ *ta, reddita vita præmia* „. Triumphum Servatoris Chriſti, quem hiſce verſibus Eccleſia indicat, pictura item in Pontificalibus libris, (ut ex figura æri inciſa, quam in fronte huſce operis exhibuimus, cognoſci poteſt), valviſque ipſis Sacrorum templorum opere anaglypho Majores noſtri ad conſiderandum proponere ſuis conſueverant. De valvis Templi Beneventani confer *Theſaurum alterum Antiquitatum Beneventanarum medii ævi* a viro doctiſſimo Johanne de Vita Epiſcopo Reatino perſcriptum, editumque *Romæ an.* 1764. *pag.* 420. & Ciampinium *tom* II. *Veterum Monumentorum cap.* v. *pag.* 24. *edit. Rom. an.* 1699. De valvis Templi Piſani actum ab eodem Ciampinio eſt. Nos partis ejus anaglyphi operis, quæ pars ad rem noſtram attinet, ita ut *pag.* 360. promiſimus, ſchema damus.



Sacramentario Gregoriano, ut eſt in Codice XI. ſeculi, continentur, attendat. *In ſequentia, quæ poſt Epiſtolam in Liturgia Fer.* II. *poſt Paſcha recitanda* præſcribitur, hæc leguntur. „ Clara gaudia feſta Paſchalia. Congaudet cœ-
„ tus per omnia, dulce decantans alleluja. In qua Chri-
„ ſtus per crucem redemit ANIMAS inferno deditas, a
„ Protoplaſto quotquot in hoc ſeculo progenitæ fuerant,
„ PATRIARCHARUM OMNIUM, omniumque ſimul
„ Regum. Detinebantur Clauſtra tartarea mortis cruore
„ retruſa, donec victor mortis Dominus omnium, at-
„ que Sanctus Sanctorum cum crucis trophæo infernum
„ penetrans abegit clauſtra ſæva. Quis es Dæmones ulu-
„ lans cruciger, qui noſtra ut Deus ſolvit vincula cun-
„ cta? Fugatis tenebris fulgurate atra . . . . . . rutilans
„ lumine perluſtrat. CLAMABANT SANCTI: Ad-
„ veniſti olim Domine Regum Rex, ave, quem olim
„ vates præcinere jam nos. Ave Redemtor Rex ave.
„ Tunc Jeſus cum LÆTA SANCTORUM gloria pro-
„ ceſſit, morte victa „. Eodem pertinent, quæ in hujus operis caput tertium [1] ex eodem Codice, exque Vetere Ordine Romano [2] tranſtulimus. Rurſus *Præfatio* Sabbato ſancto recitanda in re divina (quæ *Præfatio* in Codice Vaticano annorum nongentorum, poſt Sacramentarium Gregorianum legitur, referturque a Muratorio *Tom.* II. Liturgiæ Romanæ Veteris) habet hoc modo, [3]: „ O noctem, quæ FINEM TENEBRIS ponit, &
„ æternæ lucis viam pandit! O noctem, quæ videre
„ meruit & vinci diabolum, & reſurgere Chriſtum! O
„ noctem, in qua TARTARA SPOLIANTUR, SAN-
„ CTI

1 Locum, unde deſcripta ſuperius verba translata huc ſunt, indicavi *pag.* 516. *hujus operis not.* 2. & 4. quo etiam loco egi de ceteris, quæ eodem in codice leguntur.

2 *Pag.* 522.

3 *Pag.* 312. *edit. Veneta an.* 1748. Confer etiam *tom.* III. *Antiquitat. Liturgicar. edit. Duacen. an.* 1603. *pag.* 113.

„ CTI [1] AB inferis LIBERANTUR, CÆLESTIS PA- „ TRIÆ ADITUS *aperitur* „. Quin etiam *Præfatio*, quæ *ibid. die Dominica Paſchatis* dicenda proponitur, hæc continet omnino [2]: „ Paſcha noſtrum immolatus eſt Chri- „ ſtus, per quem ad æternam vitam filii lucis oriuntur, „ fidelibus REGNI CÆLESTIS ATRIA RESERAN- „ TUR „. Huc item ſpectant, quæ in *Præfatione* leguntur *Dominic. 1. poſt Aſcenſam Domini* [3]: „ Qui generi huma- „ no naſcendo ſubvenit, cum per mortem paſſionis mun- „ dum devicit, per gloriam reſurrectionis VITÆ Æ- „ TERNÆ ADITUM PATEFECIT „. Et in *Præfatione* in *Paſſion. S. Johannis Baptiſtæ* [4]: „ Herodem a fraternis tha- „ lamis prohibendo carceris obſcuritate detruditur, [5] ubi „ ſolius divinitatis tuæ lumine frueretur; deinde capi- „ talem ſententiam ſubiit; & AD INFERNA Domi- „ num præcurſurus deſcendit, & quem in mundo digi- „ to demonſtravit, ad INFEROS PRETIOSA MORTE „ PRÆCINUIT „. In Sacramentario Gelaſiano primum a V. S. R. E. Cardinali Thomaſio [6], deindeque a Muratorio edito *Tom. I. Liturgiæ Romanæ Veteris* [7], in *orationibus Paſchalibus veſpertinis* hæc etiam ponitur: „ Deus, „ qui per Unigenitum tuum DEVICTA MORTE ÆTER- „ NITATIS NOBIS ADITUM RESERASTI, erige ad „ te tuorum corda credentium „. Cujus *orationis* altera illa eſt ſimilis, quæ & recitabatur olim, & recitatur etiam

nunc

1 De *Sanctorum* appellatione vide, quæ ſcripſi *pag.* 540. *hujus operis in not.*

2 Apud Muratorium *ibid. p.* 313. Vide etiam idem Sacramentarium a Menardo illuſtratum *tom.* III. *opp. S. Gregorii pag.* 12. 74. 78. 95. & 192. *Edit Pariſ. an.* 1705.

3 Apud Murator. *Ibid. pag.* 319.

4 *Ibid. pag.* 331.

5 Sunt hæc omnino ſimilia eorum, quæ ſcribit Gregorius Magnus *Homilia* VI. *ut pagina* 533. *hujus operis in not.* animadvertimus. Vide etiam Paterium in *Geneſ. lib.* I. *cap.* XXVIII. *p.* 18. *tom.* IV. *opp. S. Gregorii edit. an.* 1705.

6 Hoc idem Sacramentarium notationibus ab Antonio Franciſco Vezzoſio Clerico Regulari Theatino viro præſtanti eruditione, atque doctrina illuſtratum eſt, rurſumque excuſum typis Palearinianis Romæ an. 1751. *tom.* VI. *Collectionis operum* Venerabilis ejuſdem S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Thomaſii. *Vide n.* LVI. *pag.* 85. & *num.* XLVI. *pag.* 78.

7 *Num.* LVI. *pag.* 582.

nunc in re divina die Sancto Paſchæ: „ Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum ÆTERNITATIS „ NOBIS ADITUM DEVICTA MORTE RESERA-„ STI, vota noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam „ adjuvando proſequere „. Sexcenta ſunt ejuſmodi in veteribus, recentibuſque Liturgicis S. R. E. Libris, quæ Juſtis omnibus Veteris Teſtamenti clauſum fuiſſe regnum, aditumque æternæ vitæ, Juſtoſque ipſos in tenebris fuiſſe inferorum, ibidemque a Chriſto divina luce colluſtratos, indeque ereptos demonſtrant, quæque lubens, ne ſim longus, prætereo. Ex his autem, quæ complexus breviter ſum, facile quiſque intelliget, *miſerorum ſolutorum pœna* vocabulis, non purgatoriis ignibus cruciatos, ſed Sanctorum Patriarcharum, reliquorumque juſtorum V. T. animos indicari in eo hymno, cujus *antiqua lectione* Cadonicum abuti vidimus. Quamobrem ſapienter ſane, apteque ad quorumque non Theologorum [1] modo, ſed etiam Chriſtianorum orthodoxorum omnium ordinum perſuaſionem, proindeque vere id, quod erat in eodem hymno de *ſolutis a pœna miſeris*, declarandum Urbanus VIII. P. M. verſibus hiſce duobus duxit:

Se-

1 In Theologis Catholicis, quorum longam ſeriem deſcripſi *cap.* IV. *lib* I. hujuſce operis, numerandus omnino erat Thomas a Kempis, cujus egregium extat opuſculum *de Imitatione Chriſti*, quod quidem opuſculum vir ſummus S. R. E Cardinalis Baronius pendebat maximi, & Ludovicus Granatenſis *omni laude dignum*, *ac fama majus* eſſe dicebat. Ejus autem celeberrimi, omniumque catholicorum manibus triti opuſculi *lib.* III *c.* XVIII. *p.* 147. *edit. Lugdun. an.* 1720. ſic habetur: „ Multo magis conſolatoria (eſt vita præſens) quam olim in lege „ veteri fuerat, cum porta cæli clauſa perſiſterer, & obſcurior etiam via ad cælum videbatur, quando tam pauci regnum cælorum quærere curabant. Sed NE-„ QUE QUI TUNC JUSTI ERANT, & ſalvandi, & ſacræ mortis debitum, „ CÆLESTE REGNUM POTERANT INTROIRE„. Confer etiam *Antidotarium animæ*, ſeu *meditationum*, *confeſſionum*, *ac devotarum orationum libellum* Nicolai Saliceti artium, & medicinæ Doctoris, Abbatis Monaſterii B. Mariæ de Pomerio Ord. *Ciſterc. edit. Veneta an.* 1538. *pag.* 175. quo loco hæc leguntur: „ O „ triumphator nobilis, Chriſte, tunc Sancta, & felix anima tua ad inferni clau-„ ſtra deſcendit, .. ET ELECTOS TUOS, QUI IBI CAPTIVI TENEBANTUR, „ AD GAUDIA PARADISI PERDUXISTI „. Mitto L. A. Muratorium *lib.* III. *de Moderatione Ingeniorum cap.* IX. *pag.* 219. *edit. Veneta an.* 1752. Theologos Carmelitas Excalceatos Collegii Salmanticenſis *Tractatu de Incarnatione*, Joſephum Cardinalem Thomaſium *in Pſal.* XV. *to.* III. *opp. edit. Rom. an.* 1748. *p.* 48. alioſque, cum de Theologis actum, ut dixi, a nobis fuerit copioſe.

Senatum Patrum liberum
Eduxit ad vitæ jubar.

Atque occluſum quidem regnum credentibus fuiſſe, apertumque porro, cum Chriſtus idem aculeum devicit mortis, oſtendit quoque Hymnus, ſeu Canticum, cujus eſt initium: *Te Deum laudamus*: quo certe cantico ab Latina Eccleſia ubique gentium in divinis officiis adhibito fidei noſtræ Symbolum paucis comprehenditur. Sic aurem habet: „ Tu rex gloriæ Chriſte. Tu Patris ſempiter„ nus es Filius. Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem „ non horruiſti Virginis uterum. TU DEVICTO MOR„ TIS ACULEO APERUISTI CREDENTIBUS REGNA „ CÆLORUM „. Quemadmodum autem hæc aperuiſſet, niſi clauſa ante fuiſſent? Quid? Quod in *Romano Rituali* recognito, publicatoque a Paulo V. deincepſque a Benedicto XIV. PP. MM. hoc extat *Reſponſorium* poſt *lectionem nonam officii Fidelium Defunctorum*: *Libera me Domine de viis inferni, qui portas æreas confregiſti, & viſitaſti infernum*, &c. DEDISTI EIS LUMEN, UT VIDERENT TE, QUI ERANT *in pœnis* TENEBRARUM [1]. Animas ne, Cadonice, purgatoriis ignibus cruciatas hic etiam indicari dices? Quid? Nihil ne his pœnæ plus irrogatum fuiſſe ſtatues, quam *tenebrarum*, hoc eſt privationis *luminis*, quo intuerentur Deum? Id vero ſi ſtatuas, annon cognoſcis, te contra communem Eccleſiæ doctrinam conſtituturum? Deinde, cenſen' Paulum V. & Benedictum XIV. PP. MM. qui eum Ritualem librum perfici juſſerunt, aut neſciviſſe quid eodem libro inſeri jubebant, quod certe injurium eſt; aut, quod ferendum nullo modo eſt, contra ſtatuiſſe in Rituali libro ſuo, atque ſtatuerint in ſuis Catechiſmis, Profeſſioneque fidei, quam ad Patriarchas Orientis miſerant, ut ab Epiſcopis

1 *Titulo* VI. *cap.* IV. *pag.* 149. *ſeq. edit. Rom. an.* 1752.

ſcopis ſubſcriberetur, ſi recipi ab Eccleſia Romana in communionem cuperent? Atque Paulus quidem, deſcendiſſe Chriſtum anima ad inferos, *liberandorum Sanctorum Patrum cauſſa*, non modo in eo Catechiſmo, quem probavit, tradique pueris, neophytis, catechumeniſque juſſit [1]; ſed etiam in *Profeſſione fidei* ad Patriarcham, Epiſcopoſque ceteros Chaldæorum tranſmiſſa, ut ei, ſi Catholici eſſe, haberique vellent, aſſentiri ſeſe confiterentur, hoc idem, quod eſt de Sanctis Veteris Teſtamenti Patribus Chriſti deſcenſu exemptis ex inferis, in religionis articulis [2] poſuit. Bened. autem XIV. idipſum non modo Catechiſmo comprehendit, quem edidit, cum Bononienſem Eccleſiam moderaretur [3], ſed libris etiam de *Canonizatione Beatorum* [4], deque *Sacrificio Miſſæ* [5] complexus eſt.

oooooo Quod

1 Confer quæ ſcripſi *pag.* 251. *hujuſce operis in not.*
2 Vide, quæ ſcripſi *pag.* 501. *ſeq. hujus ipſius operis*.
3 Vide *hujus operis pag.* 294. *in not.*
4 Confer *hujus operis pag.* 1012. *in not.*
5 *Lib.* II. *cap.* v. *num.* 19. *pag.* 82. *edit. Patav. an.* 1764. „ In feſto Sanctorum „ Innocentium, *inquit*, Alleluja omittitur, quod Eccleſiam miſerarum ma„ trum commiſereſcat, quæ ante ora ſua lactentes filios viderint trucidari, ut be„ ne advertit Amalarius *de Eccleſiaſticis officiis lib.* 1. *cap.* XLI. In hac vero die Ec„ cleſiam jure conqueri, animadvertit Hugo de Sancto Victore de *Officiis Eccleſiaſti„ cis cap.* VIII. quod miſerorum animas puerorum SCIAT non in paradiſum con„ tinuo convolaſſe. *In die hac vocibus lætitiæ abſtinemus, quia Innocentium animæ „ ad inferos deſcenderunt, ſicut & omnium, qui ante paſſionem Chriſti obierunt*. Ex „ quo factum eſt, ut in ejus feſtivitatis octava dicamus Alleluja, itidemque in ipſa „ feſtivitate, ſi in dominicam incidat. *Si illorum feſtivitas in Dominica venerit, „ omnia de illis, ut de aliis Sanctis, agimus, quia in reſurrectione Domini eos San„ ctis aſſociatos* CREDIMUS. *In octava quoque illorum Alleluja, & alia canimus, „ quia facta Chriſti reſurrectione, eos in gaudio receptos ſcimus*. Verba ſunt Hono„ rii in *Gemma animæ lib.* III. *cap.* XIV. „ Quid ad hæc Feltrius? *Præpropere* ne Benedictum *exiſtimaſſe*, dicet, *fundamentum aliquod ſuæ opinionis in eo deprehendi, quod, in feſto horum puerorum die, vox alleluja a Sacerdotibus divinas preces facientibus omittatur?* Nam id cum de aliis quibuſdam Theologis *pag.* 34. *not.* 7. dicat, de Benedicto item eadem ſentiente dicat, neceſſe eſt. Ego vero numquam in animum inducam, ut credam, doctiſſimum Pontificem Hugoni a Sancto Victore, Honorioque Scriptoribus haud recentibus, harumque rerum ſane peritis conſentientem *præpropere* quidquam exiſtimaſſe: contra *præpropere* ea ipſa de re Feltrium ſententiam dixiſſe cenſeo, eoque ſic cenſeo, quod videam non ante illum conſideraſſe cauſſas, quibus eſt adductus, ut diceret. Nam quod Cardinalis Bona *Tractat. de Divina Pſalmodia cap.* XVI. §. XVII. *& rerum Liturgicar. lib.* 2. *cap* VI. §. V. quod V. Joſephus S. R. E. Card. Thomaſius *Diſquiſit. Antiquor. Rituum Cantuum Miſſæ tom.* V. *opp. pag.* XXV. *ſeq.* quod Petrus Couſtantius *in Cenſura Decretorum Damaſo Papæ adſcriptor. n.* XV. *tom.* 1. *collectionis Epiſtolar. Romanor. Pontif. edit. Pariſ. an.* 1721. *pag.* 614. *ſeq.* quod Mabillonius Commentar. in Ord. Roman. *num.* XV. *tom.* II. *Muſei Italici pag.* 455. *edit. Pariſ. an.* 1724. quod Amatus Pou-

Quod item contineri norat in eo, quod *eſt de Symbolo*, capite illius [1] Catechiſmi, quem omnibus Epiſcopis propoſuit ad tradendum orthodoxæ plebi.

Præ-

Pougetius *Inſtitut. Catholicar. to.* II. *ſect. altera* §. XXII. *n.* VI. *p.* 693. *edit. Veneta an.* 1742. quod Robertus Sala *in adnotat. ad locum ſupra indicatum lib.* II. *Rerum Liturgicar. Cardinalis Bona*: quod denique Tillemontius *tom.* VIII. *Monumentor. Hiſtoria Eccleſiaſtica pag.* 410. *edit. Parij.* adhibendi τοῦ *alleluja* uſum, ac diſciplinam variam fuiſſe ſtatuant, adeo ut illud ab aliquibus in exequiis etiam defunctorum fidelium adhiberetur aliquando; interdum etiam (præter quam a paſchate ad pentecoſtem) in miſſa prætermitteretur; id ſane non impedit, quo minus ex eo tempore, quo hæc diſciplina, quæ nunc obtinet, in Eccleſia latina invaluit, cauſſa ejus vocis in officio SS Innocentium prætermittendæ ea etiam fuerit, quod eadem Eccleſia infantes ipſos, ut vita functi fuere, ad inferos deſcendiſſe, nec ſtatim gloriam fuiſſe adeptos credat. At in Antiphonatio S. Gregorii, inquit Feltrius, ſcriptum legitur: In Natali SS Innocentium, *gloria in excelſis Deo non canitur, neque alleluja, ſed quaſi pra triſtitia dies illa deducitur*. Quid hoc? Negatur ne a Benedicto? Annon ille item *pra triſtitia diem illum deduci* putat, ob eam, quam indicavimus, cauſſam? At *ex his cogi debet, non propter puerorum ad inferos migrationem vocem illam fuiſſe omiſſam*. Expecto, quo canone artis dialecticæ id poſſit Feltrius *cogere*. Verum caveat, ne agat *praepropere*. QUIBUSDAM, inquit, placet τὸ ALLELUJA omitti propter *magnam lacrimarum vim, quam matres illorum infantium profuderunt*. Sit ita. Verum id *quidam* illi ſuo arbitratu ajunt, ex *verbis* autem Antiphonarii Gregoriani *cogi debere*, neque oſtendit Feltrius, neque iidem ipſi *quidam* ajunt. Quod ſi dicerent, non tamen alteram cauſſam illius *vocis* omittendæ, negarent, eam fuiſſe, quæ eſt de dilata infantibus iiſdem gloria. Pergat modo Feltrius, ſed moneo, ne pergat *praepropere*. Omitti, inquit, potuit *potius ad indicandam triſtitiam Eccleſia ex eo conceptam, quod Herodis juſſu, quaſitus ad mortem fuerit Chriſtus &c.* Potuiſſe etiam propter iſtam cauſſam, non nego; ſed propter ſolam, excluſa ea, quam Benedictus indicat, atque probat, id vero *cogi debere* ex Antiphonatio Gregoriano, vehementer nego. Agat nunc Feltrius, concludat ex Antiphonatio, *cogi debere*, quod vult. Non concludit autem, nec vero poteſt concludere. Cum autem non poſſit; tulerit neceſſe eſt ſententiam ſane *praepropere*. At *Alleluja* in feſto SS. Innocentium in uſu fuit in plurimis Eccleſiis Galliæ. Fuit quidem, verum modo non eſt. Nos autem quærimus, non cur uſurpatum olim fuerit, ſed cur modo univerſe ab Eccleſia Latina non uſurpetur. At fuiſſe in uſu docemur ab Edmundo Martenio *de Antiquis Eccl. Ritib. tom.* III. *lib.* IV. *cap.* XIII. *num.* XII. Indicet etiam *paginam*, ſi volet Feltrius, equidem fuiſſe in uſu non repugnabo. Sed eſſe modo in uſu nego. At *fuiſſe in uſu*, docet item Epiſcopus Abrincenſis apud eumdem Martenium. Jam eodem Feltrius revolvitur. *Fuiſſe* fateor; ſed nihil hoc ad rem. At, ut idem eſt Abrincenſis auctor, non ob aliud *omiſſum* eſt τὸ *alleluja in aliquot Eccleſiis, niſi ob triſtitiam mortis Chriſti*, quæ licet reipſa in infantium cæde non contigerit, contigit tamen ſecundum æſtimationem Herodis. Vereor, ne *nimis facile*, atque *praepropere* addiderit τὸ *non ob aliud* Feltrius. Nam id Abrincenſis Antiſtes non adhibet, neque ſi adhiberet, labefactare ſententiam communem poſſet. Jam vero, cum idipſum, *non ob aliud*, dictum ab Abrincenſi non fuerit, reſtat, ut etiam ob *aliud* illud, quod Hugoni a S. Victore, quodque Honorio probatum probat item Benedictus XIV. omitti τὸ *alleluja* potuerit. Atque ob id potiſſimum omitti ſuadet Eccleſiarum omnium, de *infantibus* iiſdem haud ſtatim auctis beatitate conſiſtente in viſione Dei, conſenſio. Confer Benedicti XIV. *Librum* I. *de Feſtis cap.* X. *num.* XLIX. *pag.* 284. *edit. Patav. an.* 1758. Ex iis autem, quæ hactenus diſputata ſunt, Lector intelliget, a Theologis ne illis, quos Feltrius accuſat, an a Feltrio ipſo fuerit actum *praepropere*.

1 Vide quæ ſcripſi *pag.* 253. *hujus operis*.

Præterea in *Ordine commendationis animæ*, ut eſt in Sacerdotali Romanæ Eccleſiæ, *pag.* 119. *edit. Veneta an.* 1560. hæc leguntur: *Tu es Chriſtus, qui aſſumſit carnem de Virgine Maria* ... & DESCENDIT AD INFEROS AD LIBERANDUM SANCTOS PATRES; *& reſurrexit tertia die &c.* His paria reperies in libris Eccleſiaſticis Eccleſiæ Mediolanenſis [1]. Miſſale Gothicum vulgatum primum a V. Cardinali Thomaſio, deindeque a Muratorio tom. II. *Liturgia Romana Veteris*: *Ad Miſſam I. diei Sancti Paſcha pag.* 598. ſic habet: „ Natura terribilium tenebrarum præſentia tui fulgoris habita, „ jam tunc timuit judicari. EXULTAVERUNT SANCTI IN GLORIA LÆTANTES IN CUBILIBUS SUIS, quod auctorem PROMISSÆ SIBI LUCIS agnoſcerent. Quorum tu Domine ſtipatus agminibus, & tibi tantum noto ſplendore perfuſus, ſacrificia per te inſtituta ſanctifica &c. [2] „.

De *libris Sacerdotalibus* Valentino [3], & Ilerdenſi [4],

OOOOOO 2 cum

1 *Præf. pro* die S. Paſchæ *p.* 355. *tom.* I. *Liturgici Pameliani edit. Colon. an.* 1675. & Præf. *pro Natal. Beatorum Innocentium ibid. pag.* 309. quo loco non reddita corona Martyrii iis infantibus, ſed *imputata* dicitur; & *Præfat. pro die Decollat. S. Johan. Baptiſtæ ibid. pag.* 421. ubi ſic habetur: *Qui Dominum Jeſum Chriſtum Mundi Salvatorem veniſſe corporali præſentia demonſtravit*: ejus QUOQUE DESCENSIONEM PRÆCURRENS INFERIS NUNCIAVIT. In Breviario Monaſtico Caſinenſis Congreg. *Venetiis an* 1560. *edito pag.* 110. *ad d. Sabbati Sancti Lect.* II. hæc ex Gregorii Magni Homilia recitanda præſcribuntur: *Per hanc* Chriſti mortem, & reſurrectionem *electi, qui quamvis in* TRANQUILLITATIS *ſinu, tamen apud inferni clauſtra tenebantur, ad Paradiſi amœna reducti ſunt &c.*

2 Confer Mabillonii opus *de* Liturgia Vetere Gallicana *lib.* III. *ex miſſal. Gothico ad vigiliam Paſcha pag.* 250. *Edit. Pariſ. an.* 1685. & ad d. Paſchæ *nu.* XXXVII. *pag.* 254. & ex *Miſſali Gallicano Vetere ad d. Paſcha pag.* 374. *num.* XXXV. *ibid. ſeq.* Confer etiam, quæ *Tract. de antiqua Eccleſia diſciplina Edit. Pariſ an.* 1706. *ex mſ. Pontificali* 800. *annor. Eccl. Pictavien.* affert Martenius *pag.* 375. Mitto cetera, quæ ſane plura ſunt, ſed non eſt, cur agam copioſius. Eſt enim mihi faciendus modus. Conſule opus inſcriptum *Rituel Romain a l' Uſage de la Province Eccleſiaſtique d' Auch. Edit. Pariſ. an.* 1701. *pag.* 293. *ſeq. & pag.* 581. & 585.

3 Vide, quæ ſcripſi *pag.* 352. *n.* 1. *hujus operis*.

4 Confer, quæ ſcripſi *p.* 220. *n.* 4. *hujus operis. In libro Rituali Eccleſiæ Toletanæ ex Miſſali Mozarabum ad Vigil. Dominicæ Reſurrectionis, ut eſt apud Martenium in opere paulo ante indicato pag* 454 *Tit. de Benedictione Lucernæ*, ſic legitur: *Ut ne nos perderemus cælum, Chriſtus pateretur infernum. Suſcepit mors, quem tenere non potuit, amplificata ſucceſſu, ſed evacuata ſpolio.* Et paulo ante: *Paradiſi januam, quam piaculum lethale damnaverat, dextera myſterii cæleſtis aperuit.* Conſule etiam, quæ ibidem extant *in Oratione ante benedictionem Agni in Illaria Paſcha pag.* 465.

cum capite hujuſce operis tertio actum fuerit, non eſt neceſſe, ut eſſe rurſum agendum arbitrer. Ac de Latinæ quidem Eccleſiæ precum, rituumque libris ſatis dictum eſt.

Venio ad Græcos. In *Pentecoſtario pro die* Dominica Paſchatis *ad Matutinum in Synax.*, *καταβὰς εἰς ᾅδην οὐ πάντας ἀνέστησεν, ἀλλ' ὅσοι πιστεύσαν αὐτῷ ἠρετίσαντο. τὰς δὲ ψυχὰς τῶν ἀπ' αἰῶνος ἁγίων βιαίως κρατουμένας παρὰ τοῦ ᾅδου, ἠλευθέρωσε, καὶ πᾶσι δέδωκε πρὸς οὐρανοὺς ἀνιέναι*. Deſcendens ad infernum non omnes ſu-
„ ſcitavit, ſed quotquot ipſi fide adhæſerunt; ANIMAS
„ AUTEM SANCTORUM A SECULO APUD IN-
„ FERNUM violenter DETENTAS LIBERAVIT, OM-
„ NIBUSQUE AD CÆLOS remeare dedit[1] „. *In Paracletica pro die Dominica, tertii toni ode* VI. *in Canone Stavroanaſtaſimo*: *ἐξανέστης σήμερον ἀπὸ τοῦ τάφου οἰκτίρμον, καὶ ἡμᾶς ἐξήγαγες ἐκ τῶν πυλῶν τοῦ θανάτου· σήμερον. Ἀδὰμ χορεύει, καὶ χαίρει ἡ Εὔα, ἅμα δὲ καὶ οἱ προφῆται σὺν πατριάρχαι ἀνυμνοῦσιν ἀκαταπαύστως τὸ θεῖον κράτος τῆς ἐξουσίας σου*. „ Reſurrexiſti hodie e ſepulcro, noſque
„ e portis mortis eduxiſti. Hodie Adamus choros ducit, &
„ Eva lætatur, ſimul & Prophetæ indeſinenter laudant im-
„ perium poteſtatis tuæ „. Rurſum *in Triodio Dominicæ tertiæ jejuniorum*, ode 6. *Contac. ſeu Modul. Dominicæ, in qua Crux adoratur*: *οὐκ ἔτι φλογίνη ῥομφαία φυλάττει τὴν πύλην τῆς ἐδεμ. αὐτῇ γὰρ ἐπῆλθε παράδοξος δέσις, τὸ ξύλον τοῦ Σταυροῦ. θανάτου τὸ κέντρον, καὶ ᾅδου τὸ νῖκος ἐλήλαται, ἐπέστης δὲ σωτὴρ μου βοῶν τοῖς ἐν ᾅδῃ, εἰσάγεσθε πάλιν εἰς τὸν παράδεισον*. NON AMPLIUS FLAMMEA RHOMPHAEA CUSTODIT PORTAM EDEN. *Ipſi namque ſupervenit inopinatum vinculum*, SIGNUM CRUCIS. *Stimulus mortis, & inferni victoria ſummota eſt. Superveniſti namque, mi Servator, clamans iis, qui in*

1 Eadem omnino habet *Pentecoſtarium Ruthenum*. Similia habent Rutheni *in Officio Defunctor.*, quod dicitur *Dom. 1. poſt. Paſcha Od. 1. & ad Laud. Dom. de Cælis*, ſexcentiſque aliis in locis.

in inferis erant, INTRODUCIMINI ITERUM IN PARADISUM. Prætereo, quæ de Johanne Baptiſta ad inferos deſcendente continentur *Tropario Veſperarum diei* XXIX. *Auguſti menſis*, & *Menologio Baſilii* ad *d.* XXIX. *menſis ejuſdem* [1].

Eccleſiis Latinæ, Græcæque conſonat Armenia. Nam ea; ut a Georgio Anteplio Monacho viro erudito accepi, *in cantu Miſſæ diei Dominicæ Paſchatis*, ſic habet: *In cherubico curru deſcendit ad inferos* (Chriſtus) *& vitam JUSTORUM cœtibus attulit*. In Breviario: *Domine, qui vivifica morte tua dolores diſſipaſti, & deſcendens ad inferos reduxiſti tecum ANIMAS PROPHETARUM JUSTORUM AD LUCEM UMBRARUM EXPERTEM*. Rurſum in Cantico Miſſæ ſenex Simeon ſic alloquens Chriſtum inducitur: *Domine dimitte ſenem tuum ab hujus ſeculi ſenectute mea, quoniam ego ad Patriarchas me confero allaturus nuncium nativitatis tuæ. Qui ſolvis vinctos, ſolve nos a vinculis*. In altero item Cantico, quod Breviario continetur: *Qui mortem captivam faciens morte mortem conculcaſti dimittens agmen Prophetarum in requiem tuam umbrarum expertem*. Preterea *ibid*: *CAPTIVITATEM cœpit prædam, JUSTORUM agmen, & electorum chroum ducens in cælum ad manſiones Patris* [2].

Eodem pertinent, quæ ab Eccleſiis Syrorum, Coptitarum, Æthiopumque publice recitantur [3]. Cum igitur in Latina univerſa, Græcaque Eccleſia, Armenia quoque, Syra, Coptica, atque Æthiopica, cœtibuſque etiam iis

1 *Tom.* III. *Edit Rom. an.* 1727. *pag.* 224. Horum ſimilia perplura e libris Eccleſiaſticis Græcorum collegi. Sed hæc, quæ protulimus, ſatis ſunto. Ac cetera quidem producemus, ſi tempus ratioque deinceps monuerint. Conſulatur Michaelis Navii opus inſcriptum: *Eccleſiæ Romanæ, Græcæque Effigies Dialog.* V. *p.* 103. *ſeq.* & 105. *ſeq. Edit. Pariſ. an.* 1680. His, quæ deſcripſimus, paria continent Ruthenorum Eccleſiaſtici libri, ut teſtatus eſt mihi ejus gentis Monachorum Baſilianorum Procurator Generalis, ſcriptoque etiam firmavit.

2 Moſes Coronenſis *in Cantu de Nativ. S. Joh. Baptiſtæ*: » Lætitiæ, inquit, factus es nuncius animabus, QUÆ ERANT IN INFERIS, BIS PRÆCURSOR » *deſcenſus Domini in infimas Regiones terræ* ». Prætermitto cetera, quod hæc ſatis eſſe ad rem noſtram putem.

3 Vide quæ de Syris hujus operis *pag.* 551. *not.* 1. quæ de Coptis *pag.* 558. *not.* 1. & quæ de Æthiopibus *ibid. not.* 2. diximus.

iis hæreticorum harum poſtremarum gentium, qui jam uſque ab ſeculo Chriſti quinto ab unitate Catholica impie deſciverunt, Paſchalibus in primis diebus illud in ſynaxi publica reſonet, quod eſt de Chriſto ad inferos deſcendente, ſanctoſque ſuos adſerente in libertatem, ecquid erit reliqui, quam illud uſurpare, quod uſurpatum ab Cæleſtino I. P. M. fuit ad Epiſcopos Galliarum adverſus ejus ætatis rerum novarum cupidos ſcribente: OBSECRATIONUM SACERDOTALIUM SACRAMENTA RESPICIAMUS, QUÆ AB APOSTOLIS TRADITA IN TOTO MUNDO, ATQUE IN OMNI ECCLESIA UNIFORMITER CELEBRANTUR, UT LEGEM CREDENDI LEX STATUAT SUPPLICANDI ... *Quod adeo totum divini operis eſſe ſentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio pro illuminatione* etiam eorum, qui contra ſentiunt, *vel correctione referatur* [1]. Quin etiam uti nobis liceat hiſce Auguſtini verbis: [2] *Utinam tardi corde, & infirmi, qui non poſſunt, vel nondum poſſunt ſcripturas, vel eorum expoſitiones intelligere, ſic audirent, vel non audirent in hac quæſtione diſputationes noſtras, ut MAGIS INTUERENTUR ORATIONES SUAS, QUAS SÆPE HABUIT, ET HABEBIT ECCLESIA, AB EXORDIIS SUIS, DONEC FINIATUR HOC SECULUM. DE HAC ENIM RE, quam nunc .... non commemorare tantum, ſed plane tueri, & defenſare compellimur, NUMQUAM TACUIT IN PRECIBUS SUIS, etſi aliquando in ſermonibus exerendam nullo urgente adverſario non putavit .... Sicut ergo in HIS ORATIONIBUS, ita & in hac fide nata eſt, & creſcit, & crevit Eccleſia.*

CA-

1 S. Cæleſtinus *Epiſt.* xxı. *ad Epiſcopos Galliar. cap.* xı. *pag.* 1193. *tom.*1. *Epiſtolar. Rom. Pontif. Edit. Pariſ. an.*1721

2 S. Auguſtinus *lib. de Dono Perſever. cap.* xxııı. *num.* 63. *pag.* 566. *tom.*x. *opp. Edit. Antuerp. an.*1700.

CAPUT VI.

1. De articulo Symboli : *deſcendit ad inferos*: agitur, oſtenditurque, funditus eum regulis a Cadonico, Feltrio, & Dalhamo conſtitutis everti. II. Dalhamus, qui argumentum, quod ad controverſiæ hoc genus dirimendum conferat, nullum fortius eſſe jactat eo, quod repeti ex Thalmudici Hebræorum operis traditionibus plenis ſuperſtitionis poteſt, plagii convincitur, & confutatur.

FLorianus Dalhamus in ea lucubratione, quam inſcripſit *Hiſtoriam quæſtionis, & votum* [1], „ Fidei dogma, *inquit*, ſemper in Eccleſia obtinuit, Chriſti e „ corpore excedentis animam ad inferos deſcendiſſe, non „ quidem, ut dolores ibidem ſuſtineret, neque ut omnes „ univerſim, etiam ſceleſtorum, & incredulorum animas ex damnationis rogo in cælorum gaudia vindica- „ ret, quod cum Marcione veteres plures dixerunt; ſed „ etiam ut fidelium dumtaxat animas, quæ veræ Chri- „ ſti Eccleſiæ pia membra exſtiterunt, eliberaret, atque in „ beatificæ viſionis patriam victor traduceret. Firmiſ- „ ſima hæc eſt Catholicæ Eccleſiæ veritas invictis ſem- „ per argumentis contra alienigenas propugnata „. Nimirum hæc eſt, Dalhamo teſte, Symboli articulo de Chriſti ad inferos deſcenſu ſubjecta ſententia; ſive huc articulus ille ſymboli Apoſtolici quintus revolvitur. Verumtamen ſi valent canones ii, in quibus Dalhamus ipſe, Cadonicus, Feltriuſque conſtituunt dogmatum religionis dijudicandorum notam, ruat ea omnis ſententia, unaque propterea articulus idem concidat, neceſſe eſt.

§. I.

1 Hanc tranſtulit Cadonicus in poſtremi Operis ſui *de D. Auguſtini, quæ videtur, ſententia*, pag. XXII.

§. I.

Articulus de Chriſti ad inferos deſcenſu e ſymbolo tollatur neceſſe eſt, ſi modo ratio valeat, quam eſſe adverſarii ſtatuunt dogmatum religionis dijudicandorum notam.

Jam canonum ab adverſariis conſtitutorum priorem hunc eſſe animadvertimus [1]: *unum, alterumve Eccleſiæ Doctorem detrimento eſſe poſſe veteri, perennique Eccleſiæ traditioni*. Alterum: *quod Eccleſiæ JUDICIO DEFINITUM non ſit, id ad fidem non pertinere* [2]. Tertium: quæ non inſtituto judicio, ſed *in traſcurſu* (propterea quod de iis non fuerit potiſſimum controverſia) atque *obiter*, explicandæve rei alicujus gratia in Profeſſionem fidei aliquam, decretumve inducta ſunt, ea quidem non ſpectare ad fidei doctrinam. [3] Hiſce vero canonibus ſatis ſe adverſarii caviſſe exi-

1 *Vide hujus operis pag. 46. not. 1.*

2 Confer *quæ ſcripſi pag. 45. hujus operis & pag. 114. ſeq.* Feltrius Diſſert. de *S. Hilar. Pictav. Sententia &c. Edit. Neapol. an. 1761. p. 5.* univerſe hoc ſibi ſumit de re, quæ judicio Eccleſiæ definita non fuerit: *cum judicio*, inquit, *Eccleſiæ definita non ſit, ad fidem non pertinet*. Confer, quæ idem ſcribit *ibid p. 6. in not.* & quæ tradit Cadonicus *cap. 1. operis de D. Auguſt. quæ videtur, ſententia num. 2. ſeq. p. 2.* Dalhamus in *Cenſura* ab Cadonico præfixa operi modo indicato *p. xxi.* ex eo quod Eccleſiæ auctoritas nihil aliqua de re definierit, concludit, rem eamdem eſſe ἀδιάφορον, hoc eſt *indifferentem*. » Orthodoxia, *inquit*, ſemper illæſa permanente, ſiquidem nihil hactenus Eccleſiæ auctoritas hoc in negotio definivit ». Idem *novitatem* in re Theologica ne vocari quidem putat in ſuſpicionem erroris poſſe: ibid. p. xxv. » Tribuamus & hoc, *inquit*, hanc eſſe revera *novam*; an » neſciunt ſolliciti illi ariſtarchi, multas adhuc ſupereſſe Theologis quæſtiones &c.

3 Ita quidem ſtatuit Auctor Anonymus Epiſtolarum italice ſcriptarum ſex, editarumque Venetiis an. 1763. pag. 47. Sed quam inſigniter fallatur, *pag. hujus operis* 214. *& pag.* 519. *in not.* demonſtratum eſt. Confugit ille quidem ad Cani præſidium *lib. v. Locor. Theologicor. c. v. quæſt.* iv. Sed Canus eo in loco, quæ *obiter inducta* in Decretum, Profeſſionemve Synodi Œcumenicæ, aut Pontificis ſint, non negat univerſe pertinere ad fidem poſſe. Hoc negat, ita illa pertinere ad fidem, ut JUDICIA ſint *fidei catholicæ*. Quamobrem *: ea*, inquit, *non pertinent ad fidem*, HOC EST *non ſunt catholicæ fidei judicia*. Ac *judicia* quidem eſſe, ne nos quidem volumus, cum de iis inſtitutum *judicium* non ſit, neque poſt *judicium* ſit lata ſententia. Quare, ſi qua obiter in Decretis, Profeſſionibuſve Fidei Synodicis memorentur, & ad fidem pertinent, non inde dignoſcuntur, pertinere ad fidem, quia in iis memorantur; ſed aliunde, ſcilicet, quia aut ea Scriptura contineri, aut Traditione ad nos manaſſe Eccleſiæ univerſæ conſenſio docet: ut ſi *obiter* in Decreto Synodi Œcumenicæ, aut Pontificis, non inſtituto judicio, fieret Virginitatis perpetuæ Deipa-

ræ

exiſtimant, ut ne inimica ipſis orthodoxorum omnium de juſtis V.T. ereptis ex inferis &c. certa ſit, exque Apoſtolica traditione manans ſententia. Ego vero ab Dalhamo ſciſcitor, contineri ne putet Articulo Symboli Apoſtolici quinto (qui eſt de *Chriſti deſcenſu ad inferos*) vindicatos in libertatem non fuiſſe eos, qui in gehenna cruciabantur ſuorum ſcelerum cauſſa? Ait, ſe putare. Nam poſteaquam dixit: *neque ut omnes univerſim etiam ſceleſtorum, & incredulorum animas ex damnationis rogo in cælorum gaudia vindicaret, &c.* ſic addidit: *firmiſſima hæc eſt catholicæ Eccleſiæ veritas &c.* Indicet nunc, quo id fuerit *judicio definitum Eccleſiæ*. Cum autem nullo judicio ab Eccleſia inſtituto definitum id fuerit, judicium certe, quo definitum ſit, indicabit nullum. Quare ſi priore Cadonicianæ academiæ canone ſtandum eſt; illud ipſum, quod ea ſtatuit comprehendi articulo quinto ſymboli, non modo articulo ipſo non comprehendetur, ſed ne ulla quidem ratione pertinebit ad fidem.

Deinde ſunt, qui ferant, non unum, alterumve ſolum, ſed plures Patrum in eam opinionem incidiſſe, ut in INFIDELITATE mortuos, deſcenſu Chriſti, ex inferis fuiſſe exemtos arbitrarentur. Leonem Allatium doctum ſane hominem, & probatum temporibus ſuis accepimus. Is in egregio opere, quod *de Eccleſiaſticis Græcorum libris* inſcripſit, in eo errore fuiſſe ait Clementem

pppppp Ale-

ræ mentio, non vi quidem illius mentionis, in fidei capitibus id eſſet numerandum dogma, ſed quia Eccleſia docet, illud traditione contineri. Confer Cani locum, quem deſcripſimus *p. 34. hujuſce operis in not.* qua ratione Canus *ibid.* in dogmatibus quoque fidei id poni affirmat, quod de Patribus Veteris Teſt. ereptis ex inferis communis fert orthodoxorum ſententia, etſi a nulla Synodo, a nulloque Pontifice ſit inſtituto judicio definitum. Eodemque pacto dicendum eſt de eo, quod Sanctus Gregorius Magnus ſcribit: *Veram fidem per Catholicam Eccleſiam docere, quia deſcendens ad inferos Dominus illos ſolummodo ab inferni clauſtris eripuit, quos vivens in carne per ſuam gratiam in fide, & bona operatione ſervavit.* (*Vide p. 531. hujus op. not 4.*) quodque inſtituto judicio ab nulla Œcumenica Synodo, nulloque Pontifice Max. ante, aut poſt Gregorium fuiſſe in aliquod decretum, profeſſionemve fidei illatum conſtat. Quod ſi quid aliquando *obiter* inſertum decretis Synodorum Œcumenicarum, Profeſſionibuſve fidei fuit, quod ad fidem pertinere, ut non vi decreti, ita ne conſenſione quidem orthodoxorum conſtet; nihiloſecius lib. eodem v. c. v. q. iv. monuit Canus, eum, qui illud rejicere, aut in dubium revocare ſtudeat, *temere* acturum.

Alexandrinum, Nicephorum Conſtantinopolitanum in Litteris ad Leonem Pontif., Philippum Solitarium, Theodorum Abucaram, Oecumenium, Anaſtaſium Synaitam, ſeu ſcriptorem quæſtionis ejus, quæ hac de re eſt, Anaſtaſioque accepta referri ſolet: dubium præterea videri Nazianzenum: eodem etiam fortaſſe reſpexiſſe eum, qui *Orationem de Defunctis* Jo. Damaſceni publicavit nomine [1]. Dionyſius Petavius magnus ſane vir, inque Patrum operibus diu multumque exercitatus, cujus auctoritate Dalhamus Scholaſticos carpens abutitur, Clementem Alexandrinum, Jobium Monachum, alioſque ei ſententiæ conſenſiſſe putat, vocatque in ejus ſuſpicionem Hieronymum [2]. Petrus Couſtantius Monachus e Congregatione Sancti Mauri, qui hoc ſeculo exiſtimatione, ac celebritate doctrinæ, & eruditionis claruit inſigni, in Adnotationibus *ad S. Hilarii Tractatum in Pſalm.* CXIV. [3] Hilarium a Beda in erroris ejuſdem invidiam, etſi immerito, at fuiſſe tamen vocatum animadvertit. Addit tamen ipſe: „ *Neque enim* INCREDULOS *ex inferis eductos aſſeruit*, QUOD MAGIS SENSISSE VIDETUR AUGUSTINUS LIBRO XII. DE GENESI AD LITTERAM [4]. Neque diffidet ab Couſtantio Antonius Auguſtinus Touteeus ex eadem Congregatione Monachus Benedictinus vir haud minore doctrinæ fama illuſtris, in Adnotationibus *ad Catecheſim* IV. *Cyrilli Hieroſolymitani* [5]. Quum igitur hi tot viri docti

1 *Diſſert.* II. *in Exam. Pentecoſtarii tom.* V. *Bibliotheca Græcæ Johannis Alberti Fabricii p.* 165. *ſeq. Edit. Hamburg. an.* 1712.

2 *Tom.* IV. *P.* II. *lib.* XIII. *Theologicor. Dog. c.* XVIII. *n.* VIII. *p.* 574. *ſeq Edit. Pariſ. an.* 1650. Confer Johannem Baptiſtam Cotelerium in *not. ad tertium librum Paſtoris num.* XVI. *p.* 120. *t.* 1. *PP. Apoſtolicor. Edit. Amſtelod. an.* 1724. quo loco: *ut verbum*, inquit, *non faciam de falſa opinatione* CLEMENTIS ALEXANDRINI *Strom.* II. & VI. (*indeque* JOHANNIS DAMASCENI, *ubi mox*) *quam ex Hermæ verbis fruſtra nititur approbare, quod quando prædicatum fuit inferorum habitatoribus*, GENTILIUM *ii, qui ex philoſophia juſte vixerant, per fidem, ac pœnitentiam ſalutem adepti fuerint, unde originem accepit fabula ſalvati Platonis.*

3 *Not. d. p.* 263. *ſeq. tom.* I. *Edit. Veneta Operum Hilarii an.* 1749.

4 *Cap.* XXXIII. *n.* 63. *p.* 240. *tom.* III. *Opp. Edit. Antuerp. an.* 1700. „ Et Chriſti „ quidem animam, *inquit*, veniſſe uſque ad ea loca, in quibus peccatores cru- „ ciantur, ut eos ſolveret a tormentis, quos eſſe ſolvendos, occulta nobis ſua ju- „ ſtitia judicabat, non immerito creditur.

5 *Pag.* 57. *not.* 2. *Edit. Opp. Cyrilli Pariſ. an.* 1720.

cti teſtentur, non unum quidem, alterumve, ſed plures Patres, in iiſque Auguſtinum ei opinioni adhæſiſſe, quæ eſt de ſceleſtis, increduliſve ereptis, Chriſti deſcenſu, ex inferis; ſi valet Feltrianus canon *de uno, duobuſve Patribus detrimentum afferentibus perenni traditioni*; ſtatuatur neceſſe eſt, fas doctis iiſdem viris fuiſſe, e numero dogmatum traditorum illud tollere, quod eſt de ſceleſtis, increduliſve non ereptis ex inferis, quodque Dalhamus contineri dogmate fidei confitetur.

At ſunt, qui non modo Auguſtinum, ſed Patres etiam ceteros illos, ne excepto quidem Clemente Alexandrino, liberent ab ejus opinionis invidia. Quaſi vero non ſint, qui Auguſtinum liberent item ab invidia Dalhamianæ, Cadonicianæque opinionis. Quod ſi quia Cadonico, ac Dalhamo videntur Auguſtinus, Hilarius, Chryſoſtomus pro opinione, quam Proteſtantes novi excogitarunt, pugnaſſe, idcirco fas eſſe dicendum eſt, communem orthodoxorum ſententiam de vindicatis Patribus Veteris Teſtamenti in libertatem deſcenſu Chriſti ad inferos, tollendam eſſe e cenſu traditarum rerum; cur non dicendum perinde erit, tolli e numero traditorum dogmatum oportere, exemptos fuiſſe ex inferis incredulos, ſceleſtoſque ſaltem aliquos, propterea quod viri maximi Beda, Leo Allatius, Dionyſius Petavius, Johannes Baptiſta Cotelerius, Petrus Couſtantius, Antonius Auguſtinus Touteeus, ſic placuiſſe Clementi Alexandrino, Auguſtino, Hilario, Johanni Damaſceno &c. animadverterint?

Itaque hoc tenebimus (ſi modo ſtent Feltriani, Cadoniciani, & Dalhamiani canones) illud denique, quod Dalhamus, de non ereptis ex inferis ſceleſtorum, incredulorumque animis, veritatem eſſe firmiſſimam Eccleſiæ Catholicæ confitetur; illud, inquam, totum ex traditarum rerum, multoque magis earum, quæ Symbolo continentur, numero deleri oportere.

Sed hæc hactenus. Alia videamus. Quod ſecundo loco dogmate de Chriſti ad inferos deſcenſu comprehendi Dalhamus fatetur, eſt, *Chriſti e corpore excedentis animam ad inferos deſcendiſſe*. Quæro, *reipſa* ne deſcendiſſe ad inferos Chriſti *animam* cenſeat, an *virtute*? *Reipſa* dicet. Quid? *Definitum* ne id uſquam fuiſſe, efficiet, *Eccleſiæ judicio*? Equidem ſcio, ea de re dubitaſſe ſaltem Durandum [1] Meldenſem Epiſcopum, quem quarto ac decimo æræ Chriſtianæ ſeculo magnum ſibi doctrinæ cauſſa nomen comparaſſe accepimus. Quin hoc idem eſſe rem fidei, negavit [2] extremo quinto ac decimo ſeculo Johannes Picus Mirandula, qui ab doctis ætate ſua Scriptoribus phœnix eſt appellatus ingeniorum. Ecqua Synodus, ecquis Pontifex inſtituto judicio horum damnavit opinionem?

Sed Synodus, inquiet, Lateranenſis IV. an. 1215. habita *in cap. Firmiter de Fide Catholica* [3], ſeu in Profeſſione fidei: *deſcendit*, inquit, *Chriſtus ad inferos, reſurrexit a mortuis, & aſcendit in cælum; ſed deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcendit pariter in utroque*. Norat id quidem Durandus; exque ſententia Synodi, eſſe orthodoxo cuique confitendum, agnoſcebat, animâ quidem Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, verum *virtute*, non *præſentia*. Ac ſi Pico libuiſſet aſſentiri Durando, dubitareque, aut negare, *re* Chriſtum *vera*, non *virtute tantum* ad inferos deſcendiſſe, eam plagam potius accepiſſet, quam Cadonicianum dogma de non exemtis ex inferis Sanctis Veteris Teſtamenti Patribus comprobaſſet. Illam enim ſententiam putabat aliquid habere diſputationis; hanc vero, quæ Cadonici eſt, non eſſe tolerabilem. Quæro autem iterum, quo Eccleſiæ judicio damnata fuerit Durandi interpretatio?

Quamquam quid tu mihi Synodi Lateranenſis IV. Decre-

1 Confer, quæ ſcripſi *p. 417. hujuſce operis not. 4.*
2 Vide, quæ ſcripſi *ibid. p. 432. not. 2.*
3 *Pag. 16. tom. VII. Conciliör. Edit. Pariſ. an. 1714.*

cretum de *Catholica fide* narras? Eſſet Durando, ſi viveret, in promptu tertius Anonymi Cadoniciani canon. Diceret, ea de re non fuiſſe *potiſſimum controverſiam*; neque inſtituto judicio, *ſed explicationis gratia; obiter quidem, atque in tranſcurſu* fuiſſe eam *in Decretum inlatam*. Itaque rem eamdem eſſe quæſtionis, non fidei. Confectum, mihi crede, Dalhame, negotium; ſiquidem vis ineſſet canonibus veſtris tanta, quantam ipſis ineſſe arbitramini.

Age vero, quos tu inferos illos credis fuiſſe, in quos anima Chriſti deſcenderit? Gehennam ecce Johannes Chryſoſtomus *extra hunc orbem univerſum eſſe*, videtur ſtatuere *in Ep.* ad *Romanos*[1]. Vindicatur ab orthodoxis Scriptoribus, ſat ſcio. Sed ut Chryſoſtomus ipſe ab Joſ. Briennio homine de ſchiſmate Photianorum patronus eſt ejus opinionis habitus;ita haberi ab uno aliquo poterit veſtrum ſimili, quem perinde ac vos non moveat omnium Orthodoxorum conſenſio, quaſi conſenſio ſit nugacium aliquot Scholaſticorum. Is vero ſi canone illo veſtro utatur de uno,duobuſve Patribus,qui detrimentum perenni traditioni Eccleſiæ afferre poſſint, ac ſublata ex inferis gehenna, inde etiam purgatorium (nam de limbo non laboratis) auferre conetur, indeque concludat, Chriſti animam ad inferna loca non deſcendiſſe, quod nullus in iis eſſet, cui afferre ſalutem poſſet; is, inquam, qui ita ſtatueret, quo demum a vobis modo erroris convinceretur?

At eſt in Symbolo, *deſcendiſſe Chriſtum ad inferos*. Novi. Sed roget aliquis, qui veſtris canonibus niti velit: quonam in Symbolo? Nam in iis, quæ Irenæus[2], Ter-

1 Confer Allatium loco ſupra indicato *p.* 161. *ſeq.*

2 S Irænеus *lib.* 1. *Contra hæreſes cap.* x. *p.* 48. *Edit. Venetæ an.* 1734. Tertullianus *lib. de Præſcriptionibus cap.* XIII. *p.* 206. *ſeq. Edit. operum Venetæ an.* 1744 & *lib. contra Praxeam cap.* II. *p.* 501. & *lib. de Velandis Virginibus cap.* I. *p* 173. Origenes *initio lib* 1. Περὶ ἀρχῶν *num.* 4. *tom.* 1. *p.* 32. *Edit. Opp Venetæ an.* 1743. Confer etiam Symbolum, ſeu Profeſſionem fidei, quam Arius exhibuit Conſtantino Imperatori, quæ profeſſio fidei deſcribitur ab Socrate *lib.* 1. *Hiſt. Eccl. cap.* XXVI. *pag.* 53. *Edit. Taurin. an.* 1747. & *Sozomen. lib.* II. *cap.* XXVII. *p.* 77. *Edit. ejuſd.*

Tertullianus, Origenes deſcribunt; in Nicæno [1] præterea, in Conſtantinopolitano, in Hieroſolymitano, in Romano olim, in iis item, quæ complexi fuerunt S. Auguſtinus [2], Maximus Taurinenſis [3], Petrus Chryſologus [4], non erat. In Aquilejenſi [5] quidem erat, ſed vos quos non moveat omnium, movere ne poterit unius Eccleſiæ auctoritas? Roget rurſum: quandonam inlatum fuerit *τὸ deſcendit ad inferos* in Symbolum Romanum? Adjunget: non tam eſſe eam additionem veterem. Non enim eſſe eam ſeptimo ſeculo antiquiorem, immo ne octavo quidem. Id autem ex Angloſaxonico Codice ſec. VIII. quem vidit Uſſerius [6], intelligi plane poſſe. Nam Angloſaxones

nes

1 De Nicæno Symbolo confer *tom.* I. *Concilior. edit. Pariſ. an.*1714. *p.* 311. Socratem *lib.* I. *Hiſt. cap.* VIII. *p.* 19. & *p.*21. Sed omnes numerare, qui illud deſcripſere, longum eſſet. De Conſtantinopolitano conſule *tom.* eumdem. I. *Concilior. pag.* 813. De Romano, ut olim tradi catechumenis conſuerat, adeundus Rufinus Aquilejenſis *Expoſit. in Symbolum Apoſtolor. pag.* 22. *Append. Oper. S. Cypriani Edit. Oxon. an.* 1682. quo loco: *ſciendum*, inquit, *eſt*, *quod in Eccleſia Romana Symbolo non habetur additum*: deſcendit ad inferna: *ſed neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo*. De Hieroſolymitano conſulendus Cyrillus Hieroſolymitanus *ante Catech.* VI. *pag.* 84. *ſeq. Edit. Opp. Pariſ. an.* 1720. Vide præterea *Conſtit. Apoſtolicar. lib.* VII. *c.* XLI. *pag.* 383. *tom.* I. *PP. Apoſtolicor. Edit. Amſtelod. an.* 1724.

2 *Lib. de Fide*, & *Symbolo cap.* V. *ſeq. pag.* 115. *tom.* VI. *opp. Edit. Antuerp. an.* 1700. & *Serm.* CCI. *al* LXXV. *de Diverſis tom.* V. *Opp. pag.* 652. & *Serm.* CCXIII. *al.* CXIX. *de tempore pag.* 654. & *Serm.* CCXIV. *pag.* 659. & *Serm.* CCXV. *pag.* 662. & *Sermonum quatuor ad Catechumenos* Auguſtino ipſi adſcriptor. I. *nu* 10. *ſeq. pag.* 402. *ſeq. tom.* VI. *Opp. Edit. ejuſdem* II. *num.* 15. *p.* 413. & III. *num* 5. *ſeq. pag.* 421. & IV. *num.* 5. *ſeq. pag.* 429. & *Sermone*, qui falſo item præfert ejuſdem S. Doctoris nomen: *In Append.* V. *tom.* CCXXXII. *pag.* 272. Is eſt fidei libellus, qui in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ *c.* XL. legitur, inſertuſque reperitur Actis Toletanæ Synodi an. 400. habitæ: & *Serm.* CCXLIII. *ibid. pag.*282.

3 *Homilia* I. *In tradit. Symboli p.* 363. *Edit. Opp. Veneta an.* 1741.

4 *Serm.* LVII. *ſeq. p.*89. *ſeq. Edit. Opp. Auguſtana Vindel. an.* 1758.

5 Vide Rufinum loco ſupra indicato *not.* I. *hujus paginæ*.

6 Uſſerius *Tractat. de Symb. Edit. an.* 1647. eum laudat Drelincurtius *Dialogo gallice ſcripto*, *de Deſcenſu Chriſti ad Inferos p.*256. Vadianus *lib.* II. *de Monaſteriis Germaniæ e ms. Codice Sangallenſi Pſalterii a Notkero Monacho tranſlati pag.* 34. *tom.* III. *Rerum Alemanicar.* refert Symbolum Apoſtolicum Eccleſiarum Alemanicarum vetus, ex quo quidem deeſt *τὸ deſcendit ad Inferos*. Idem ab Johanne Schiltero *tom.* I. *Theſauri Antiquitatum Teutonicarum deſcriptum eſt P.* II. *pag.* 84. *Edit. Ulmenſis an.*1728. Carolus Magnus *de deſcenſu ad inferos* ne meminit quidem in formula an. 802. perſcripta. Vide *Capitular. Regum Francor. tom.* I. *p.* 376. *Edit. an.* 1677. Non nego, extare id quidem in aliis quibuſdam, iiſque vetuſtioribus Germanicis formulis, ut in Freheri, quod animadvertit Schilterus *ibid. in not.* Sed id ajo, ut intelligatur, non fuiſſe iis ſeculis *τοῦ deſcendit ad inferos* in Symbolo exprimendi generalem in Germania, & Britannia, & Gallia uſum.

nes ab Eccleſia Romana [1] accepiſſe diſciplinam. Perget dicere: *explicationis gratia* articulo: *mortuus & ſepultus*: acceſſiſſe idipſum: *deſcendit ad inferos* : ad eamque rem comprobandam auctore utetur Rufino [2] . Negabit, ullius œcumenicæ Synodi, aut Pontificis judicio illud idem: *deſcendit ad inferos*: in Apoſtolicum ipſum Symbolum immigraſſe: neque enim ea de re fuiſſe *potiſſimum* controverſiam inſtitutam. Quod autem *explicationis gratia* additum ſit, quodque non ſit Eccleſiæ judicio definitum, id certe, dummodo canones veſtri immoti maneant, non pertinere ad fidem, multoque minus inſerri debere in Symbolum. Jam cernis tu quidem, quo vos canones iſti veſtri tam late patentes ducant. Scilicet cogunt vos, ut locum in Symbolo nullum τῷ *deſcendit ad inferos* reliquum eſſe, confiteamini.

Nunc illud ſupereſt, ut (quod antehac feciſti numquam) ad vocem Eccleſiæ, ſeu ad conſenſionem confugias Orthodoxorum. Sed vigila Dalhame, ne tuam cauſſam, in qua tibi nobiſcum magna luctatio eſt, deſerere cogare. Quid ita? inquies. Quia ſi iſtuc confugeris, Patriarchas, juſtoſque ceteros Veteris Teſtamenti ex inferis fuiſſe liberatos deſcenſu Chriſti, invitus fatebere. Hoc enim ſummi, medii, infimi, hoc pueri, neophyti, hoc inſtitutores catechumenorum clamant, hoc theologorum, hoc expoſitorum divinæ Scripturæ, hoc ſacrorum oratorum vo-

1 Nempe a Gregorio Magno, qui in Britanniam Epiſcopum Auguſtinum miſit. Hujus Pontificis Profeſſio fidei affertur a Lambecio *lib.* II. *Biblioth. Vindobonen. cap.* V. *p.* 269. in qua τὸ *ad inferos deſcendit*, non legitur. *Edit. Vindob. an.* 1669. Symbolum Gregorianum, e quo item deeſt τὸ *deſcendit ad inferos*, deſcribit Johannes Diaconus *lib.* I. *Vita ejuſdem Gregorii Magni*. *Tom.* IV. *Opp. Greg. p.* 45. *Edit. Pariſ. an.* 1705. Confer etiam *promiſſionem Fidei* VII. ſeculo edi a *Romanis Pontificibus ſolita*. *Lib. Diurn. Rom. Pontif. tit.* VI. *p.* 60. *Edit. Pariſ. Garnerii an.* 1680. Vide etiam *Profeſſionem Fidei* Synodi Wormatienſis *an.* 868. habitæ *tom.* V. *Concilior. Edit. Pariſ. an.* 1714. *pag.* 736. Sed modum faciam. Nam ſi vetera quæque hac de re monumenta huc transferre inſtituerem, prope infinitus eſſem.

2 *In Symbolum. Append. Opp. S Cypr. p.* 22. *Edit. Oxon. an.* 1682. Is poſt ubi dixit non haberi in Symbolo Eccleſiæ Romanæ, & Eccleſiarum Orientis τὸ *deſcendit ad inferna*: » vis tamen verbi, *inquit*, eadem videtur eſſe in eo, quod ſepultus di- » citur ». Ita Cadonicianorum canonum vi in errorem pertrahi Lectores poterunt novorum illorum hæreticorum, qui τὸ *deſcendit ad inferos* de corporis Chriſti ſepultura intelligi oportere defendunt.

volumina, hoc libelli rudimentorum doctrinæ chriſtianæ, hoc acta ſynodorum continent; hoc Patres prædicant; hoc Pontifices Max. ſuis conſtitutionibus, profeſſionibuſque fidei docent, atque ad tenendum proponunt; hoc in templis ubique gentium, dum publicæ recitantur preces, perſonat; uno verbo, hæc conſenſio omnium ſumma eſt, hæc vox Eccleſiæ univerſæ.

§. II.

De Dalhamo plagii litterarii reo, novumque theologicum locum in Talmudicis Judæorum libris ſuperſtitionis, & impietatis plenis conſtituente diſſeritur; planeque efficitur, non Hebræos ſolum Chriſti temporum æquales, ſed Talmudis conditores ipſos, Græcoſque etiam Ethnicos a Cadoniciano dogmate diſſidere.

Sed quid ego conſenſum tibi Orthodoxorum commemoro; tibi, inquam, qui reperiſſe te putas locum theologicum plane novum nemini Catholico antehac pervium, eoque conſenſu multo etiam tutiorem, in quo ſtatuas præſidium opinionis, ut facile pateris, tam recentis[1] tuæ? Atque eſt is, ut alibi me animadvertiſſe me-

1 Dalhamus *ibid. pag.* xxv. » Sed tribuamus, *inquit*, & hoc (*adverſariis*) hanc » eſſe revera novam; an neſciunt ſolliciti illi Ariſtarchi, multas adhucdum ſupereſſe Theologis quæſtiones, quæ ſuperiorum temporum ſtudiis non ſunt ab- » ſolutæ? Nempe multitudo diſputabilium non ſinebat ea priſcis ſimul evolvere, » aut acutiori ſtudio indagare », Viderit, ut componi hæc poſſint cum Decreto Synodi Tridentinæ *Seſſ.* IV. *pag.* 22. *tom.* X. *Concilior. edit. Pariſ. an.* 1714. quo Decreto declaratur, veritatem doctrinæ, & diſciplinæ *contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, ab ipſius Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt:* ſtatuitque *pag.* 23. *ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo ſuæ* PRUDENTIÆ INNIXUS *in rebus fidei, & morum ad* ÆDIFICATIONEM DOCTRINÆ CHRISTIANÆ PERTINENTIUM *Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquere contra eum* SENSUM, QUEM TENUIT, ET TENET SANCTA MATER ECCLESIA; aut ETIAM CONTRA UNANIMEM CONSENSUM PATRUM *ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat*. Opiniones enim novas, quæ de Scripturæ locorum ſignificatione ſint, quo demum modo quiſquam conſonas ſenſui Eccleſiæ, & conſenſioni Patrum dicet? Nam ei ſenſui, eique conſenſioni ſi conſentaneæ ſint, novæ profecto non erunt. Sin autem conſentaneæ non ſunt, ut novæ, ita diſſentaneæ adeoque contrariæ ei ſenſui Eccleſiæ, eique conſenſioni Patrum erunt.

memini, in talmudicis voluminibus [1] abs te conſtitutus locus. Nunc quid vis, tibi, Dalhame, dicam? Piget, pudetque me tui, qui cum catholico gloriere nomine, tum ideæ beatitatis recte informandæ cauſſa ad eos libros, tamquam ad theologicum promtuarium, amandare audeas lectores tuos; quos quidem libros tam eſſe turpium, infandarum, monſtroſarum, impiarum, diabolicarum narrationum, ſententiarumque refertos conſtat, ut mirum ſit, ſanæ eſſe mentis, pudoriſque alicujus hominem, qui, eas ſi internoverit, dignas eſſe laude, valereque ad catholicorum Theologorum doctrinam aut evertendam, aut labefactandam [2] poſſe arbitretur.

Attende, ut conditione uſus, *τὸ ſi eas internorit*, addiderim. Nolo enim exiſtimes, ullam ex me tibi ortam eſſe injuriam. Nec vero umquàm committam, ut in

1 *Pag. 79. ſeq. hujus operis.*

2 Etſi nonnihil conferre interdum talmudicorum operum loca quædam poſſe ad illuſtranda utcumque nonnulla, quæ a majoribus noſtris, hoc eſt a Sanctis Patribus, Scriptoribuſque Eccleſiaſticis tradita ſunt; valereque etiam plurimum ad Judæos ſuis ipſorum armis confodiendos putem; quod quidem egregie factum fuiſſe intelligo a Raymundo Martinio Ord. Præd. Sec. XIII. ſcriptore ſane illuſtri, ab Auguſtino Juſtiniano Ord. item Prædicatorum Epiſcopo Nebienſi, a Joſepho Voiſinio, ab aliiſque Catholicis Doctoribus ſane multis; iis tamen contra theologorum orthodoxorum, quæ per Patres ad nos pervenit, ſententiam vim ineſſe ullam, vehementer nego. Qua de re Joh. Albertus Fabricius, homo ceteroquin de ſecta Lutheranorum, agens *Bibliograph. Antiquaria cap. 1. n. IV. p. 6 edit. an. 1716* » Duo » utrinque, *inquit*, extrema fugienda eſſe duxerim, ad quæ pleriquе prolaben- » tes, dum ultro citroque modum excedunt, verum, rectumque conſiſtere haud » patiuntur. Ex una certe parte videas viros doctos, qui in lectione rabbinico- » rum, ac talmudicorum ſcriptorum ætatem contriverunt, tantum illis tribue- » re, ut ex eorum leviſſimo aſſenſu, vel judicio ſtatim libenter pendeant, eos » VELUT ORACULA LOQUENTES ex tripode, & omni exceptione MAJO- » RES AUCTORES audiant etiam, contra CLARISSIMA HIERONYMI, EPI- » PHANII, quinimmo Judæorum VETUSTISSIMORUM Philonis, & JOSE- » PHI teſtimonia, quod mihi non modo magnum illud tot ſeculorum ſpatium, » quibus rabbini poſt vixerunt, ſed & IGNORANTIAM, VANITATEM, INE- » PTIAS, ET CONTRADICTIONES IN EORUMDEM SCRIPTIS OBVIAS, » & a Morino (*In Exercit. Biblicis*) atque aliis viris doctis notatas cogitanti vi- » detur minime committendum eſſe, qui unum Philonis, vel JOSEPHI teſtimo- » nium LIBENTER PRÆTULERIM DECEM RABBINIS, *a quorum lectione* » *ardua res eſt, & rara*, Eduardo Bernardo *p. 210. ad Joſephum* judice, NON » DELIRARE. Viciſſim omnia illa, quæ ex talmude, vel rabbinis proferuntur, » ſtatim ſimul, ſemelque abjiciunt.. veluti NIHIL plane auri ex ſtercore rabbinico » colligi poſſit, quam in ſententiam multa diſputat Iſaacus Voſſius in *Reſp ad obje-* » *ctaCritica Sacra p. 127. ſeq & p. 131. ſeq.* » Horum ſunt ſimilia, quæ ſcribunt J. Franc. Buddeus in *Iſagoge* Hiſtor. Theolog. *l. 1. c. IV. §. VI pag. 114. ſeq. edit. Lipſ. an.* 1727. & e noſtris J. Benig. Boſſuetius in *Hiſt. univ. &c.* Ceteros numerare non eſt otium,

iis, qui internoverint, numerere. Quod ſi opus fuerit, teſtabor, mortalium, quam tu ſis, hoc genere culpæ ſolutiorem eſſe neminem. Atque etſi mirifice in talmudicis libris verſatus videri cupias, eos tamen te non modo non legiſſe, ſed ne leviter quidem attigiſſe, certo ſcio. Qua ex re fit, ut cum laudi tibi recuſem dare, quod te de peritia portentorum, quæ in iſtis tam infandis libris ſunt, jactes; tum eſſe excuſandum credam, ſi non inſcientiæ, at ſaltem oſcitantiæ cauſſa. Quid autem te, expilator Lightſooti, jactes? Nihil, nihil, inquam, mercium talmudicarum venditatum abs te eſt, quod non furtim ex officina Britanni illius hæretici [1] adverſus Catholicos diſputantis abſtuleris. Furtim, dico. Nam eum ne nominaſti quidem. Ne ſpera, Dalhame, anfractu te, ac tergiverſatione conſequi poſſe, ut ne plagii condemnere. Captus es. Vincam, te abſtuliſſe, ut dixi, furtim. Equidem merces iſtas tuas cum Lightfootianis conferam. Quod dum facio, lectores rogo, ut cognoſcant, eædem ne ſint. Siquidem vero eaſdem eſſe perſpexerint, oro, ut eſſe religioſi teſtes velint, vendidiſſe te, neſcio domino, res alienas pro tuis.

DALHAMUS.

„ [2] Nullum mihi videtur „ fortius argumentum (quo „ effici poſſit, Patriarcharum *animas fuiſſe viſione* „ *beatifica colluſtratas*) quam „ com-

LIGHTFOOTUS.

„ [3] In ſinum Abraham, „ quod quid ſit, non opus „ eſt, ut ulterius quæras, ſi „ modo Pontificiis [4] credes „ &c. „ Poſt ubi Lightfootus de

1 Albertus Fabricius *ibid. pag.* 7. „ Iſaacus Voſſius, *inquit*, vir eruditiſſimus *in* „ *Reſp. ad objecta Critica Sacra Var. Obſerv. p.* 327. *ſeq.* & 311. *ſeq.* acerrime in „ JOHANNEM LIGHTFOOTUM invehitur, qui RABBINICIS CONSPURCARE NUGIS NEBULISQUE OBDUCERE ſacros novi fœderis Libros non „ dubitaverit.

2 Dalhamus *ibid. pag.* xxv.

3 Lightfootus in Horis Hebraicis *cap.* xv. *in Evang. Lucæ v.* 22. *pag.* 850. *ſeq. edit. Lipſ. an.* 1675.

4 Hæc, quæ de *Pontificiis* Lightfootus jactat, prætermiſſa ab Dalhamo ſunt. Namque hoc etiam teſtabat, ut palam diceret, contra *Pontificios* ab ſe ſcribi.

DALHAMUS

„ communis notio beatitu-
„ dinis, quam veteres tum
„ Judæi, tum Græci de bea-
„ torum animabus habue-
„ runt. Cum enim *ſinus A-*
„ *brahæ phraſis communis He-*
„ *bræorum Chriſti tempore*
„ *fuerit, debebit merito il-*
„ *lius ſignificatio non ex mente*
„ *modernorum Scriptorum col-*
„ *ligi, ſed ex mente eorum,*
„ *qui ea voce communiter ute-*
„ *bantur; neque Chriſtus ip-*
„ *ſe, qui hac voce familiari-*
„ *ter uſus fuiſſe ex Evangelio*
„ *intelligitur, cenſetur vo-*
„ *luiſſe novam aliquam ei no-*
„ *tionem indere, cum ſuam*
„ *uſitato totius gentis ſermoni*
„ *accommodaverit: illa autem*
„ *notio illis certiſſime invol-*
„ *vebat viſionem beatificam.*
„ *Libet unum, alterumve exem-*
„ *plum depromere, ut ſexcen-*
„ *ta prætaream, quibus* pateat
„ mens veterum de notione
„ ſinus Abrahæ, in quo juſtæ
„ animæ quieverunt. Et pri-
„ mo quidem Judæi, juſtas,
„ ſanctaſq; animas dixerunt,
„ promiſcue *inter Angelorum*
„ *conſortia in Paradiſo*, ſeu
„ *Sinu*

LIGHTFOOTUS

de limbo *Patrum* definivit
ex Catholicorum ſententia,
quibus aſſenſos fuiſſe ſuos
Remenſes vehementer do-
let, addit „ *ſi Chriſtus hanc*
„ *Phraſiologiam* [1] *primus*
„ *cuderat, tum ab incude*
„ *Chriſtiana tolerabilius e-*
„ *rat quærere ejus ſignifi-*
„ *cationem. At cum formæ*
„ *loquendi foret genti Ju-*
„ *daicæ uſitata; nec loqua-*
„ *tur ille, niſi cum nota, &*
„ *vulgari dialecto gentis,*
„ *ab iis quærenda ejus ſi-*
„ *gnificatio, non ex lexico*
„ *quovis vel Græco, vel Ro-*
„ *mano. Quomodo ab au-*
„ *ditoribus tum præſenti-*
„ *bus intellecta hæc fue-*
„ *rint, eſt illud, quod nobis*
„ *quærendum eſt*, & quo-
„ vis pignore certaverim
„ ego, *Judæos, cum de ſinu*
„ *Abrahæ eſſet ſermo, nihil*
„ *minus in animo habuiſſe,*
„ *quam Limbum talem.*
„ [2] *Vice plurium, quæ*
„ *hic adduci poſſent ad nau-*
„ *ſeam uſque, ſumamus*
„ *tantum &c.* [3] Quid Ab-
„ rahamus, Iſaacus, Jaco-
„ bus,

1 Lightfootus *ibid. n.* III. *ad v. in ſinu Abraham.*
2 Hæc, ante verba modo deſcripta, adhibet *Lightfootus num.* I.
3 Hæc rurſum *num.* III. *Lightfootus perſequitur.*

DALHAMUS

„ *Sinu Abrahæ*, aut ſub *throno*
„ *gloriæ collocari*. Teſtis hu-
„ jus eſt ANTIQUISSIMUS
„ LIBER JUDÆORUM
„ TALMUD dictus, paulo
„ poſt Apoſtolorum tempo-
„ ra exaratus. Et quidem
„ in *Talmude Babylonio ha-*
„ *betur, quod anima Judæ co-*
„ *gnomento ſancti ſedeat in ſi-*
„ *nu Abrahæ* : *In Talmude*
„ *vero Hieroſolymitano eadem*
„ *ſors , quam anima Rabbi*
„ *Judæ in* altera vita excepe-
„ rit, ſic explicatur: *quod*
„ *ſit in conſortio Angelorum*.
„ Itaque ex hac varia ejuſ-
„ dem rei explicatione diſci-
„ mus, ſinum Abrahæ ha-
„ buiſſe Angelorum conſor-
„ tia. Sed & animas Sancto-
„ rum Patriarcharum ad di-
„ vinum conſpectum fuiſ-
„ ſe evocatas in alio Talmu-
„ dis loco reperitur: *Non ſo-*
„ *lum anima Moſis, ſed ani-*
„ *mæ etiam aliorum juſtorum*
„ *repoſitæ ſunt ſub throno glo-*
„ *riæ*. Et in alio loco dicitur
„ de anima Moſis, *quod in*
„ *cælis Deo miniſtret*. Utique
„ Judæi Chriſti perſecutores,
„ non admiſerint, Moſis ani-
„ mam per Chriſti mortem
„ fuiſſe

LIGHTFOOTUS

„ bus, Moſes &c. in la-
„ cu abſque aqua? ... *Num*
„ *hoc* eſt eſſe *in paradiſo*?
„ Num *hoc eſſe ſub throno*
„ *gloriæ*? Et num huc La-
„ zarus *tranſvectus ab An-*
„ *gelis, cum tranſlatus in*
„ *ſinum Abrahami*?

„ [1] In Talmude *Hie-*
„ *roſolymitano* : *aufertur*
„ *Rabbi Juda per Angelos*:
„ *in Babylonio , collocatur*
„ *in ſinu Abrahæ*.

„ [2] Avoth Rabbi Na-
„ than cap. x. Longa eſt
„ hiſtoria de Angelo mor-
„ tis miſſo a Deo, ut eri-
„ peret animam Moſis,
„ quod cum præſtare non
„ poſſet, apprehendit eam
„ Deus ipſe, *& theſauri-*
„ *zavit eam ſub throno glo-*
„ *riæ ... Nec ſolum repoſita*
„ *eſt anima Moſis ſub thro-*
„ *no gloriæ, ſed & animæ*
„ *aliorum juſtorum repo-*
„ *nuntur ſub throno gloriæ*.
„ Moſes, in verbis ante ci-
„ tatis, eſt *in paradiſo*, in
„ his eſt ſub *throno gloriæ*:
„ Peſikta fol. 93. 1. *Eſt in*
„ *cælis miniſtrans Deo*.

„ [3] *In horto Edenis vel*
„ *in paradiſo*: Midras Til-
„ lim

1 Ita quidem *Lightfootus ibid.* 2 *Ibid. num.* 2. 3 *Ibid. num.* 1.

DALHAMUS

„ fuiſſe ad Dei conſpectum
„ admiſſam. Igitur conſtan-
„ ti ſententia eam jam prius
„ Deo fuiſſe perfruitam exi-
„ ſtimarunt. *De horto volupta-*
„ *tis ſede beatarum animarum*
„ *ſummam felicitatis perpe-*
„ *tuo prædicant Judæi*. Quis,
„ amabo, non aperte ex his
„ colligit, longe abfuiſſe Ju-
„ dæos *veteres, ut animas*
„ *ſuorum Patriarcharum dice-*
„ *rent, graviſſima pœna dam-*
„ *ni poſt mortem affectas fuiſ-*
„ *ſe, qui id utique ſciebant,*
„ *præcipuam beatitudinis præ-*
„ *rogativam conſiſtere in vi-*
„ *ſione Dei &c.*?

LIGHTFOOTUS

„ lin Fol. 3. .... *Hic eſt A-*
„ *braham, quem accepit*
„ *Deus, & plantavit in*
„ *paradiſo* .... Moſes Te-
„ murah *Fol 116. cum Mo-*
„ *ſes magiſter noſter deſcen-*
„ *deret in paradiſum*.
„ [1] Senſum Phraſiolo-
„ giæ ergo ſecundum
„ communem interpreta-
„ tionem expiſcari licet,
„ obſervando primum,
„ quod vulgo *creditum eſt*
„ *a Judæis, animas puras,*
„ *& ſanctas, cum migra-*
„ *rent e corpore, tranſire in*
„ *beatitudinem &c.*

Audin', lectores hoſce teſtari, verbis te uſum interdum tuis, ſententiis contra ſemper Lightfootianis? Quid ais? An detractione indicationis [2] locorum talmudicorum, verbiſque paucis iſtis tuis, inverſioneque ſurſum deorſum ordinis Lightfootianarum ſententiarum ſperaſti, te invidiam plagii declinaturum? Judæum (quum enim judaicis mercibus delectere, exemplum judaicum, confido, fore non ingratum tibi) Judæum, credo, qui ſurripuerit veſtem, diſſutamque inverterit, rurſumque, detractis inde aliquot laciniis, inverſe conſutam, fucato colore, ut ne dignoſcatur, texerit, furti ſe alligaſſe inficiabere. Quo autem te plagio illigaſti? Res eas ſcilicet Lightfootio ſubtraxiſti, quibus ille de exemtis ex inferis a Chriſto Sanctorum Veteris Teſtamenti animabus *ſententiam* (ut candide, vereque ſcribit) Catholicorum, quos *Pon-*

1 *Ibid. num.* 111.
2 Lightfootus indicat talmudis loca. Eorum indicandorum ratio prætermittenad Dalhamo fuit, ne quis forte ejus plagium animadverteret.

Pontificios vocat, labefactare conatus eſt: quibuſque tute ſententiam eamdem re quidem vera Catholicorum, verbo tamen *Scholaſticorum* abs te appellatam evertere conare; atque ita conare, ut quod ne Lightfootio quidem in mentem venit, vim ipſis tribuas argumenti, qua vi nulla tibi eſſe *fortior* videatur. Sed quid multis eſt opus? Teneo, teneo, inquam, in medio cœtu populi chriſtiani, in ſocietate ipſa catholicorum plagii litterarii inſignem reum talmudicas merces ex officina hæretici hominis ſurreptas venditantem ſuo nomine; ajentemque, ex iis potiſſimum notionem ſinus Abrahæ, ac beatitatis veræ dignoſci oportere; aperteque *colligi* eam ex *mente modernorum* catholicorum poſſe negantem, quaſi vera notio ſinus Abrahæ, æternæque vitæ deleta penitus ex orthodoxorum hujuſce temporis mentibus ſit, quærendaque ſit omnino in nugacibus, in flagitioſis, in impiis, in blaſphemis centonibus talmudiſtarum.

Veterumtamen quid eſt, quod cum Lightfootius non græcis, latiniſve lexicis, ſed talmudiſtarum libris inſiſtendum eſſe quærenti informare animo notionem ſinus Abrahæ accuratam, ſtatuat; tu talmudiſtis ſtandum, non modernis *ſcriptoribus* dixeris? An *ſcriptores modernos* catholicos omnes a veterum latinorum, græcorumque Patrum doctrina deſciviſſe putas, perinde ac ſi vetus Eccleſia, quid ſinus ſit Abrahæ, quid ſit beatitas, noverit; hodierna vero non noverit? Id autem ſi putas, quotum quemque ſperas futurum catholicorum, qui non indigniſſime patiatur? Sed intellexerat Lightfootius, quam ſancti Patres a novorum proteſtantium, novorumque rabbinorum, quod ipſum eſt Cadonicianorum, dogmate diſcreparint, quare non eſſe ex latinis, græciſque lexicis illis, qui ex Patrum certe dictionibus conflati ſunt, notionem ſinus Abrahæ repetendam duxit. Ex *Patrum*, inquam, *dictionibus*; nam *ſinus Abrahæ vocabula* ethnici non modo aſſequuti non fuerant, ſed ne ſuſpicati quidem.

dem. Cognoſcis tu quoque, Patres ſic de beatitate ſtatuendum eſſe judicaſſe, ut *Scriptores* orthodoxi *moderni* ſtatuunt; itaque non ad eam, quæ eadem de re a Chriſto per Apoſtolos, Patreſque ad nos uſque manavit, traditionem confugis, ſed ad inventa præcipue talmudiſtarum, deindeque ad græcorum Clementis Romani, Dionyſiique Areopagitæ civium, [1] qui cives Ethnici erant, imbutique inanium Deorum ſuperſtitione. Quod ſi negas, expedi, cur non ad Patres, qui ab Apoſtolis accepiſſent doctrinam, & diſciplinam; ſed ad cives Dionyſii, ad cives Ignatii, ad cives Clementis græcos provocaſti, cum de notione beatitudinis veræ inſtituenda diſſereres? Et ferri te tamen ab catholicis confidis poſſe docentem, non habere catholicos ipſos, unde veram de beatitate doctrinam hauriant, fontem domi; eſſeque eam propterea e cloacis petendam talmudiſtarum, idololatrarumque ethnicorum. Quæ iſta tanta, tamque longe progreſſa confidentia eſt, chriſtianorum neminem, qui non e talmudiſtis, exque iis, qui græcorum Dionyſii Areopagitæ civium dogma ſectati fuerint, neminem, inquam, ab Apoſtolis licet inſtitutum, notionem beatitatis accuratam fuiſſe aſſequutum, dicere; neque dicere ſolum, ſed etiam litterarum mandare monumentis; tibique polliceri ob id dictum, ſcriptum, publicatum non reprehenſionem te, non dedecus, non pœnam, ſed laudem, ſed honorem, ſed præmium relaturum?

Equidem Apoſtolis, Diſcipuliſque reliquis Servatoris Chriſti perſpectum, ajo, fuiſſe, quid *ſinus Abrahæ* ſignificaretur vocabulis; atque horum quidem opera ad Patres, perque Patres ad nos uſque manaſſe incorruptam traditionem. Hoc Catholici eſt. Quid ergo? inquies. An Judæi, qui Chriſti ætate vivebant, ignorabant, quid *Abrahæ ſinus* eſſet? Ego vero concedo fuiſſe multos, qui noverint. Nam ne dicam, *omnes*, impedit hæreſis Sadducæorum,

1 Vide quæ ſcripſi *pag.* 81. *ſqq. in not. hujus operis*.

rum, quorum tunc haud exiguus erat in Palæſtina numerus; obſtatque etiam doctrinæ illorum perverſitas, qui pro tranſmigratione pugnabant animorum. Verum eſto. Plerique, ſi placet, omnes cognoverint. Horum ne de *Abrahæ ſinu* ſententiam e talmudicis, an ex eorum libris dignoſcendam cenſes, quorum aliquos ante Chriſti adventum, alios vixiſſe liquet Apoſtolorum temporibus? Quem eo fore arbitramur impudentiorem, qui ex talmudicis, quorum incerta, neque tam vetus [1] quam ipſe exiſtimas, ætas eſt, notionem paradiſi peti oportere

1 Auguſtinus Garabellus Ord. Prædicatorum vir peritia in primis linguæ, rerumque Hebraicarum clarus, qui Romæ juſſu Pontificis Maximi confutandæ judaicæ ſuperſtitionis, ejuſque gentis hominum in doctrina Chriſtiana inſtituendorum cauſſa, concionum habendarum ſuſtinet munus, is, inquam, vir doctus, mihi auctor fuit, ut ſcriberem: falſum eſſe quod jactat Dalhamus, Talmudis opus *fuiſſe paulo poſt Apoſtolorum tempora exaratum*. Nam Miſnàh, quam *δευτέρωσιν* græce, quaſi *legem alteram*, oralem ſcilicet, vocant, quæque veluti textum talmudicorum librorum conſtituit, perſcripta fertur fuiſſe a Rabbi Jehudà, quem ſui appellant ſanctum, anno mundi, ut Judæi numerant, 3949. Chriſti 189. ut ex Kalendariis Hebræorum cognoſci Bartholoccius docet *Biblioth. Rabbinica to. 1. p. 81.* utque narrat Rabbi Ghedalià Aben Jacchia *lib. 1. Scialſcelet Hakkabalà fol. 32. col. 2. poſt init.* quo loco „ Doctor, *inquit*, noſter Jehudà *compoſuit Miſchnajòth an.* 3949. „ Sed Miſnah etſi aliquando talmud nominetur, ut a Rabbi David Ganz. *in Tzemach David: millen.* v. *P.* 1. *fol.* 32. *col* 2. ſi tamen proprie loqui velimus, non conſtituit opus talmudicum. Nam e Miſna, & Ghemara, quæ eſt in Miſnàm commentatio, talmudicum idem univerſum opus conflatum eſt. Commentationes autem in Miſnah numerantur duæ, quarum una Hieroſolymis, altera Babylone perfecta eſt. Hinc Thalmudica opera numerantur item duo, quorum unum Hieroſolymitanum, alterum Babylonicum appellatur. Abrabanel *in Præf. Pirkè Avoth.* „ Rabbi Jochanan, *inquit*, Thalmud Hieroſol. in terra Iſrael, „ Rurſumque „ & fecit (R. Aſè) &c. At Hieroſolymitanum quidem perfectum fuiſſe a Rabbi Jochanàn an. m. 4182. Chriſti 422. docet Bartholoccius *tom. 1. pag* 82. ut vero ſcribit R. Moſes Maimonides (*Præfat. in Jad Chazazhà, edit Veneta an.* 1574. *fol.* 3. *col* 1) compoſitum eſt *an.* 300. poſt everſionem ſecundi templi, hoc eſt an. m. 4128. *Chriſti* 368. ut autem cenſet Rabbi David Ganz (*libro* ſupra indicato *P.* 1. *Millen* IV. *fol.* 31. *col.* 2. *edit. Fancofurt. an.* 1692.) an mundi 3990 Chriſti 230 utque ſtatuit Rabbi Ghedalia Aben Jacchià (*in Scialſcleth Hakkabalà fol.* 34. *col.* 1.) an. mundi 4000. qui annus reſpondet anno Chriſti 240. Hoc certum eſt, perfectum Hieroſolymitanum talmudis opus non fuiſſe ante Diocletiani tempora, hoc eſt ante extremum fere ſeculum III. & inceptum etiam fortaſſe quartum. Etenim fit ejus Imperatoris in ejuſdem operis Tractatu Beracoth *fol.* 6. *col.* 1. his verbis mentio: *Diocletianus rex huc venerit. Et in Tract. Sceviith. fol.* 38. *col.* 4. *Diocletianus afflixit graviter viros Paneæ*. Id Talmudis opus judæis non admodum placuit, quumque obſcurum, atque implicatum ſit, apud eoſdem in exiſtimatione haud magna fuit. Quamobrem de conflando altero cogitarunt. Atque id alterum curatum eſt Babylone, quod tanti ab ejus gentis hominibus habetur, ut cum Ghemaràm ita nominant, quin addant *Hieroſolymitanam*, ab ſe Babylonicam nominatam intelligi velle videantur. Confer Abrabanelem *libro* inſcripto *Caput Fidei cap.* XIII. & *in* 1. *Samuel.* 25. 29. Jalkut *in* 1. *Sam. cap.* 28. 15. *fol.* 20. *col.* 3. pluſque millies alibi: & R. Menaſſe *in Niſmath chaiim lib.* 1. *cap.* 10. *fol.* 28. *col.* 1. Hoc idem Talmudis poſtre-

tere ſtatuat; quoſque (etiamſi Hieronymus Judæorum Chriſto recentiorum flagitia, atque portenta doctrinæ vexans [1], taceret) plenos tamen pateret eſſe non anilium fabularum modo, ſed ſuperſtitionis etiam, & impietatis? Age modo, nega, ſi potis es, Flavium Joſephum, qui cum Veſpaſiano vixit, claruiſſe Apoſtolorum temporibus. At is in VIII. *Antiquitatum Judaicarum libro* de Phariſæis agens, quorum erat & ante, & initio

rrrrrr etiam

ſtremum opus compoſitum multo poſt Hieroſolymitanum fuit; nam perfectum ferunt fuiſſe 500. æræ Chriſtianæ anno, & fortaſſe etiam ſerius. Moſes Maimonides *Præf. in Jad Chazachà fol.* 3. *col.* 4. ſcriptum ait fuiſſe *centeſimo circiter anno a perfecta* Hieroſolymitana Ghemarà a R. Jochanan; hanc autem perfectam, ut vidimus, ſtatuit an. Chriſti 368. qua ex re ſequitur, ut, ejus quidem ſententia, Talmud Babylonicum compoſitum fuerit an. Chriſti 468. Animadvertendum autem eſt, quod adnotat R. David Ganz *in Tzemach David P.* 1. *Millen.* 5. *ad an.* 187. (*min. ſupput.*) *fol.* 33. *col.* 2. *edit. Francofurt. an.* 1692.: » R. Aſe mortuus fuit » an. 738 æræ contractuum, qui fuit an. 187. quinti millenarii. Ipſe ſcribere cœ» pit Commentarium in Miſnàm, ſeu in Talmud, ut ſupra memoratum eſt, ad » an. 127. ſed abſolvere non potuit. Diſcipuli autem ejus abſolverunt poſt mor» tem ejus, ut infra ad an. 260. exponetur ». Reſpondet hæc annorum perfecti operis illius ſupputatio *an. m.* 4260. *Chriſti* 500. Quin etiam ad annum eumdem mundi 4260. Chriſti 500. refert exitum ejus operis R. Ghedalias Aben Jacchià in *Scialſceleth Hakkabalà fol.* 35. *col.* 1. *edit. Veneta an.* 1587. Atque hæc quidem Judæorum opinio eſt, quam probant e noſtris Bartholoccius *Biblioth. Rabbinica tom.* 1. *p.* 82. qui Kalendaria Judæorum ſequutus tradit, expletum id opus fuiſſe an. Chriſti 500. Joſephus Voiſinius *in Prooemium Pugionis Fidei p* 57. & e Proteſtantibus Prideaux *Hiſtor. Judæorum, Vicinorumque Populorum to.* II. *P.* 1. *lib.* V. *p.* 202. *ſeqq. edit. Veneta an.* 1738. Hæc lectores Garabello accepta referant, cui me plurimum profiteor debere. Eodem fere ſpectant, quæ de utriuſque Talmudis ætate tradunt Johannes Buxtorfius, Johannes Leuſdenus, Zacharias Grapius, Jacobus Baſnagius, Aug. Pfeifferus, Johannes Braunius, Johannes Chriſtophorus Wolfius, quos memorat Johannes Franciſcus Buddeus *in Iſagoge Hiſt. Theol. lib.* 1. *cap.* IV. §. VI. *p.* 134. *edit. Lipſ. an.* 1727. qui hac item de re egiſſe ſe ſcribit in *Introduct. in Hiſtor. Philoſophicam Hebræorum* §. XXV. *ſeqq. p.* 118. *ſeqq.* Sed hunc, qui a pleriſque tradi ſcribit an. 230. ab aliis ſerius *Talmud Hieroſolym.* fuiſſe abſolutum, non animadvertiſſe miror, plerorumque illorum inanem eſſe ſententiam, propterea quod eodem in Talmudico opere Diocletiani fiat mentio. Non diſcrepat admodum a nobis J. Alb. Fabricius *Bibliographia Antiquaria cap* 1. *n.* II. *ſeq. p.* 2. *ſeqq. edit. Hamburg Lipſ. an.* 1716. §. III. *p.* 8. Is item Iſaacum Voſſium emendat ajentem, Hieronymum in talmude ſæpe commemorari; nam Morinum obſervaſſe, ait, meminiſſe quidem talmudiis (Babylonici credo) conditores Hieronymi, verum non ſæpe. Confer Johannem Morinum *Exercitat. Biblicar. lib.* II. *Exerc.* VI. *p.* 294 *ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1669. ubi de Miſnah longe recentiore, quam Judæi arbitrentur, copioſe agit; *& cap.* III. *p.* 297. *ſeqq.* quo loco indicia ſe quædam in Babylon. talmudis opere deprehendiſſe teſtatur, ex quibus dignoſcatur, fuiſſe illud perfectum multo poſt ſeculi VII. initia. Videat ergo Dalhamus, quam falſo, paulo poſt Apoſtolorum tempora talmud fuiſſe conflatum, ſcripſerit. Quod ſi ſciens, volenſque, ut lectores ſuos deciperet, quod non credo, ſcripſit, reprehendendus eſt graviter; ſin ſcripſit ignorans, reprehendendus tamen eſt, quod de rebus, quas neſcit, ſcripſerit.

1 *Epiſt.* XXII. *de obitu Bleſillæ ad Paulam p.* 57. *tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. an.* 1706. *Ritus vaniſſimos phariſæorum, ſuperſtitionemque* accuſat.

etiam chriſtiani nominis in Palæſtina doctrina communior, & a quibus ipſe acceperat diſciplinam, *ἀθάνατον*, inquit, *ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς, πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε, καὶ τιμὰς οἷς ἀρετῆς, ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε. καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προςίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥαςώνην τοῦ ἀναβιοῦν* „. Credunt vim „ immortalem animabus eſſe, ac SUB TERRA eas vel „ pœnis, vel præmiis affici, quibus in vita ſtudium aut „ virtutis, aut pravitatis fuit: & has quidem ſempiterno carcere teneri, illis vero facultatem eſſe redeundi „ in vitam „. Hoc poſtremum, quale ſit, Phariſæi viderint. Certe hi, cum eorum, qui virtuti ſtuduiſſent, animas *ὑπὸ χθονὸς* ſub *terra*, ſeu *in inferis* conſtitutas crediderint; ſinum item Abrahæ *in inferis* fuiſſe, crediderint, neceſſe eſt. Non ergo in *cælo*, ut ex talmudicis libris intelligi poſſe, dictitas. Rurſum, præmia *animabus* juſtis ſub terram agentibus decreta, ex Phariſæorum ſententia, Joſephus teſtatur; adductas vero ipſas ad conſpectum Dei, non item. Nec Phariſæorum tantum hoc fuiſſe dogma, ſed ceterorum etiam vulgo Judæorum conſtat, adeo ut Origenes in quinto Contra Celſum libro narret: *σχεδὸν ἅμα γενέσει, καὶ συμπληρώσει τοῦ λόγου: διδάσκεσθαι (ἰουδαίους) τὴν τῆς ψυχῆς ἀθανασίαν. καὶ τὰ ὑπὸ γῆν δικαιωτήρια, καὶ τὰς τιμὰς τῶν καλῶς βεβιωκότων.* Judæos *vix natos, & adhuc balbutientes didiciſſe animæ immortalitatem, & ea, quæ ſub terra ſunt, tribunalia, & honores*, ſeu *præmia eorum, qui bene vixiſſent*. Quin etiam Auctor lib. IV. qui Eſdræ dicitur, etſi fabulator ſimilis talmudiſtarum, longe tamen talmude vetuſtior [1], *c.* IV. *v.* 35. Non-

1 Guilielmus Wiſtonus Britannus in ea Diatriba, quam anglice *de Conſtitutionibus Apoſtolicis* ſcripſit *p.* 24. 76. & 104. editum hunc Eſdræ falſo adſcriptum librum an. æræ Chriſtianæ XCIX. cenſet. Henricus Dodvellus *in Diſſ. Cyprianica* IV. §. 23. *p.* 18. *edit. opp. Cypriani Amſtel. an.* 1700. ejuſdem libri Auctorem Synchronum ait fuiſſe Johanni, qui Apocalypſim edidit. Horum opinio veri eſſe ſimilior videtur Johanni Alberto Fabricio *tom.* I. *Codicis Pſeudepigraphi Vet. Teſt. pag.* 175. *edit. Hamburg. an.* 1723. Sed is jure Dodvellum reprehendit temeritatis, divinam Johannis Apocalypſin cum eo tam nugaci Pſeudo-Eſdræ libro conferentem. Fortaſſe liber

Nonne, *inquit, de his interrogaverunt animæ juſtorum in* PROMTUARIIS *ſuis dicentes, uſquequo ſpero ſic? &* *quando veniet fructus areæ* MERCEDIS *noſtræ?* & v. 40. *Et reſpondit ad me, & dixit, vade, & interroga prægnantem, ſi quando implevit novem menſes ſuos, adhuc poterit matrix ejus retinere partum in ſemetipſa? Et dixi, non poteſt Domine. Et dixit ad me:* IN INFERNO PROMTUARIA ANIMARUM *matrici aſſimilata ſunt*. Quid *ſperaſſent mercedem* juſtorum animæ in inferis, ſi jam conſequutæ ampliſſimam mercedem erant conſiſtentem in viſione naturæ Dei? Cur autem Pſeudo-Eſdras prægnantis meminit, niſi ut oſtenderet, nondum tunc, cum Eſdras viveret, adveniſſe tempus mercedis; futurum autem, ut adveniret, tumque mercedem fuiſſe animabus iiſdem dandam?

Verumtamen fac talmudico operi aliqua vis inſit confirmandæ rei. Quid? An illud tibi ſperas adjumento fore? Auguſtinum Garabellum, cujus paulo ante in Adnotationibus memini [1], adſciſcam auctorem mihi. Atque ab eo quidem cum inquirerem, ſic reperiebam. In talmude Babylonico *Tract. Chaghigà* [2] hæc leguntur omnino: „ R. Eliezer, cum ad hanc Scripturam legendam „ accedebat: *Sam. lib.* 1. *c.* 28. *v.* 15. *dixit autem Samuel*

rrrrrr 2 „ *ad*

liber idem vetuſtior etiam eſt, at recentior eſſe profecto non poteſt. Affertur enim ex eo locus *num.* xi. Epiſtolæ falſo attributæ Apoſtolo Barnabæ *to.* 1. *Apoſtolicor. Patrum edit. Amſtelod. an.* 1724. *p.* 18. Eſt autem hæc Epiſtola ſane vetus laudata a Clemente Alexandrino ante ſeculi ſecundi finem. J. B. Cotelerius *in Judic. de Epiſtola Barnabæ*, ſcriptam hanc eſſe, putat, tempore, quod ad ſeculum primum propius accederet *p.* 7. *tom.* 1. *Apoſtolicor. PP. edit. ejuſd.* Confer, ſi licet Thomam Ittigium *Hiſt. Eccl. ſec.* 1. *cap.* III. *ſect.* II §. 1. *ſeqq. p.* 122. *ſeqq. edit. Lipſ. an.* 1709. Cum autem in eadem Epiſtola Eſdræ falſo adſcriptus liber ille quartus *uti propheticus* loco indicato laudetur a tam vetere auctore, non eſt credibile, tunc primum librum eumdem prodiiſſe, ſed aliquot ſaltem annis ante, quam Pſeudo-Barnabas ſcriberet. Nec enim tunc editus ſi fuiſſet, ſtatim apud Pſeudo-Barnabam ipſum, æqualeſque nonnullos ſaltem ejuſdem Pſeudo-Barnabæ tantum exiſtimationis, auctoritatiſque obtinere potuiſſet. Pſeudo-Eſdram non minus Chriſtianorum placitis imbutum, quam fabulis delectatum Hebræorum putari a Theophilo Spizelio *libro de Iſraelitis Americanis p.* 41. animadvertit ibidem Fabricius, eamdemque eſſe ait Auguſtini Calmetii mentem *Diſſert. de hoc ipſo libro, præfixa Commentar in Eſdram p.*164. *to.* III. *Comm. in Scriptur. edit. Ven. an.*1754.

1 Vide *hujus operis p.*1048. *not.* 1

2 *Cap.* 1. *fol.* 4. *col.* 2. cujus capitis initium hoc eſt; *omnes tenentur* &c.

„ *ad Saul, quare terruiſti me, ut faceres me aſcendere*, „ flebat. Dicebat: Si Samuel Juſtus judicium timebat, „ quanto magis nos? De Samuele quid eſt, quod ſcriptum „ eſt? *Ibid. v.* 15. *Et ait mulier ad Saul, Deos vidi aſcen-* „ *dentes de terra*. Unus videlicet erat Samuel, alter „ vero, quia ivit Samuel, adduxitque Moſen ſecum: & „ dixit ei (*Samuel Moſi*) forſan, quod abſit, & ſit pax, „ ad judicium quæror. Surge mecum. Non enim vel „ una dictio eſt, quam ſcripſiſti in lege, quam ego non „ impleverim [1] „. Age vero, cum in talmude, inque libris Rabbinorum legatur, Samuelem, & ſi vis etiam, Moſen timuiſſe judicii diem, qui tandem fieri potuit, ut gaviſos fuiſſe illos aſpectu Dei talmudiſtæ arbitrarentur? Saluti ne ſuæ quemquam putas metuere, qui ſalute potitus ſit ea, quam & maximam, & perpetuam eſſe & ſentiat, & plane norit? Rurſum in talmude ipſo eodem in *Tract. Chaghigà* [2] ſic habetur: „ Dixit Rabbi Elie- „ zer, in diſcipulos ſapientum ignis gehennæ non do- „ minatur. Argumentum a majori ad minus ſumitur „ a ſalamandra. Nam ſicut ſalamandra, cujus natura eſt „ ignea, ſi quis ungatur ejus ſanguine, nullam in eum „ facultatem habet ignis, diſcipuli ſapientum, quorum „ totum corpus eſt ignis, ſicut ſcriptum eſt (*Jerem.* 23. „ 29.) *numquid ſi verbum meum eſt tamquam ignis*, quan- „ to magis *&c.* „? Diſcipuli autem ſapientum cum JU-
STI

1 R. Abrabanel in *caput ſupra indicatum lib.* 1. *Samuelis* adfert Talmudis modo deſcriptum locum, ac *fol.* 114. *col.* 1. *edit. an.* 1686. ſcribit hoc modo: „ Dixerunt rab- „ bini noſtri οἱ μακαρῖται *Tract. Chaghigà cap.* 1. *timeo diem* judicii, & vereor, „ ne vexent me ad judicium. R. Eliezer, cum ad hanc Scripturam legendam accederet, & *ait Samuel &c.* flebat, & dicebat, *ſi Samuel juſtus timebat judicium, quanto magis nos?* Paria habentur *in Compendio Talmudico libri En Iſrael ad eumdem Tractat. P.* 1. *fol.* 315. *col.* 1. *edit. Amſtelod. an.* 1698. & in libro inſcripto *Jalkut*, ſeu *Pera Paſtoralis* ex antiquiorum rabbinorum talmudicorum dictis conflato a Rabbi Simeone principe Synagogæ Francofurtenſis, editoque Venetiis: in 1. *lib. Samuel cap.* 28. *v.* 15. *fol.* 20. *col.* 3. & in *Midras Vaiikra* ſeu *Gloſſa* apud *Raymundum Martinium* III. *P. Pugionis Fidei Diſtinct.* XI. *cap.* VIII. *p.* 611. *edit. Carpzovii Lipſ. an.* 1677.

2 *Cap.* III. quod incipit: *Fundamentum eſt circa ſanitatem fol.* 27. *ad fin. capitis.*

STI a talmudis conditoribus exiſtimentur [1], inque gehenna [2], hoc eſt in *inferno* dicantur conditi, ita tamen, ut cruciatum non ſentiant; quotus quiſque tam abſurdo eſſe ingenio poterit, ut juſtos eoſdem, ex talmudiſtarum ſententia, frui cenſeat aſpectu Dei? Quid?

1 Rabbini credunt, ſimiles ſe Prophetarum eſſe, *ſanctoſque* ſe jactitant. Abrabanel *in Deuteron. c.* 17. *fol.* 367. *col.* 2. „ Docent, inquit, in *Ghemarà cap.* 1. *Codicis inſcripti Bava Batra*, hoc eſt *Porta Ultima*: quod ſpiritus propheticus invenitur in ſapientibus (Rabbinis) ». Confer ejuſdem *lib.* cui titulus *Fontes ſalutis in Daniel. Fonte* XI. *Palm.* VII. *fol.* 114. *col.* 2. quo loco: „ Illud, *inquit*, *& Doctores populi docebunt Dan.* XI. 28. indicat decem interfectos a Regno, & ceteros JUSTOS, qui interfecti ſunt in vaſtatione Civitatis (*Jeruſalem a Tito Imperatore*. Eadem habent R. Menaſsè Ben Iſrael *in lib. Niſmath. Chajim*, ideſt *Anima vita lib.* 1. *cap.* X *fol.* 27. *col.* 2. *& cap.* XIV. *fol.* 39. *col.* 1. & R. Ghedalia *in Scialſceleth Hakkabalà fol.* 57. *col.* 1. *&* 2. Sed multo clarius id continetur *Talmud. cod. Succà cap.* II. *fol.* 28. *col.* 1. quo loco ſic legitur: „ Tradiderunt Magiſtri: octoginta diſcipulos habuit Hillel ſenior, quorum triginta digni erant, ut ſuper eos divinitas habitaret, ſicut ſuper Moſen Magiſtrum noſtrum. Triginta vero alii ex iis digni erant, ut eorum nutu ſtaret ſol, ſicut fecit Joſue filius Nun. Viginti autem mediocres erant, quorum major erat Jonathan Filius Uzielis, minor vero omnium Rabban Jochanan filius Zaccai.

2 Ne puta a Talmud ſolum in *gehenna* poni Juſtorum animas. Eodem enim eas trudi putanr rabbini ex traditione talmudiſtarum. Sic enim habetur in *Midras*, hoc eſt *in Commentar. in Cantica*: *cap.* II. *fol.* 13. *col.* 3. *&* 4. de Synagoga ab Judæis appellata *ſancta* in gehenna conſtituenda uſque ad adventum Meſſiæ; in *lib. Rabboth*; & *in quinque Megillòth Rabbethà*, & in Rabbi Salomonis ſcriptoris Seculi XII. cujus maxima eſt apud Judæos auctoritas, *Comment. in c.* 37. *Geneſ. v.* 35. ad verba illa Jacobi: *deſcendam ad filium meum lugens in infernum*; *& in Comment. in caput* 24. *Geneſ. v.* 27. R. Moſis Haddarſcian *apud Martinum Pugion. Fidei P.* III. *Diſt.* 2. *c.* 8. *pag.* 605. *ſeq. Edit. Carpzov.*: » Dixit Rabbi Ioſue Ben Levi: ivi cum Angelo Mortis nomine Kippod, uſquequo perveni ad portas inferni, ſtatimque miſi Angelum Kippod, qui ſcilicet præeſt gehennæ, ut menſuraret eam a capite uſque ad finem; non fuit autem ei hora vacans ad menſurandum, quia tunc occiderunt Rabban Simeon filium Gamaliel, & volui ire, & non potui. Poſt hæc autem ivi cum Kippod Angelo mortis, & ivit mecum Meſſias filius David, uſquequo perveni ad portas gehennæ. Cum autem viderunt captivi, qui ſunt in gehenna, lumen Meſſiæ, fuerunt lærantes ad recipiendum eum, dicentes, iſte educet nos de iſta obſcuritate, ſicut dictum eſt Oſeæ 13. v. 14. *De manu inferni redimam eos, de morte liberabo eos*. Et ſic dicit Eſaias c. 35. v. 10. *Et redemti a Domino redibunt, & intrabunt Sion* »: & fugient *dolor, & gemitus* ». De Moſis Haddarſcian opere vide Bartholoccium *tom.* IV. *Biblioth. Rabbinicæ pag.* 69. Hoc teſtimonium evertit novam Dalhami opinionem, evincitque, juſtorum animas ante Chriſti deſcenſum fuiſſe in tenebris inferorum, hoc eſt in limbo SS. Patrum. Neque enim intelligi is locus de impiis, ſceleſtiſque poteſt; nam hi, ex talmudiſtarum ſententia, non liberabuntur. *Cod. Roſch Haſciannà cap.* 1. *fol.* 17. *col.* 1. R. Maimonides *lib. Jad Chazacha in Conſtit. de Pœnit. cap.* III. *fol.* 39. *col.* 2. Agit ergo Rabbi Moſes Haddarſcian de juſtis, qui manebant in tenebris, hoc eſt in limbo Patrum, ut dixi. Atque ita diſſerunt talmudiſtæ, ceterique Rabbini veteres de Sanctis Patriarchis, & Prophetis. Atque aperte illi quidem ſcribunt, Jacobum, Samuelem, Davidem, Eccleſiam denique Iſrael in juſtis ſuis, manſiſſe *in profundis inferni*, ibique a Deo per Meſſiam expectaſſe liberationem, & redemptionem.

Quid? ſi in Targum, ſeu in Paraphraſi chaldaica Sacrorum Bibliorum, quæ, ſi Judæos audimus [1], multo eſt antiquior operibus talmudicis non babylonico ſolum, ſed etiam hieroſolymitano, hoc idem de juſtis in inferis conſtitutis legatur? Targum Jonathanis ad v. 18. cap. XLIX. Geneſeos: *ſalutare tuum expectabo Domine*, ſic habet: „ Dixit
„ Jacob cum vidit Gedeonem filium Joas, & Samſonem
„ filium Manue, qui futuri erant liberatores: non libe-
„ rationem Gedeonis ego perſpicio, neque liberationem
„ Samſonis ego expecto; quia liberatio eorum eſt li-
„ beratio temporalis; ſed ego liberationem tuam per-
„ ſpicio, & expecto Domine; quia liberatio tua eſt
„ liberatio ſeculorum (*ſeu* ſempiterna) „. Eodem revolvuntur, quæ continet Targum Hieroſolymitanum: „ Dixit
„ Pater noſter Jacob, non liberationem Gedeonis filii
„ Joas perſpicit anima mea, quæ eſt unius horæ (*tem-*
„ *poralis*), neque liberationem Samſonis, quæ eſt libe-
„ ratio CREATA, ſed liberationem, quam dixiſti ver-
„ bo

1 Rabbi Ghedalias Aben Jacchià *in Scialsceleth Hakkabalà fol. 27. col. 2. & fol. 28. col. 1.* » Jonathan Ben Uziel, *inquit*, vixit dies multos, adeo ut in juventute ſua » ab Aggæo, Zacharia, & Malachia Prophetis acceperit. Fuit autem circa me» diam ætatem ſuam unus ex ſociis Rabban Jochanan filii Zacchai, qui diſcipuli » erant Hillelis ſenioris. In ultima vero ætate ſua vidit Onkelos Proſelytum hujus » ætatis. Porro is Jonathan ſcripſit Targum (*Paraphraſin*) Prophetarum juxta » traditionem Magiſtrorum ſuorum &c. » Scio Scriptores Chriſtianos ſecus de vetuſtate operis hujus ſtatuere. Qua de re confer Johannem Morinum *Exercit. Biblic. lib.* II. *Exercit.* VI. *cap.* IV *edit. ejuſd.* Brianus Waltonus *in Apparatu Biblico de Lingua Chaldaica, & Targumim p.* 384 negat ei Jonathani id opus eſſe adſcribendum, eſſeque illud ſtatuit ſcriptum poſt *Miſnah ſaltem ab aliquo, qui emendicato Jonathanis nomine, auctoritatem paraphraſi huic conciliare voluerit*. Eodem recidunt, quæ tradi a Buxtorfio, Druſioque, idem eſt Auctor Waltonus *ibid p.* 383. Confer, ſi licet, Johannem Franciſcum Buddeum *Iſagog. in Hiſt. & Theolog. lib.* 1. *cap.* VIII. §. 5. *pag.* 1509. *ſeq. edit. Lipſ. an.* 1727. Verum Jonathani eamdem paraphraſim adſcribunt Poſtellus, Fagius, Serarius, aliique ibidem a Waltono laudati. Ut ut ſit, Rabbini talmudis admiratores, quorum auctoritas magni eſſe apud Dalhamum pretii debet, eam paraphraſim Jonathano adſcribendam cenſent. Quin etiam, ſi Waltono aſſentiamur, poſt Miſnah perſcripta ea ipſa paraphraſis exiſtimanda eſt, hoc eſt poſt annum Chriſti 189. Quare vel par erit antiquitate talmudicis operibus Hieroſolymitano, & Babylonico, vel etiam fortaſſe antiquior. Quare Humfredus Prideaux in *Hiſtoria Judæorum, vicinorumque populorum to.* VII. *edit. Veneta an.* 1718. *pag.* 36 *Targum*, inquit, *ſunt antiquiora ſcripta Judæorum poſt Sacra Biblia. Res eſt certiſſima, quod attinet ad Targum Onkeloſii, & Jonathanis, & quamvis alia* Targumim *minus multo vetuſta ſint, verum eſt tamen, fere omnia accepta fuiſſe ex Gloſſis, ac Paraphraſibus Chaldaicis, quibus diutiſſime uſi Judæi fuerant.*

„ bo tuo venturam eſſe populo tuo filiis Iſrael. Hanc „ liberationem tuam expectat anima mea „. Sempiternam igitur liberationem a Deo expectabat Jacobus, hoc eſt eam liberationem, quam erat allaturus Meſſias. Jam vero ſi ſtatim ac mortuus fuiſſet, viſione erat potiturus Dei, quid demum ei fuiſſet *liberatione ſempiterna* opus? An expectaſſe eum, dices, a mortuis reſurrectionem? Qua id confidentia poteris dicere, ſi ut eſt in utroque Targum, Jacobus non ait, expectare ſe liberationem temporariam, qualis erat Gedeonis, Samſoniſque futura, ſed æternam a Deo Meſſiæ tempore? Liberatio autem *ſempiterna* quæ in Targum memoratur, danda Meſſiæ tempore quænam tandem eſt, niſi illa, quam vocat Iſaias c. XLV. v. 17. *ſalutis ſempiternæ* nomine, quæ ſalus conſiſtit in libertate a peccato, ac peccati præſertim originalis pœna, cujus pœnæ luendæ cauſſa animæ juſtorum in inferis detinebantur, ut non chriſtiani ſcriptores modo, ſed etiam judæi explicant [1]?

Multa dici poſſent de errore talmudis ſtudioſorum, qui animas etiam juſtorum de corpore in corpus migrare, adeoque quamdiu circuitum corporeum hunc non abſolverint, expertes eſſe beatitatis in viſione Dei conſiſten-

1 *Jalkut in Zachariam cap.* IX. 9. *fol.* 86. *col.* 1. *&* 2. » Dicit Deus in hoc ſeculo » ſalvati fuiſtis virtute hominum, in Ægypto a Moſe, & Aaron; in diebus Siſaræ a Debora, & Barach; a Madianitis virtute judicum Iſrael; ſed quia homines erant, in captivitatem ducti eſtis. Verum venturo ſeculo (*videlicet cum* » *venerit Meſſias*) ego ipſe vos redimam, nec in aliam ITERUM CAPTIVITATEM DUCEMINI, quemadmodum dicitur *Jeſ.* 45 *v.* 17. *Iſrael ſalvatus eſt in* „ *Domino* SALUTE PERPETUA„. Idem ſtatuit R. Samuel Laniado *in Iſaia c.*XLV. *v* 17. *in op. inſcrip: Vas Auri puri fol.* 179. *col* 3. *ed. Ven. an* 1617. De duobus enim liberationibus agi ibidem ab Eſaia animadvertit, hoc eſt de liberatione ex Ægypto, deque liberatione ex inferis. De liberatione autem Iſraelis ſeu juſtorum ex inferis agens » Secunda liberatio, *inquit*, eſt futuri ſeculi, ſicut ſcriptum eſt, » *cum ambulaveris in igne non combueris*: *Jeſ.* 43. 2. quod exponunt ſapientes noſtri, *in igne gehennæ futuro ſeculo*. Omnis enim natio, & dii ejus deſcendent » in eam. Iſrael etiam timebit, ſed Deus ſecuros reddet, NE COMBURANTUR, » ſed liberabuntur. Igitur invenimus liberatione (vel ſalute æterna) liberatum » Iſraelem in Domino, videlicet in hoc ſæculo, & in futuro. Quumque videris, » quia quando tranſieris per aquas, tecum ero, ut ſalvem te, & quando ambulaveris IN IGNE, NON COMBURERIS, tunc non confundemini, nec erubeſceris uſque in ſeculum ſeculorum, quæ ſunt ſecula permanentia, & æterna illius » ſeculi, de quo dicitur: *oculus non vidit &c. Iſaia* 64. *v.* 3.

ſtentis [1] putant. Sed hæc prætereo, quod & ſatis ſint, quæ protulimus, & eſſe etiam in re non neceſſaria nolim nimius.

At in talmud cum Hieroſolymitano, tum Babylonico de *ſinu Abrahæ* agitur, qui idem atque locus in *cælo ſub throno gloriæ*, *& paradiſus* ſit beans animas conſpectu Dei. Sit ita. Quid hinc, Dalhame, efficies, cum jam demonſtratum ſit tibi, in inferis conſtitui Sanctorum Prophetarum animas, ex talmude, ibique *judicium metuere*, expectareque *liberationem*, adeoque interim captivas eſſe; quæ ſane res cum viſione Dei componi nullo modo poſſunt? An pugnantia talmudicis libris contineri dices? Patiar. Ex libris autem pugnantia continentibus, quo tu pacto argumentum concludere, quo nullum ſit fortius, poteris?

Sed videamus, quid *Sinus Abrahæ*, *Thronique gloriæ &c.* vocabulis talmudis conditores intelligant. Cum Lightfootus, & proinde etiam Dalhamus non indicent quo in loco talmudis Babylonici ſit illud de Rabbi Jeudah collocato in Abrahæ ſinu [2], difficile eſt locum eumdem quærendo deprehendere. Quamquam nihil in eo eſſe, quod cauſſæ Cadonicianæ præſidio ſit, facile intelligo. Nam ſi quid eſſet, illud certe Lightfootius non prætermiſiſſet. Nobis tribus in locis fas fuit deprehendere mentionem Sinus Abrahæ, in talmud *Codice Kidduſin* [3] *cap.* IV. *In En Iſrael*, ſeu *Compendio* Talmudis *Codice*, ſeu *Tract. eodem*, *cap.* *item*

1 Cum perraro Judæi in talmudicis libris Sinus Abrahæ mentionem fecerint, Joſephus autem, ceterique vetuſtiores ejus gentis ſcriptores numquam, ſuſpicari certe nobis licebit, communem non fuiſſe eam Judæorum phraſim, ſed ex Evangelio ab talmudiſtis acceptam. Atque ut animadvertit Iſaacus Voſſius *in Reſponſion. ad Objecta Critica Sacra Var. Obſerv. p. 327. edit. Amſtelod.* „ Quod „ ad ritus attinet, *inquit*, ſcimus & nos, Rabbinos non minus forſan diligenter „ legere Evangelia, quam chriſtianos, & quamvis Chriſtum non admittant, ritus „ tamen veterum Hebræorum ex Evangeliis, & Actibus Apoſtolicis in ſuos transferre commentarios: Iſtos vero ritus cum legunt (*quidam*) Chriſtiani (*ut Lightfootus hæreticus*) veluti gemmulas colligunt, exiſtimantes ex perenni traditione conſervatam a rabbinis eorum fuiſſe memoriam „.

2 Kiddushin *Fol. 72. col. 2. & 3.* „ Ada bar (filius) Ahavah eſt ibi (*in Area Agma* „ *in Babylone*). Hodie ſedet ille in ſinu Abrahæ „.

3 *Tom. II. fol. 404. col. 2.* quo loco eadem omnino continentur, atque ea, quæ attulimus *not. ſuperiore*.

item IV. [1] & in *Midras*, *Echà Rabbati c* I. Atqui in iis tribus locis ne verbum quidem eſt, ex quo intelligi poſſit, eos, qui in ſinu erant Abrahæ, fruitos fuiſſe aſpectu Dei. Quod ſi rabbinis eadem loca interpretantibus adhibenda aſſenſio eſt, ii quidem certe *mortem* vocabulis *ſinus Abrahæ* indicari, nihilque præterea [2], arbitrantur.

Sed ut eſt in talmud, juſtæ, ſanctæque animæ *promiſcue inter Angelorum conſortia*, *in paradiſo*, *in ſinu Abrahæ*, *ſub throno gloriæ collocantur*; judæique prædicant perpetuo ſummam juſtorum felicitatem.

Equidem ſummam iſtam felicitatem a rabbinis novis prædicari, facile patior [3]; a talmudis vero conditoribus, non item. Quemadmodum enim hi iſtud ſi prædicarent, conſtarent ſibi, cum Samuelem, ut vidimus, in inferis fuiſſe, timuiſſeque judicium pugnent, ſtatuantque Sanctos in gehenna conſiſtere, expectareque *liberationem*?

Ad phraſes illas talmude comprehenſas de *paradiſo*, de ductis in *ſinum Abrahæ ab Angelis juſtorum animabus* &c. quod attinet, dico primum *Paradiſi*, & *Loci ſub throno gloriæ* nominibus ab judæis intelligi requiem exemptionis a pœna ſenſus, qua requie, in inferis, ſeu in limbo Sancti potiebantur. Hinc animas illi Sanctorum *velut in faſciculo quodam*

ſſſſſſ ab-

1 *Fol.* 68. *col.* 1. quo loco de Maria matre ſeptem filiorum agitur, a neſcio quo Romano Imperatore interfectorum. » Ruit mater ejus (poſtremi filii) & oſculata » eſt eum, dixitque ei, ito, fili mi, ad Abraham Patrem veſtrum, & dic ei, » ſic dicit mater mea, ne glorieris tu tibi, neque dicas, conſtruxi altare, & ob- » tuli Iſaac filium meum, mater enim noſtra conſtruxit ſeptem altaria, & obtu- » lit ſeptem filios eodem die ».

2 *In En Iſrael ibid.*

3 Hi ut Chriſtianos inſectarentur, a majorum ſuorum doctrina deſciverunt, R. Iſaac Bar Abraham *in lib. de Confirmat. Fidei P.* 1. *cap* x'. *fol* 33 *col.* 1. *edit. Amſtelod. an.* 1625. » Quod dicunt, *inquit*, Chriſtiani Sanctos Patres (Patriarchas) » & Prophetas, alioſque Sanctos deſcendiſſe in foveam gehennæ ob peccatum pri- » mi hominis, ita non eſt ». Similia perſequitur *fol. ſeq. col.* 2. Non diſcrepat Rabbi Lipman *lib. de Victoria num.* 8. *fol.* 14. *col.* 1. & Rabbi Menaſsè Ben Iſrael *lib. de Vita Animæ Tract.* 2. *cap.* 23. *col.* 1. Verum quid Rabbinos Dalhamus audiat, qui ne ab Angelis quidem credant videri Deum? Quo in genere inſignia ſunt loca R. Joſephi Albo *in lib. de Artic. Fidei edit. Venetæ an.* 1618. *Tract* 3. *cap.* 20. *fol* 92. *col.* 2. *in Explic.* v. 18. *cap.* XXXIII. *Geneſ.* & R. Menaſsè *in Niſmath. Caiim Tract.* 1. *cap.* XI. *fol.* 28. *col.* 2. & *fol.* 29. *col.* 1.

abſconditas eſſe ajunt, atque in requie, contra atque ſint animæ impiorum, quæ tormentis excruciantur [1]. Etſi vero quæſitum diligenter a nobis, inventum tamen nuſquam eſt, *paradiſi*, hoc eſt *horti voluptatis* vocabulis, indicari aliquando ab talmudiſtis viſionem [2] Dei. Quin ipſi viſionem Dei ſanctis animabus non jam obveniſſe, ſed obventuram eſſe [3], idque tempore Meſſiæ [4], teſtantur. Atque eſſe ſub throno gloriæ nihil aliud talmudiſtis eſt, quam eſſe in *Vivorum faſciculo*, in *Gan Eden*, ſeu in *Horto voluptatis*, qui etiam appellatur *Theſaurus*, *Tabernaculum Dei*, *Locus ſanctitatis*, *Atrium*, *& Domus Dei*, & eſt item in *Duma*, *& Gehenna* [5]. Oſtenſum autem ſupra tal-

1 In capitulis Rabbi Eliezer *cap.* XXXIV. *apud Abrabanel in Sam.* 1. 25. *fol.* 128. *col.* 4. ſic habetur: » Quodnam diſcrimen eſt inter animas juſtorum, & impiorum? » Animae juſtorum *reconduntur ſub throno gloriæ*, animæ autem impiorum aſcen- » dunt, & deſcendunt continuo. Illis *quies eſt*, iſtis non eſt requies. Quemadmo- » dum dicitur 1. *Sam.* 25. 29. *Et erit anima domini mei colligata in faſciculo viven-* » *tium apud dominum Deum tuum: animam autem inimicorum tuorum projiciet cavo* » *fundæ* (ſicut lapis funda jacitur). Confer & librum *Midras Koeleth cap.* 111. 4. *fol.* 94. *col.* 1.

2 R. Menaſsè Ben Iſrael in lib. Niſmath Chaiim *cap.* 21. *fol.* 82. *col.* 1. & 2. multis quidem Talmudis locis efficere conatur, animas Sanctorum Vet. Teſt. poſt mortem fuiſſe translatas *in Gan Eden*, in *Hortum voluptatis*, ſed iis in locis nulla fit æternæ felicitatis, beatæque viſionis mentio. Immo vero corporis commoda, voluptateſque Rabbini in *Gan Eden* ponunt: Vide R. Menaſsè *ibid. cap.* x. *fol.* 25. *col.* 1. An hujus generis paradiſum Dalhamus probabit? Non equidem arbitror.

3 In Tract. Megillà. *De Feſto lection. volum. Eſter*: » Dicit R. Elazàr filius Cha- » ninæ: futurum eſt, ut Deus faciat coronam cuilibet juſto, ſicut dictum eſt: » *in die illa erit Dominus exercituum in coronam gloriæ* ». Vide *Cod. Bava Batra cap.* cujus eſt initium: *qui vendit*, *aut emit navim*. R. Menaſsè *l. ind. cap.* x. *fol.* 27. *col.* 1. *& Tract.* II. *cap.* XXIII. *fol.* 82. *col.* 2. » In Codice *Tahanith de Jejunio*, » *cap.* IV., *inquit*, Dicit R. Chelbo, dicit Haulà, dicit R. Elhazar: futurum » eſt, ut Deus faciat chorum juſtorum in horto Eden, IPSE AUTEM SEDE- » BIT INTER EOS, & quiſque illorum digito ſuo demonſtrabit eum, quemad- » modum dicitur *Jeſ.* 25. 9. *Et dicet* (*populus*) *in die illa* ECCE DEUS NOSTER » (adeſt) EXPECTAVIMUS EUM ».

4 In Jalkut, quod opus conflatum eſt e locis talmudiſtarum, *cap.* 25. 9. ſic habetur: » In venturo ſeculo manifeſtabor in gloria mea ſuper omnem Iſrael, ET » IPSI VIDEBUNT ME, ET VIVENT IN ÆTERNUM, quemadmodum » Jeſ. 52. 8. *quia oculo ad oculum videbunt*, *cum converterit Dominus Sion* (*quæ Iu-* » *dæi de Meſſiæ temporibus intelligunt*) & præterea ipſi ſibi ad invicem digito oſten- » dent gloriam meam, ſicut dictum eſt Jeſ. 25. 9. *Et dicet populus in die illa*, *ecce* » *Deus noſter ipſe eſt*. Item dicit Scriptura Pſ. 48. 15. *Ipſe eſt Deus*, *Deus noſter* » *in ſeculum ſeculi*, *ipſe ducet nos ſuper mortem* ».

5 R. Menaſſe Ben Iſrael in Niſchmath Chaiim *Tract.* 1. *cap.* x. *fol.* 26. *col.* 1. » Gan Eden (*hortus voluptatis*) ſuperior, *inquit*, habet ſeptem nomina, *quæ* » *ſunt faſciculus viventium*, *tabernaculum Domini*, *locus ſanctitatis*, *atrium Do-* » *mini*, *& domus Domini* ». In talmud *Cod.* Sciabbath *cap.* XXIII. *fol.* 152., ut effi-

talmudis teſtimonio eſt, animas etiam Prophetarum in inferis ſine pœnæ ſenſu fuiſſe ſervatas, atque ita quidem ſervatas, quin viſione Dei gauderent. Dum igitur in talmude ipſo legimus: ſervatas animas eaſdem *Sub throno gloriæ*, in *Gan Eden &c.* fuiſſe; ſervatas profecto in inferis [1] ſine ſenſu pœnæ ita, quin Deum intuerentur, fuiſſe, fateamur neceſſe eſt, ſi talmudi aſſentiri velimus, cui nulla ſit ſecum luctatio.

Age vero, quod in talmude de Moſis anima dicitur, in cælis eam *miniſtrare Deo, eſſeque in conſpectu Dei una cum Angelis*, id ne Dalhamus, ex talmudiſtarum ſententia, ante adventum Meſſiæ, obventurum Moſis animæ arbitratur? At contra in talmude ipſo ſtatuitur. In *Velle Haddevarim Rabbà* hæc leguntur: „ Dixit Deus Moſi, „ hæc etiam eſt proprietas bona, quam dixi tibi. Ec- „ ce (prope ſunt dies mortis tuæ Deut. 31. 14. (ſicut „ dicitur (Exod. 23. 20.). *Ecce ego mittam Angelum*. *En ju-* „ *ſtus in terra rependetur. Prov.* XI. 31. Ecce *ego mittam vobis* „ *Eliam prophetam*. *Malach.* IV. 5. „ (vide nunc Dalhame, an hæc ſtatim poſt Moſis mortem evenerint) „ Et quemad- „ modum exaltaſti me (o Moſes) apud ſexaginta myria- „ des, ſic ego exaltabo te in futuro ſeculo coram quin- „ quaginta quinque myriadibus juſtorum perfectorum „. Jam ne ſentis, agi hoc loco, de præmio, quod erat a Deo recepturus Moſes in futuro ſeculo? Si ſtatim poſt

ſſſſſſ 2 mor-

efficiatur, animas Sanctorum ſtare ſub *throno gloriæ*, affertur locus e *cap.* XXV. *lib.* 1. *Samuelis*: *Et erit anima Domini mei in faſciculo viventium*. Idem *faſciculus viventium* vocatur *in Targum Jonathanis* nomine *Theſauri*. In *Midraſch Coheleth cap.* 31. 21. *fol.* 94. *col.* 1. legitur, *animas juſtorum eſſe abſconditas in Theſauro*. At is *Theſaurus* non infert ſecum beatitatem in intuitu conſiſtentem Dei. Quam ad rem evincendam conferent, quæ prolata hactenus ſunt a nobis teſtimonia, & quæ collegere Scholiaſtes Maimonidis *Tract. de Pœnitentia ad cap.* IX. *fol.* 44. *col.* 1. *ad fin.* Rabbi Joſeph Albo *in Sepher Ikkarim lib.* IV. *cap.* 31. *fol* 130. *col.* 1. *edit. Venetæ an.* 1618.

1 Multa afferri ad hanc rem mirifice confirmandam poſſent ex *Talmud Cod. Sciabbath c.* XXIII. *fol* 152. *col.* 2. ubi de *juſtis*, *qui Pœnitentiam egerunt*, diſſeritur, deque Dumà *ſilentio*; & Angelo mortis ex R. Abraham Ben David, *in Animadverſ. in Maimonidis opus Tr. de Pœnitentia cap.* III *fol* 39 *col* 1. & R. Lipman *Sepher Nitzachon num* 8. *fol.* 14. *col.* 2. ex Rabbi Manaſsè *Niſmath Chaiim Tract.* 2. *cap.* 23. *col.* 1. *&* 2. & ex opere inſcripto: *Sphaerula*, *& flos Tract.* XXIII. *fol.* 109. *col.* 1. *edit. Amſtel. an.* 1700. Sed modus eſt ſcribendi faciendus mihi.

mortem tanta erat, ut Dalhame putas, Moſis gloria in Angelorum conſortio futura, qui demum fuiſſet eidem ſua exaltatio ad futurum ſeculum differenda? Cum igitur in talmude collocata dicitur fuiſſe anima, ut cernis, Moſis ſub *thorono gloriæ*, collocata intelligatur oportet in *ſinu Abrahæ*, hoc eſt in limbo, *ſeu in inferis*, ut oſtendimus; cumque rurſum repoſita dicitur in *cælis*, *inque ſocietate Angelorum*, oſtenditur in eo ſtatu futura poſt adventum Meſſiæ Servatoris, quo tempore revera *ante Dei conſpectum* erit, judæorum quidem ſententia [1]. Atque iis, qui ſub *throno* ponuntur gloriæ, nihil plus, quam *requiem* ab talmude tribui, conſtat ex *Cod. Sciabbath*, in quo hæc leguntur: *Quodnam diſcrimen eſt inter animas juſtorum, & animas impiorum? Traditio eſt.* R. Eliezer dicit: *animæ juſtorum reconduntur ſub throno gloriæ, animæ vero impiorum aſcendunt, & deſcendunt continuo. Illis* QUIES *eſt, iſtis non eſt requies.*

At in talmude Hieroſolymitano anima Rabbi Jehudæ eſſe dicitur *in conſortio Angelorum*. Nego enim vero. Atque tu animadvertere debueras, hoc tibi eſſe negandum, ſi non tam feſtinanter officinam Lightfootianam expilaſſes. Nam Lightfootus, a quo, quæ de Jehuda ſunt, accepiſti, ſic locum Hieroſolymitani talmudis deſcribit: *Aufertur Rabbi Jehuda per Angelos* [1]. Nemo autem eſt noſtrum, qui deductos Sanctos V. T. ab Angelis in Abrahæ ſinum neget. *Auferri* vero *ab Angelis* non idem eſt, atque Angelorum eſſe conſortem. Nam conſortium, ſi minus beatitate Angelis pares, at ſimul ſaltem una animas eaſdem cum Angelis fuiſſe beatas indicaret; quod neque talmudis conditores, neque qui ex talmude acceperunt, Judæi tradunt.

Quod

1 Ne Rabbi quidem Ghedalia in lib. *Scialſceleth Hakkabalà*, neque Abraham Zacuth *in Sepher Juchaſſin*, neque ceteri, qui de Jehuda, quem ſanctum vocant, diſſerunt, eum *in conſortio Angelorum* ponunt. Atque rabbini adduci quidem *in Gan Eden*, ſeu *in hortum voluptatis* juſtorum animas *ab Angelo mortis* Dumà, vel etiam ab aliis Angelis ſcribunt; eas vero Angelorum *conſortes eſſe*, non item: Ita cenſet Auctor lib. *Caphtor Vapherach Tract.* 23. *fol.* 109. *col.* 1. & Auctor operis inſcripti *Midras Koeleth fol.* 86. *col.* 4.

Quod ſi volueris,munditia Angelis æqualem fuiſſe Jehudam, adeoque,ut illi fruuntur,ita hunc,ex talmudis ſtudioſorum ſententia,frui aſpectu Dei,indeque ſtatueris,informari accuratam paradiſi, ſive beatitudinis notionem poſſe; equidem Lectores teſtabor, invitum me iſtuc trahi, ac niſi abs te cogerer, quod dicam (quoniam minus *decens* eſt) numquam me fuiſſe dicturum. Ceterum ſpero fore, ut bona venia me dicentem audiant. Rabbi Abraham filius Rabbi Samuelis Zacuti in libro *Juchaſſin*, ſive *Proſapiarum*, *in Actis Rabbi Jehudæ ſancti* [1]: *Diarrhœa* illum fuiſſe arreptum morbo ſcribit, eoque ex morbo, qui ei ſupremus fuit, illud fuiſſe commodi conſequutum, ut diebus ipſis viginti, egeſtis fæcibus quibuſque corporis, inſtar *Angelorum miniſterii purus*, nitenſque evaſerit. Adeſdum Dalhame, informato hinc animo notionem accuratam *paradiſi*, ſi potes. Ridebit fortaſſe quiſpiam hoc legens. Sed in rebus tam gravibus, quas nugis talmudiſtarum, rerum pugnantium, [2] ſpurcarum, abſurdarum, impiarum plenis, implicari, fœdarique ab homine catholico videas, eſſe puto cuique debere non ridendi quidem, ſed lugendi locum. Quidni tu, Dalhame, miſſo hæretico Lightfooto Adolphum a S. Georgio virum hebraice doctiſſimum ex Inſtituto Scholarum Piarum Presbyterum, deindeque Epiſcopum ſequutus es, in libro hebræorum lingua edito, inſcriptoque: *Teſtis*, *&* *Doctor*: judæos ita prementem? „ Mundatus moſaice abſolvitur ab im-„ munditia legis, v. 9. ut poſſit accedere; mundatus a „ Meſ-

1 *Fol.* 33. *edit. Amſtelod. an.* 1717. Is ubi meminit extremi, quo Judas laboravit, morbi viſcerum: *Et vidi*, inquit, IN TALMUDE HIEROSOLYMITANO, *Rabbi dixit: Pii veteres caſtigati fuerunt ante obitum ipſorum morbo viſcerum decem, aut viginti diebus* AD EVACUANDUM OMNIA, UT VENIRENT DIGNI AD SECULUM FUTURUM. *Eheu*, *& additamenta in cap. Eheu*. Quod eſt *in Midraſch*, ſcilicet *Traditione Veterum*: AD EVACUANDUM CIBUM A VISCERIBUS, UT SINT MUNDI, ET PURI AD INSTAR ANGELORUM MINISTERII.

2 Pugnantia contineri talmudicis voluminibus, talmudiſtæ etiam ipſi fatentur, *In talmud. Cod. Sanhedrin cap.* x. *fol* 88. *col.* 2. *& cod. de Commixtionibus cap.* 3. *In talmudis Compendio fol.* 125. *col.* 1. *in Jalkut cap.* 12. 11. *fol.* 190. *col.* 1.

„ Meſſia, & corde ad eum provocans, nunc poſtquam „ venit, abſolvitur a reatu æternæ pœnæ, & antequam „ veniſſet etiam, ſic abſolutum fuiſſe in tali fide credo; „ excepto, quod LUCEM SOLIS DIVINI NON VI- „ DERIT, QUOD GENERATIONI MESSIÆ RE- „ SERVARI AFFIRMATIS. Si uſque eo lux celatur, „ igitur antequam veniſſet, IN TENEBRIS, ita loquen- „ do, SEDERUNT PATRES NOSTRI [1] „. Hunc tu multis nominibus imitari debueras. Quod ſi feciſſes, talmudicis ſententiis non oppugnaſſes tu quidem, ut hæreticum hominem, judæoſque novos imitatus oppugnare conatus es, non oppugnaſſes, inquam, doctrinam catholicorum, ſed evertiſſes, ut novorum judæorum, ſic etiam proteſtantium inane dogma. Ac de argumento quidem, quo nullum eſſe fortius arbitrare, ex talmudicis libris accepto, quam leve ſit, quamque tuam non confirmet, ſed potius labafactet opinionem, ſic egi, ut plane confidam, perſuaſiſſe lectoribus illud me, quod ante nos Petrus Daniel Huetius animadverterat: *ſucceſſiſſe phariſæis talmudiſtas, qui & terram viventium, & gehennam prædicant, ſedes piis impiiſque paratas:* MITTIQUE ajunt, OMNES IN INFERNUM LOCUM, *Duma dictum, hoc eſt ſilentium: ſed non æqualiter*, PROBAS QUIPPE REQUIEM ILLIC NANCISCI IN THESAURUM QUEMDAM RECONDITAS, QUEM FASCICULUM VIVENTIUM APPELLANT; *ceteras laborem ac ſupplicium* [2].

De græcis, ad quos item provocas, perpauca dicam, pro-

1 *P.* III. *cap.* IX. *pag.* 144. *edit. Latina Viennen. an.* 1709. Hæc, ut etiam, quæ deſcripſi *ſupra not.* 1. *p.* 1061. *hujus Operis*, accepi a cl. viro Bernardo Pochio.

2 *Concord. Ration. & Fid. ſeu Alnetanar. Quæſtionum lib.* II. *cap.* XXIV. *p* 236. *edit. Francofurt. an.* 1719. Eodem recidunt, quæ diſputant Raymundus Martinius in ejus operis, quod inſcribitur *Pugio Fidei Par.* III. *diſt.* II. *cap.* VIII. §. IX. *ſeq. pag.* 488. & Joſephus de Voiſin in *Prooem. Pugionis Fidei pag.* 173. *ſeq. edit. Carpzov. an.* 1677. aliique prope innumerabiles, quos modo recenſere non vacat, nec vero eſt in re tam perſpicua opus. Confer, ſi licet, Sebaſtiani Schmidii Diſſert de Faſciculo viventium ad Samuel. XXV. 29. *Membro* II. *pag.* 154. *tom.* I. *Theſauri Theolog. Philolog. edit. Amſtelod. an.* 1701.

propterea quod neque loca eorum afferas ulla, quæ neceſſe ſit illuſtrare; neque eruditione præſtantes viri, qui diligentiſſime hoc in genere quæſtionis verſati ſunt, ullum nobis reliquerint de eadem quæſtione accuratius agendi locum. Jam græcorum ethnicorum ea pervulgata fuit, communis, atque, ut iidem ajebant, ab antiquis, *qui myſteria reliquerunt*, ad tempora poſteriora propagata ſententia: animas bonorum, malorumque ad inferna deſcendere. Homerus *Iliad. A. v.* 3. [1]

> *Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἀΐδι προΐαψεν*
> *Multas* FORTES ANIMAS INFERNO *præmiſit*.

Theognis *in ſententiis* v. 1007.

> *Ως μάκαρ, εὐδαίμων τε, καὶ ὄλβιος, ὅςις ἄπειρος*
> *Αθλων εἰς ᾅδου δῶμα μέλαν κατέβη.*

Quam felix, beatus, & fortunatus eſt, quiſquis ignarus certaminum IN INFERNI DOMUM OBSCURAM DESCENDERIT.

Plato in Phædone, *καὶ οἱ*, inquit, *τὰς τελετὰς ἡμῖν οὗτοι καταςήσαντες, οὐ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι, ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος, καὶ ἀτέλεςος εἰς ᾅδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται, ὁ δὲ κεκαθαρμένος, τε καὶ τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος, μετὰ θεῶν οἰκήσει*. Quæ ſic vertit Marſilius Ficinus: „ Et qui MYSTERIA NOBIS CONSTITUERUNT, minime contemnendi videntur, ſed revera JAMDUDUM occulte nos admonere, quicumque non expiatus, neque initiatus ibit ad inferos, eum jacere in luto; quicumque vero PURGATUS, atque initiatus ILLUC ACCESSERIT, cum diis habitare [2] „ *inferis* nempe. Rurſum, *λέγεται ὡς ἄρα τελευτήσαντα ἕκαςον, ὁ ἑκάςου δαίμων ὅσπερ ζῶντα εἰλή-*

1 Vide, ſi licet, Nicolai Johannis Lethi *Diſſert. de Scheol. ad Pſ.* xvi. *v.* 10. *pag.* 551. *ſeq.* qui & Platonis, & aliorum perplura collegit ſcriptorum græcorum loca. *Tom.* 1. *Theſauri Diſſert. Theolog. Philolog.*

2 Plato *in Phædone pag.* 80. *edit, opp, Francoford. an.* 1602.

εἰλήχει οὗτος ἄγειν ἐπιχειρεῖ εἰς δή τινα τόπον, ὅς δεῖ τοὺς ξυλλεγέντας διαδικασαμένους εἰς ᾅδου πορεύεσθαι. „ Ferunt quemlibet hinc illuc emigrantem ; ab eo dæmo- „ ne, quem vivens ſortitus fuerat, in locum quemdam „ duci, ubi oporteat omnes una collectos judicari, ac „ deinde ad inferos proficiſci [1] „. Hinc *Inferiarum* [2] vocabulum petitum eſt, quæ ſacrificia erant dis manibus inlata ab ethnicis, propterea quod mortuorum animas in inferis manere ethnici ipſi non Græci ſolum, ſed etiam Romani judicarent. Atque hæc omnium fere gentium idololatrarum ſententia fuit ex traditione ſcilicet Noachica orta, de locis animarum peccati Adæ cauſſa in inferis conſtitutarum, quoad veniſſet Salvator: quæ traditio etſi ab ethnicis ipſis vitiata [4] multis partibus fuerit, tamen veſtigia quædam apud eos retinuit veritatis, non vero, ut (vanis fictiſque opinionibus evenit) extabuit diuturnitate.

Quamobrem liceat mihi Auguſtinum ſequuto, cum ſequor Thomam, liceat, inquam, mihi de Ethnicis dicere, quod Auguſtinus adverſus Julianum (poſteaquam Scripturæ, Patrum [3], Eccleſiæque auctoritate de originali peccato egit) de ethnicis iiſdem ſcripſit [4] : „ Videntur non fruſtra (*ethnici*) Chriſtianæ fidei pro- „ pinquaſſe, qui vitam iſtam fallaciæ, miſeriæque ple- „ niſſimam non opinati ſunt, niſi divino judicio conti- „ giſſe; tribuentes utique juſtitiam conditori, a quo „ factus eſt, & adminiſtratur hic mundus. Quanto ergo „ TE MELIUS, VERITATIQUE VICINIUS ea (*de lo-* „ *cis animarum*) ſenſerunt, quæ (*Plato veterum, ut ait,* „ *ſen-*

1 Confer Pitiſcum Lexici *Antiquit. ad v. Inferia pag* 957. *edit. Leovard. an.* 1713.

2 Hinc tot ortæ, tamque inter ſe variæ virorum doctorum in explicanda de inferis Græcorum, Romanorumque Ethnicorum doctrina. Confer ſi licet *Joh. Windeti opuſculum de vita Functorum ſtatu ſect.* VIII. *pag* 102. *ſeq ſect.* VIII. *p.* 152. *P.* IV. *Faſciculi Opuſculorum edit. Roterod an.* 1694. Tobiam Pfannerum Syſtem. *Theolog. Gentil. cap.* XXI. *pag.* 460. *ſeq. edit Baſil. an.* 1679. Vide præterea e noſtris Petrum Danielem Huetium Epiſc. Abrincenſem *lib.* II. *de Concord. Rationis, & Fidei cap.* XXIV. *pag.* 236. *ſeq. edit. Francofurt. an.* 1719.

3 Auguſtinus *lib.* I. *contra Julianum cap.* VII. *n.* 29. *ſeq. pag.* 339. *ſeq. tom.* X. *edit. Amſtelod. an.* 1700.

4 *Ibid. lib.* V. *cap.* XV. *num.* 78. *pag.* 413.

„ *ſententia*)[1] ductus , compulſuſque commemorat? De rationum Theologicarum momentis , quibus doctrina communis noſtra demonſtratur , dicerem hic equidem ex inſtituto, niſi ſparſim toto fere ſecundo libro dixiſſem. Atque ita quidem huic operi impoſitus finis eſto. Norint autem lectores, eſſe mihi pæne innumerabilia ſcriptorum non chriſtianorum ſolum, ſed etiam judæorum, atque ethnicorum teſtimonia in promtu, quæ afferam deinceps, ſi ratio poſtulaverit.

„ Tum ſi quis eſt, qui dictum in ſe inclementius
„ Exiſtimavit eſſe; ſic exiſtimet,
„ Reſponſum, non dictum eſſe, quia læſit prior [2].

Non autem me læſit, ſed cœtus omnes orthodoxorum. Quod ſi quis erit, qui libris, epiſtolis, nunciiſve litterariis contra me ſcribere inſtituerit, is ſciat, eſſe illi me libris, epiſtolis, nunciis denique litterariis cumulate ſatisfacturum. Sin autem verbis egerit, eum moneo, ne me eſſe ipſi reſponſurum ſperet. Nam placuit mihi ſemper amuleto veteri a Montfaucono (*in Antiquitatibus Explicatis tom.* III. *Suppl. Tab.* LXV) exhibito inſcripta ſententia: *Dicunt, quæ volunt; dicant; nihil refert mea*: cujus nos amuleti ſchema (*pag. ſeq.*) adverſariis noſtris ad conſiderandum proponimus.

1 Auguſtinus *lib.* IV. (*non* V.) *pag. eadem, de hominum generatione* agit, Ciceronemque laudat, ſcribitque hoc modo: » quanto ergo melius, veritatique vicinius » (*ethnici*) DE HOMINUM GENERATIONE ſenſerunt, quod Cicero, in extre» mis partibus Hortenſii Dialogi, velut ipſa rerum evidentia ductus, compulſuſque » commemorat „. Nos vero argumento noſtro inſervientes, pro τῷ *de hominum generatione* poſuimus τὸ *de locis animarum*, & pro τοῦ *Cicero* &c. ad rem noſtram uſurpavimus τὸ *Plato Veterum*, *ut ipſe ait*, *ſententia*.
2 Terentius *in Prologo Eun. v.* 4. *ſeq.*

FINIS

tttttt


ΛΕΓΟΥCΙΝ
ΑΘΕΛΟΥCΙΝ
ΛΕΓΕΤΩCΑΝ
ΟΥΜΕΛΕΙΜΟΙ

SYNOPSIS
TOTIUS OPERIS

ETSI non poſt multo, quam ab Johanne Cadonico publicatum opus *Vindiciarum Auguſtinianarum* fuit (publicatum autem fuit an. 1747) certior factus ab amicis fuiſſem, id eum eniti, atque contendere, ut vetus, communiſque orthodoxorum omnium, de *Piorum Veteris Teſtamenti animabus, ante Chriſtum, expertibus beatæ viſionis Dei*, ſententia labefactaretur; tamen quod & multis, gravibuſque ſtudiis diſtentus eſſem, & non eſſe virum intelligerem auctoritate tanta, ut ex eo quidquam eſſet damni pertimeſcendum; malui equidem ea perſequi, de quibus jamdiu cœperam non inutiliter fortaſſe ſcribere, quam in eo dogmate refellendo verſari, quod plane confidebam fore, ut non modo non ſerperet latius, ſed ipſum etiam propter novitatem in ortu pæne ſuo extingueretur. Non enim animadverteram, eam eſſe temporum iniquitatem, nihil ut ſit levis, inanis, falſi, alieni denique a communi ſenſu, quod multis, modo ſit novum, non placeat. Sed cum experiundo cognoſſem, deceptum fuiſſe me, idque dogmatis genus(ob illam ipſam, propter quam brevi opprimendum ſperaram, novitatem) eo progreſſum comperiſſem, ut patronos jam nactum vehementes eſſet, qui illud non modo in Seminariis traderent adoleſcentibus, ſed publice etiam defenderent, eoſque, qui contra mutire fuiſſent auſi, voce, ſcriptoque conviciis inſectarentur; accepiſſemque, illos, qui primi doctrinæ communis patrocinium ſuſcepiſſent, tardiores eſſe ad hanc propugnandam factos contumeliarum metu; indeque vereri cœpiſſem, ne, ſi reſiſteret nemo, liberius opinionis novæ adſertores agerent, multoque plures

etiam e plebe catholici ab ſententia deterrerentur, quam in Chriſti Eccleſia didiciſſent jam inde a ſuorum rudimentorum temporibus, eo demum ante hos fere viginti menſes ratione, Auguſtini exemplo [1], hortatu multorum, quorum crebris ex Inſubria, e Venetis, ex Sicilia, ex Germania quoque litteris pulſabar, adductus ſum, ut ſtudia ad hoc controverſiæ genus converterem, ac Dei adjutorio fretus, non differendo privatim modo, ſed etiam ſcribendo publice & veterem, latiſſimeque patentem doctrinam tuerer;& refellerem, atque expugnarem novam.

1. Itaque opus ſum aggreſſus, quod Appendicis loco addere volumini *Antiquitatum Chriſtianarum* ſexto initio conſtitueram. Sed cum ſcribendo ubertas ſe mihi incredibilis rerum opportuniſſimarum, & copia obtuliſſet, quæ coerceri anguſtis brevis Appendicis finibus nullo modo poſſet; mutavi conſilium, opuſque ipſum diſtribui non in Libros modo, ſed etiam in Tomos duos, quorum altero communem, ut dixi, orthodoxorum omnium doctrinam Majorum, Eccleſiæque univerſæ auctoritate conſtabilirem; altero autem argumenta, quibus Cadonicus, quique ei aſſenſi fuerant, tenebras clariſſimæ veritati, nocteſque obducere ſunt conati, diſſolverem.

2. Atque opus quidem ſic eſſe inſcribendum duxi: *De juſtorum Veteris Teſtamenti animabus in ſinu Abrahæ, ante Chriſtum, expertibus beatæ viſionis Dei*. Jam vero priorem librum,

1 S. Auguſt. *lib.* III. *de Peccat. Meritis, & Remiſſ. cap.* VI. *n.* 12. *pag.* 52. *tom.* X. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. » Doctiſſimum virum (Hieronymum) *inquit*, ſi facile interrogare poſſemus, quam multos utriuſque linguæ Divinarum Scripturarum prædicatores, & Chriſtianarum diſputationum Scriptores commemoraret, qui non aliud, ex quo Chriſti Eccleſia eſt conſtituta, ſenſerunt, non aliud a Majoribus acceperunt, non aliud poſteris tradiderunt? Unde nobis hoc negotium repente emerſerit, neſcio. Nam ante parvum tempus a quibuſdam tranſitorie colloquentibus, curſim mihi aures perſtrictæ ſunt... Qua NOVITATE PERMOTUS, ET QUIA OPPORTUNUM NON FUIT, UT CONTRA ALIQUID DICEREM; ET NON TALES HOMINES ERANT, DE QUORUM ESSEM AUCTORITATE SOLLICITUS, FACILE HOC IN TRANSACTIS, ATQUE ABOLITIS HABUI: ET ECCE (CONTRA ECCLESIAM) JAM STUDIO FLAMMANTE DEFENDITUR: ECCE SCRIBENDO ETIAM MEMORIÆ COMMENDATUR: ECCE RES IN HOC DISCRIMINIS ADDUCITUR, UT HINC ETIAM A FRATRIBUS CONSULAMUR: ECCE CONTRA DISPUTARE, ATQUE SCRIBERE COGIMUR.

librum, quo *animas Sanctorum hominum Veteris Teſtamenti, ante Chriſti mortem, expertes fuiſſe intuitivæ viſionis Dei, ex Doctrina Eccleſiæ Catholicæ ubique, ab omnibus, ſemper agnita, ſuſcepta, univerſiſque chriſtianis ad tenendum propoſita, demonſtratur*, in capita dividendum cenſui omnino ſeptem. Horum eſt primum de re, quæ tractanda ſuſcepta eſt, deque rei ejuſdem accuratius tractandæ cauſſis. Jam vero de re ipſa §.1. *p*.9. *ſeq.* cum paucis abſolviſſem dicere, deſcendi §. 2. ad cauſſas, quæ me, ut de ea copioſe differerem, impulerunt. Atque a *p*.10. *ad* 103. quæ opuſcula ab Cadonico, quæque ab aliis contra communem catholicorum ſententiam ſcripta fuerint, quam ſint ea multarum rerum, quam gravium, quam a vera Eccleſiæ doctrina alienarum plena, indicavi, eaſdemque res, ut monere ratio videbatur, quam potui breviſſime, refellendo ſum perſequutus. Harum ego ſeriem dedi *p*. 107. *ſeqq*.

Non enim ſolum Cadonicus, ejuſque vindices id, quod paſſim hoc opere diſpuli, ſtatuunt:

1. Sanctorum Veteris Teſtamenti animas, ante Chriſti Servatoris deſcenſum ad inferos, beatas fuiſſe viſione Dei; ſed etiam Cadonicus idem contendit:

2. Doctrinam, qua Eccleſia ubique gentium ſuis Catechiſmis neophytos, pueroſque inſtituit, quæque eſt de animabus iiſdem Sanctorum Veteris Teſtamenti, Chriſti deſcenſu, ereptis ex inferis, auctiſque beatitate conſiſtente in viſione Dei, doctrinam hanc, inquam, INVENTUM eſſe MANICHÆORUM; ſuam vero contra opinionem, quæ oppoſita communi eidem doctrinæ eſt, fuiſſe ab Auguſtino IN FACIE ECCLESIÆ adverſus MANICHÆOS, PELAGIANOSQUE adſertam. Vide *hujus operis p*.652. *in not*. & *p*.840. *ſeqq*. & *p*.107. *not*.1.

3. Angelos PROPRIIS eſſe INSTRUCTOS CORPORIBUS (*ibid. pag*. 17.) iiſque ORGANICIS (*ibid. p*. 107. *not*. 3.), & in hoc genere dogmatis inſtitui oportere chri-

chriſtianam plebem, ut HOMINES RECTIUS COGITARE ASSUESCANT DE ANIMÆ SUÆ NATURA (*ibid. pag.* 106. *in not. &* 107. *not.* 4.)

4. Angelos, qui ſeſe viſendos Abrahæ exhibuerunt, vere manducaſſe (*ibid. pag.* 24. *n.* 2 *& pag.* 25. *ſeq.*)

5. Poſt reſurrectionem ſenſum guſtus FORTASSE eſſe intermittendum (*ibid. pag.* 24. *not.* 2. *& pag.* 25. *ſeq.*)

6. Indifferentem etiamnum eſſe Millenariorum ſententiam (*ibid. p.* 26. *not.* 2. *& p.* 28. *in not. & p.* 30. *in not.*) Hanc enim ſententiam eruditionis cauſſam non excedere. Quamobrem licere nobis mille annorum tueri regnum, dummodo concedamus fore, ut Sancti cum Chriſto in terris regnaturi viſione Dei fruantur (*ibid. pag.* 27. *ſeq. & pag.* 30. *in not.*)

7. Negari ab eo, qui *ſobrius ſit*, non poſſe, fas etiam nunc eſſe, putare, juſtos mille annorum intervallo antea reſurrecturos, quam reprobi excitentur e mortuis (*ibid. pag.* 27. *ſeqq. in not.*) deliciiſque corporalibus gaviſuros (*ibid. pag.* 25. *in not.*) quæ deliciæ ideo appellatæ *ſpiritales* ab Auguſtino fuerint, non quod is reipſa eas *ſpiritales* futuras, ſed quod referendas in Deum arbitraretur.

8. Deſipere eos, qui juſtis ſpiritibus NULLI CULPÆ OBNOXIIS hinc decedentibus non ſtatim concedi ſtatuant beatitatem conſiſtentem in viſione beata Dei [1]. Qua ex propoſitione tam late patenti ſequitur, non agnoſci ab Cadonico, cujus ea ſententia eſt, in ullo, qui juſtificatus ſit, reatum temporariæ pœnæ luendæ poſt mortem [2]; id quod cum decretis Synodi Tridentinæ pugnat [3].

9. *Juſtitiam* animarum, quæ corporibus ſolutæ, non ſtatim, ob reatum pendendæ temporariæ pœnæ, intueantur Deum, non eſſe *juſtitiam Evangelicam* [4].

10. Jo-

1 Vide, quæ ſcripſi *pag.* 35. *not.* 1. *& p.* 41. *in not.*
2 Vide *hujus operis pag.* 962. *ſeqq. & p.* 976. *ſeqq.*
3 Confer *hujus operis pag.* 975. *ſq. not.* 2.
4 Confer *p.* 41. *hujus operis in not.*

10. Johannem XXII. *haud abſonum*, hoc eſt non improbabilem eorum errorem putaſſe, qui differendam arbitrabantur Sanctis viſionem Dei ad judicii poſtremum diem [1]. Jam vero hunc errorem ſic fuiſſe jam uſque a ſeculo IV. damnatum, ut *e noſtris*, ideſt e catholicorum numero haberi non potuerint ii, qui eum defendere, aut de eo dubitare fuiſſent auſi [2]. Qua ex re eſt conſequens, Johannem XXII. haberi nequiviſſe *e noſtris*, adeoque ne Pontificem quidem haberi potuiſſe.

11. Damnatorum animas non eſſe pœna ſenſus torquendas ante judicii diem [3].

12. INUTILITER *a ſolo timore gehennæ ignis concuti chriſtianorum corda in ſacramento pœnitentiæ, dum noverint, hanc materialem pœnam, non debili fortaſſe fundamento, in ſeculorum finem peccatoribus eſſe dilatam* [4].

13. Ideo ab ſe inſtitutam eſſe de ignis ſupplicio ad judicii diem differendo diſputationem [5], ut homines, *qui nondum valuerint, ſpiritualibus aſſueſcant pœnis contemplandis, atque duriſſimam damnatorum anguſtiam in pœna damni, licet numquam exterior pœna ignis eſſet acceſſura, probe percipiant*. Quaſi vero conſideratio pœnæ ſenſus, quam tamen conſiderationem a Chriſto inculcatam in Evangelio fuiſſe legimus [6], impedimento ſit, quin *fideles* ſpiritalibus pœnis contemplandis aſſueſcant.

14. *Quare donec ſeculi finis perveniat, ob* HUJUS (nempe *ignis*, ſeu *pœnæ ſenſus*) TORMENTI DEFECTUM, *deſiſtendum non eſſe explicare* populo Chriſtiano per damni pœnam *infeliciſſimam ſortem damnatorum* [7], *ut homines rectius aſſueſcant cogitare de animæ ſuæ natura*. Scilicet, Cadonici ſententia, *non aſſueſcunt homines rectius cogitare de animæ ſuæ natura*, ſi eis explicetur *damnatorum*

1 Vide *pag. hujus operis* 110. *num* 18.
2 Vide *hujus operis pag.* 89. *ſeq.*
3 Vide *hujus operis* p. 92. 93. *ſqq. in not. & pag.* 98. *not.* 2. & 3.
4 Confer *hujus operis pag.* 99.
5 Vide *pag.* 110. *hujus operis num.* 21. *not.* 5.
6 Vide, quæ ſcripſi *p.* 103. *hujus operis not.* 1. & *p.* 100. *not.* 1. *ſqq.*
7 Confer, quæ *dixi pag.* 98. *hujus operis not.* 4.

torum ſors infeliciſſima etiam per *ſenſus pœnam*. Id vero quis non videat cum Sanctorum, Chriſtique ipſius documentis pugnare [1]?

15. Dæmonum, qui in caliginoſo aere ſunt, pœnam minorem eſſe eorum cruciatu, qui alligati igni ſunt, SI hæc alligatio verum ipſis, *ſenſibileque tormentum aliquando ſit allatura* [2]. Nempe τῷ SI conditione in dubium revocat Cadonicus, num mali dæmones *ſenſibile* ſint aliquando paſſuri *tormentum*; eoque id in dubium revocat, quod, ſi Angeli vacent corporibus, percipere ipſe nequeat, quomodo ſpiritus pati a corpore quidquam poſſit.

16. Si Angeli carerent corpore natura unito ſibi, non ignis, neque alterius generis tormentum aut eos experiri, aut fore, ut ipſi umquam experiantur, quam *phantaſiæ* (quaſi *phantaſia* inſtructi ſint, qui vacant corpore) & apprehenſionis. *Nulla* enim *meditatione aſſequi nos poſſe, quomodo ſpiritus nullis partibus conſtans quidquam pati queat a corpore* [3].

17. Scire debere *prudentes*, ac *rectos Magiſtros*, non per umbras corporum cruciatus ſenſus peccatoribus ad conſiderandum proponi oportere, ſed per meditationem pœnæ damni, ſpiritualiumque rerum, ut recto tramite perducantur ad legitimam ſuorum criminum pœnitentiam [4]. Qua ex re ſequitur, non admodum prudentes, neque tam rectos Magiſtros fuiſſe Sanctos Patres, immo vero ne Chriſtum quidem ipſum, qui commemoratione gehennæ ignis &c. ad pœnitentiam peccatores incitandos judicarunt.

18. *Pauciſſimos inveniri, idque eſſe* DEFLENDUM, *qui de inferni tormentis apud populum loquuturi, non iis præcipue immorentur, quæ ignis ſenſum, & actionem auditorum mentibus infigere valent* [5].

19. Quod

1 Revocanda huc ſunt, quæ animadverti *p.*100. *ſqq. hujus operis not.* 1. *ſqq.*
2 Vide *pag* 111. *hujus operis not* 3. & *pag* 110. *not.* 5.
3 Confer quæ dixi *pag hujus operis* 103. *not.*1.
4 Vide quæ ſcripſi *p.*104. *in not.* & *pag.* 100. *not.* 5. *hujus operis*.
5 Confer, quæ ſcripſi *pag.* 105. *in not.*

19. Quod Synodi œcumenicæ auctoritate damnatum non fuerit, defendi libere poſſe [1].

Ita Cadonicus univerſe ſtatuere videtur, adeo ut ne eas quidem excipiat opiniones, quæ, etſi ab Synodis œcumenicis damnatæ non fuerint (quod accuſatæ, propoſitæque ipſis ad expendendum non fuiſſent) tamen reipſa ab omnibus orthodoxis ubique gentium rejiciuntur. Atque deſcriptæ quidem hactenus propoſitiones Cadonicianæ ſunt. Quæ mox ſequuntur tres, Feltrio ſunt acceptæ referendæ, qui adjutor Cadonici, ac vindex venit.

20. Quod Eccleſiæ judicio definitum non ſit, ad fidem non pertinere [2].

21. *Unum, alterumve Eccleſiæ Doctorem* DETRIMENTO *eſſe poſſe* VETERI, PERENNIQUE ECCLESIÆ TRADITIONI [3].

22. Niſi omnium omnino Doctorum clara, & aperta eadem de re ſint teſtimonia, rem ipſam ad traditionem minime pertinere [4].

Quæ mox ſequuntur propoſitiones duæ, Anonymi ſunt, qui ſex epiſtolis italice ſcriptis, Venetiiſque an. 1763. editis Cadonici, Feltriique ſuſcepit defenſionem.

23. Etſi in Confeſſione Fidei ab Synodo Forojulienſi propoſita (*immo etſi in Evangelio*) ſcriptum explicate eſt, Chriſtum extremo mortalis ſuæ vitæ tempore fuiſſe felle, & aceto potatum, id tamen non ſpectare ad fidei veritatem [5].

24. Quamvis in Leporii libello, cui S. Auguſtinus, atque aliquot alii Africani Epiſcopi ſubſcripſere, anathema dicatur ei, qui audeat dicere, Chriſtum, ut hominem, ignoraſſe judicii diem; tamen CATHOLI-

uuuuuu CIS-

1 Vide, quæ ſunt a me diſputata *pag. 15. hujus operis not. 3. & pag. 91. ſeq.*
2 Vide, quæ ſcripſi *pag. 45. ſeq. hujus operis*.
3 Conſule, quæ ſcripſi *p. 45. ſeq. hujuſce operis*.
4 Confer, quæ *ibid.* diſputavi, *p. 46. not. 2. & p. 62. not. 2.*
5 Confer, quæ ſcripſi *p. 63. hujus operis not. 1.*

CISSIMAM *ſententiam* eſſe, Chriſtum ipſum, ut hominem, *ignoraſſe judicii* eumdem diem [1].

Quæ ſuccedunt propoſitiones duæ, Floriani Dalhami ſunt, cujus eſt lucubratiuncula inſcripta: *Hiſtoria quæſtionis, & votum*: præfixaque Cadoniciano operi *de D. Aur. Auguſtini, quæ videtur, ſententia &c.*

25. Ad Paradiſi, ſinuſque Abrahæ notionem informandam, nullum eſſe argumentum fortius auctoritate talmudis [2], judaici operis pleni ſuperſtitionis, & blaſphemiarum [3].

26. Dionyſium Areopagitam, qui a Paulo Apoſtolo ad chriſtianæ religionis cultum adductus fuit, *a ſuis popularibus* (qui certe ethnici tunc, imbutique inanium Deorum ſuperſtitione erant) didiciſſe, quid ſit de paradiſo, ſinuque Abrahæ ſentiendum [4].

3. Cauſſis, quæ me ad ſcribendum compulerant, explicatis, expugnanda mihi præcipua ratio adverſariorum fuit, qua freti, fas ſibi eſſe putant repellere communem ſententiam orthodoxorum de juſtis V. T. ereptis a Chriſto ex inferis, auctiſque felicitate conſiſtente in viſione beata Dei.

1 Vide, quæ ſcripta a nobis fuere *p. 66. not.* 1. & *pag. 67. ſeq. hujus operis*.

2 Vide *p. 79. hujus operis. not.* 4.

3 Odo Tuſculanus Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Sec. XIII. in Gall. Legatus ad Innocentium IV. P. M. ſcribens, ut eſt in Cod. Biblioth. Sorbon. quem *cod.* laudat Jacobus Echardus *tom.* 1. *Scriptor. Ord. Præd. p.* 128. „ Noverit, *inquit*, *Sanctitas Veſtra, quod tempore felicis record. D. Gregorii Papæ* (IX) quidam converſus (*e judaiſmo*) Nicolaus nomine dicto Summo Pontifici intimavit, quod Judæi Legi veteri, quam Dominus per Moyſen in ſcriptis edidit, non contenti, immo prorſus eamdem prætermittentes, affirmant, legem aliam, quæ talmud, id eſt doctrina dicitur, Dominum edidiſſe, ac verbo Moſi traditam, & inſertam eorum mentibus, dicunt, tamdiu ſine ſcriptis ſervatam, donec quidam venerunt, quos Sapientes, & Scribas appellant, qui eam, ne per oblivionem a mentibus hominum laberetur, in ſcripturam, cujus volumen in immenſum excedit textum Bibliæ, redegerunt; in qua tot ABUSIONES, & tot NEFARIA continentur, quod PUDORI referentibus, & audientibus ſint HORRORI; & hanc eſſe cauſam præcipuam, quæ Judæos in ſua perfidia retinet obſtinatos. His auditis placuit Summo Pontifici ſcribere univerſis Archiepiſcopis per Regnum Franciæ conſtitutis &c. » Deſcribit mox Odo Gregorii Litteras ad eos Archiepiſcopos, itemque ad Archiepiſcopos in Regnis Angliæ, Caſtellæ, Legionum, & ad Reges Franciæ, Angliæ, Aragoniæ, Caſtellæ, Legionum, Portugalliæ, Navarræ &c. quibus eis *mandat, ut univerſos libros judæorum capi, & apud Fratres Prædicatores, vel Minores faciant fideliter conſervari &c.* Sed omnia Pontificum Maximorum, Synodorumque hac de re decreta perſequi longum eſt.

4 Vide quæ ſcripſi *p. 82. ſeq. hujus operis in not.*

Dei. Itaque cum eorum hanc eſſe rationem præcipuam communis ejuſdem ſententiæ refellendæ animadvertiſſem, quod nondum hæc ſit judicio Eccleſiæ definita; caput alterum inſtitui, tribuſque paragraphis (a p. 114. ad p. 206.) plane ad veritatem oſtendi: primo, quod Eccleſia aut determinando ſignificationem alicujus articuli Symbolo comprehenſi; aut interpretando ejuſdem articuli ſenſum, ubique terrarum docet, id certe ad doctrinam fidei pertinere: ſecundo, eorum, qui (præter dogmata ab Eccleſia, inſtituto judicio, definita) nihil quidquam ad fidei doctrinam ſpectare ſtatuunt, eorum, inquam, magnis eſſe in erratis ſententiam: tertio, labi eos, qui liberam ſibi, integramque poteſtatem eſſe quidvis defendendi putant, quod ab Synodo quapiam œcumenica hæreſeos damnatum non fuerit: quaſi vero inter hæreticam ab Synodis œcumenicis damnatam, probabilemque opinionem media nulla ſit cenſura digna ſententia.

4. His rebus omnibus Scripturæ, Patrum, Theologorum, uno verbo Eccleſiæ univerſæ conſenſione firmatis, cum jam ratio moneret, ut ad inſtitutam contra Cadonicum, ejuſque vindices diſputationem deſcenderem; caput tertium ſum aggreſſus, quo quidem capite oſtendi: *conſenſione Eccleſiæ univerſæ quinti articuli Symboli Apoſtolici ſenſum aut interpretantis, aut determinantis* effici, doctrinam eſſe religionis, *Sanctorum Veteris Teſtamenti animas ante Chriſti mortem expertes fuiſſe beatificæ viſionis Dei*.

Id vero non meo arbitratu, ſed Theologos, qui *rem* id *fidei* dicerent, Catechiſmumque Romanum ipſum eam, quam tuemur, ſententiam MYSTERIUM appellantem ſequutus dixi. MYSTERIUM enim ſententiam eſſe non pertinentem ad fidei doctrinam, cogitare qui tandem poſſumus? Quod ſi hujus libri tanta auctoritate fretus, Theologoſque præſtantiſſimos, ut monui, conſectatus ad doctrinam id *fidei* pertinere animadverti; quo tamen pertineat

modo, ſcribendum non putavi ; neque, recta ne, an oblique doctrinam fidei adverſariorum opinio impetat, dicendum ; neque opinionem eamdem ulla cenſura notandam duxi, ne quid mihi aſſumſiſſe, quod mei non eſſet muneris, viderer [1].

Eſt autem is, qui de Eccleſiæ univerſæ, ſeu de fidei doctrina eſt, multis a me paragraphis explicatus locus. Nam quum apud Euſebium Cæſarienſem *in Hiſtoria* legiſſem, Hegeſippum ſcriptorem ſecundi ſeculi ſane illuſtrem iter Romam inſtituiſſe; eoque in itinere, ut ad quamque urbem diverterat, ab Epiſcopis, quid de capitibus quibuſdam doctrinæ ſentirent, quæſiſſe; omneſque in eaſdem ſententias conſpirare comperiſſe; intellexiſſeque, eam quemque doctrinam ſequi oportere, quæ ἐν ἑκάστῃ διαδοχῇ, καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει, καὶ οἱ προφῆται, καὶ ὁ κύριος: *in qualibet ſucceſſione, & qualibet urbe ſic habet, ut Lex prædicat, & Prophetæ, & Dominus*; cum, inquam, ſic de Hegeſippo legiſſem, ejus exemplum, ut quidem poteram, imitatus, Eccleſias omnes animo peragravi, quodque iter cogitatione ſuſceperam, deſcripſi perinde, ac ſi illud revera confeciſſem. Cumque inveſtigandæ doctrinæ Eccleſiarum nulla ſit ratione conſulendorum Decretorum [2] earumdem Eccleſiarum, Catechiſmorumque [3] methodus potior, quibus quidem Catechiſmis vel pueri ipſi, neophytique rudimentis, hoc eſt primis, præcipuiſque religionis dogmatibus excoluntur; Romæ equidem agens ab Eccleſiæ Romanæ Matris, Magiſtræque omnium Eccleſiarum, ſeu ab Sedis Apo-

1 Vide *p.* 107. *hujus operis*.

2 Id quidem per ſeſe manifeſtum eſt.

3 S. Auguſtinus Pelagianos refellens ad ea confugit, quæ noſtri didicerint in Eccleſia ſuorum *Rudimentorum temporibus*. Vide *p.* 210. *not.* 1. Fratres Wallemburgici Epiſcopi, iidemque Tractatores doctiſſimi Controverſiarum de religione *Tract.* III. *de Articulis neceſſariis Sect.* XVII. *num.* 1. *ſeq. p.* 30. „ Ex Fide Catholica certum eſt, *inquiunt*, omnibus, & ſingulis fidelibus proponi ab Eccleſia Catholica quidquid eſt neceſſarium ad ſalutem. Patet ex praxi univerſalis Eccleſiæ. Nec enim aliunde conſtare poteſt. ECCLESIA proponit ſimplicibus Catechiſmos ordinarios, & ſemper tenuit, iis comprehendi doctrinam ad ſalutem neceſſariam „. Vide *p.* 211. *hujus operis*.

Apoſtolicæ Conſtitutionibus, Catechiſmiſque producendis putavi initium eſſe ducendum.

Itaque §. 1. (*a pag.* 212. *ad* 230.) Conſtitutionis Dogmaticæ Benedicti XII. P. M. expenſo loco, qui ſic habet: „ AUCTORITATE APOSTOLICA DEFINI- „ MUS, quod ſecundum communem Dei ordinationem, „ ANIMÆ Sanctorum OMNIUM, qui de hoc mundo, „ ANTE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI PAS- „ SIONEM, DECESSERUNT &c. . . . . . . POST „ DOMINI JESU CHRISTI PASSIONEM, ET MOR- „ TEM VIDERUNT, ET VIDENT DIVINAM ESSEN- „ TIAM VISIONE INTUITIVA, ET ETIAM FACIA- „ LI „: ſermonem *a pag.* 230. ad 251. in primiſque *p.* 235. *ſeqq.* de Catechiſmo Romano inſtitui, qui ipſe eſt Tridentini Concilii, Sediſque Apoſtolicæ Catechiſmus Parochis a tot Pontificibus Maximis, præcipue autem a Pio V. & Clem.XIII. ad tradendum, atque ad explicandum propoſitus chriſtianæ plebi, quo in Catechiſmo Romano id genus doctrinæ in MYSTERIIS numerarur; deindeque Cadonicum, qui neſcio quæ pugnantia [1] eodem Catechiſmo contineri ſtatuit, refutavi. Inde mox de Catechiſmo Bellarminiano dixi a tot Pontificibus [2] Maximis expenſo, probato, propoſito chriſtianæ plebi ad diſcendum, commendato Epiſcopis, ut eum tradi pueris curent, & ſi quem alium tradi velint, caveant, ut in eo (ne qua ſit in rebus religionis tradendis diverſitas) ita ſint explicata Chriſtianæ doctrinæ capita, quemadmodum in eodem Bellarmini Catechiſmo explicantur: qua ex re fit, ut quod is docet, id Pontifices Maximi doceant [3], docerique populum

1 Pugnare namque Cadonicus arbitratur, ut in requie quiſquam ſit, qui ſit in mœrore aliquo, ac dolore. Quam vero id non repugnet, oſtendimus *p.* 248. *ſeq.*

2 Confer, quæ ſcripſi *p.* 248. *ſeq.*

3 Cælestinus I. Pontifex Maximus *Epiſt. ad Epiſcop. Galliar. cap.* III. *num.* 4. *p.* 1189. *ſententias* quaſdam, inquit „ (Africanorum Conciliorum) UTIQUE „ SUAS FECERUNT *Apoſtolici Antiſtites*, CUM PROBARUNT „. *To.* 1. *Epiſtolar. Rom. Pont. Edit. Pariſ. an.* 1721. Vide etiam *pag.* 253. *hujus Operis not.* 1. eadem de re Bonifacii VIII. locum.

pulum velint. Atque hujus quidem Catechiſmi auctoritate communis doctrinæ in eo adSymboli modum his verbis comprehenſæ [1], *Io credo &c.* (quod non fit, niſi dum agitur de articulis fidei) INDUBIAM [2] veritatem confirmavi. PoſtCatechiſmis ceteris publicatisRomæ, idemque continentibus numeratis [3], cogitationeque inde totius Italiæ, & Galliarum § . II. [4] deincepſque Hiſpaniarum (e quibus de ſententia item orthodoxorum Americanorum cognovi) § . III. [5], Hiberniæ quoque, Britanniæ, Belgii § . IV. [6], Germaniæ, Bohemiæ, Pannoniæ, Walachiæ, Serviæ § . IV. [7], Poloniæ, Ruthenorum, Reipublicæ Raguſinorum, Epiri, Græciæ § . VI. [8], Syrorum, Chaldæorum, Armenorum, Georgianorum, Malabarum, Perſarum, Cocincinenſium, Tunkinenſium, Sinenſium, Japoniorum, quæ fuerunt § . VII. [9], Æthiopum, Angollenſium, Congenſium, ceterarumque gentium Africæ § . VIII. [10] Eccleſiis perluſtratis, ex Catechiſmis, quos Synodicis ipſæ decretis probarent, proponerentque populo ut ad diſcendum, ſic etiam ad tenendum, ſummam omnium comperi ad unam eſſe, eamdemque doctrinam conſpirationem. Quam quidem conſenſionem eo etiam ſpectare animadverti, ut ea ſententia præcipuorum doctrinæ capitum de religione numero habeatur. Eo itinere confecto cum plane perſpexiſſem, non doctis ſolum eam doctrinam proponi, ut indubiam, utque myſterium articulo Symboli quinto comprehenſum; ſed imperitis etiam, ſupremoque correptis morbo, pueris, neophytis, catechumenis ad tenendum; ſic mecum ſtatui: in rebus eam certiſſimis, quas nemini negare liceat, haberi oportere. Synodos autem perplurium Eccleſiarum non Diœceſanas modo, ſed etiam Provinciales, ac Regionales, ejus rei confirmandæ cauſſa, memoravi tre-

cen-

1 Vide hujus operis *p.* 254.
2 Vide, quæ ſcripſi *ibid. p.* 256. *ſeq.*
3 Vide *p* 262. *ſeq. hujus operis.*
4 A *p.* 264. *ad p.* 318.
5 A *p.* 318. *ad* 333.
6 A *p.* 333. *ad* 338.
7 A *p.* 338. *ad* 344.
8 A *p.* 345. *ad* 353.
9 A *p.* 353. *ad* 358.
10 *Pag.* 358. *ſeq.*

centas triginta, Catechiſmos ducentos. Suppetebant item alii perplures, ſed eos prætermiſi, quod viderem modum eſſe aliquando ejuſmodi monumentorum afferendorum faciendum mihi. Jam vero Eccleſias omnes ita populum chriſtianum ubique gentium docentes & errare ipſas, & populum in errorem in re doctrinæ illicere, niſi graviſſima ipſis inlata injuria, non dicam affirmare, ſed dubitare, aut etiam ſuſpicari quis poterit? Errarent autem ipſæ, populumque in errorem impellerent, ſi rem ad religionem minime pertinentem, dubiam, falſam pro certa, pro vera, pro myſterio, pro re articulo Symboli quinto contenta, *per Symboli etiam modum*, his verbis EGO CREDO &c. ad tenendum, confitendumque proponerent. Atqui proponunt ad tenendum, & confitendum (velut ex earum Catechiſmis, Synodis, Conſtitutionibus plane conſtat) uti rem veram, ut indubiam, ut myſterium, uti rem articulo Symboli quinto comprehenſam, Sanctos Veteris Teſtamenti ante Chriſti mortem expertes fuiſſe viſionis Dei; vel animarum eorumdem Sanctorum liberandarum cauſſa, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, quod idem eſt atque captivas eaſdem ante Chriſti ipſius mortem fuiſſe, eguiſſeque liberatore, quæ ſane captivitas cum beatitate conſiſtente in beata viſione Dei componi, niſi abſurde, non poteſt; quare Eccleſiæ ipſæ dum explicant, cujuſmodi ea fuerit liberatio, docent donatas tunc primum animas eaſdem fuiſſe viſione Dei. Cum igitur Eccleſiæ non errent, cumque id doceant, conſequens profecto erit, ut ea ſententia numero verarum, indubiarumque rerum, ac myſteriorum, quæ Symbolo continentur, neceſſario habeatur.

Conſenſione ſumma Eccleſiarum orthodoxarum omnium conſtabilita, poſt ubi paragraphis IX. ac X. (*a p. 359. ad 370.*) quæ ſit ejuſdem conſenſionis vis, atque ratio demonſtravi; ad ſ. undecimum deſcendi, atque pſeudo-eccleſiarum Hollandicarum, & Veſtfriſiacarum, Buceri quoque,

que, Burmanni, Johannis Gerardi, Chamieri, Wagenſeilii, Mareſii, aliorumque quorumdam hæreticorum (a *pag.* 370. *ad* 382.) teſtimoniis effeci, inane dogma, quod pſevdo-reformati ab ſe contra Romanam Eccleſiam defendi jactant, eodem omnino ac illud revolvi, atque recidere, quod nunc Cadoniciani in orthodoxorum rempublicam invehere conantur. Explicato inde ex parte una omnium catholicorum cœtuum ubique gentium conſtitutorum de doctrina, quam nos tuemur, conſenſu; exque altera propoſitis dogmate, argumentiſque novorum Proteſtantium, quod ipſum eſt dogma, quæque ipſa ſunt argumenta Cadonici, ejuſque patronorum, ſic addidi (*pag.*381.) „ Rogo, utri Cadonicus, Dalhamus, & Ca„ gliola „ (poteram etiam his adjungere Feltrium; nam de his quatuor adverſariis [1] qui ſint, quidque ſcripſerint, ante monueram) „ parti ſtudeant? Priori ne? Mi„ nime vero. Contra enim nituntur, quam poſſunt ma„ xime, ut eorum libri, opuſcula, theſes demonſtrant. „ Non ergo Eccleſiæ catholicæ aſſentiuntur. Sic eſt. Se„ quutur igitur turbarum, ſeu pſevdo-eccleſiarum Pro„ teſtantium inane dogma. Res ipſa clamat. Et id quiſ„ quam nobis æquo animo ferendum dicet „? His animadverſis rebus, cum nihiloſecius Auguſtini nomine, auctoritateque adverſarios (quod item Proteſtantes eadem ſentientes faciunt) abuti cernerem, paragraphum XII. inſtitui, quo ſane paragrapho oſtendi breviter, Cadonicianarum partium ſtudioſos (niſi documentis, quibus uſi ſumus, ſtandum omnino eſſe conceſſerint) neceſſe fore, ut ab Auguſtino contra Pelagianos differente diſſideant (*pag.* 383. *ſqq.*) Jam vero negari a nemine orthodoxo poſſe cognoram, conſenſionem Eccleſiarum catholicarum de re doctrinæ, argumentum eſſe a Chriſto per Apoſtolos,

1 De Cadunico, ejuſque libris, & epiſtola egi *p.* 10. *ſeq. & pag.* 36. *ſeq. &* 68. *ſeq.* de Feltrio *pag.* 44. *ſeq.* Epiſtolas ab Anonymo Venetiis an. 1763. editas ſex, de quibus egi pag. 17. ſeq. quaſque Feltrio adſcripſi, negat idem Feltrius eſſe ſuas. De Dalhamo diſſerui *pag.* 69. *ſeq.* De Cagliola denique *pag.* 379. *not.* 8.

ſtolos, Patreſque ad nos uſque manantis traditionis.

5. Quum hanc ad rem noſtram cœtus orthodoxorum omnes incredibili conſenſu conſpiraſſe demonſtraviſſem, conſtareque proinde judicaſſem, traditione eam a Chriſto ad nos permanaſſe; inveſtigandum mihi fuit, ecquid adverſarii contra ſtatuendum eſſe arbitrarentur. Cumque inquirendo comperiſſem, fuiſſe aliquos, qui doctrinam communem noſtram dogma eſſe populare, ideoque merito reſpui poſſe, defenderent, caput ſcripſi quartum, cujus priore paragrapho, Auguſtini (quo per ſummam injuriam patrono gloriantur) eos auctoritate compreſſi (*a p.* 393 *ad* 399.) cujus quidem Auguſtini, ut mittam cetera, hoc adverſus Julianum Pelagianum diſputantis effatum fuit: *Plebecularum, quas irrides, catervæ noverunt catholicam fidem &c.* (*pag.* 395. *ſqq.*)

Sed quoniam eo redigi adverſariorum eorumdem unum aliquem poſſe proſpexeram, ut doctrinam ipſam communem noſtram recentem eſſe, at invaluiſſe tamen, cœtuſque omnes occupaſſe contenderet, quo fere canon Feltrii revolvitur; *Paragrapho 2. ejus capitis*, non modo eum Feltrianum canonem disjeci [1], ſed etiam monui [2], proprium id eſſe Proteſtantium adverſus catholicos de Sacramento præſertim Euchariſtiæ diſputantium, ut hujus temporis Eccleſiam deſciviſſe a majorum doctrina, ſummaque conſenſione ad novum dogma tuendum conſpiraſſe, pugnent; moxque adjunxi, contra eos, qui hac in cauſſa reſponſo illo Proteſtantium uti vellent, ita me eſſe acturum, ut adverſus Proteſtantes ipſos actum eſt a Controverſiarum Catholicis tractatoribus. Quamobrem ſcirent, me, cui ſatis conſenſus Eccleſiarum eſt, de origine doctrinæ hujuſce communis noſtræ etſi diligenter quæſierim, ejus tamen primordiorum indicia inveniſſe nulla recentiora Apoſtolorum temporibus; itaque Auguſtini me regulam ſequutum, conſtituiſſe, doctrinam eamdem, quam tenet

1 *Pag.* 399. *ſeq. not.* 1.
2 *Pag.* 405.

Eccleſia, nec a Conciliis inſtituta eſt, *nonniſi auctoritate Apoſtolica traditam rectiſſime credi* [1]. Quod ſi recentiorem Adverſarii originem ejus deprehendiſſent, oſtenderent, quo eam exortam putarent tempore. Docerent igitur, num poſt XII. ſeculum excogitatam fuiſſe exiſtimarent? Verum meminiſſent, omnium eam fuiſſe communem jam uſque a primordiis Scholaſticorum, hoc eſt ab ſeculo ipſo duodecimo (§. III. *pag.* 406. *ſq.*). Neque vero ſperarent, ſi Theologos omnes, ſi Scripturar. Interpretes, ſi Catechetas, atque adeo Presbyteros, Epiſcopoſque, qui a duodecimo ſeculo floruerunt, *Scholaſticorum* appellarent nomine, eorumque auctoritatem (quaſi a dogmate Majorum receſſerint) poſthabere pergerent, futurum ut reprehenſionem effugerent. Nam id ſi facerent, fateri cogerentur, doctos quoſque laicos, & qui e Clero ſunt, univerſos, in primiſque Presbyteros, atque Epiſcopos, quos certe plebs audit, & conſectatur, adeoque univerſam Eccleſiam fuiſſe *Scholaſticam*, inque opinione cum Majorum doctrina pugnante, proindeque falſa fuiſſe verſatam (§. IV. *p.* 407. *ſqq.*). Quod ſane ſi, dum dicitur ab hæretico, indigne ferendum eſt, quanto, ſi dicatur a Catholico, ferendum erit indignius?

His animadverſis rebus Theologos, Controverſiarum Tractatores, Expoſitores Sacrorum Bibliorum, Catechetas &c. qui ſeculo hoc noſtro aut florent etiam, aut floruerunt (a p. 408. ad 413.) inde eos, qui XVII. [2] poſt eos, qui XVI. [3], deinde eos, qui XV. [4], mox eos, qui XIV. [5], deinceps eos, qui XIII. [6], poſtremo eos, qui XII. [7] ſeculo doctrinæ laude illuſtres fuerunt, numeravi, quique, diſſidente nemine, doctrinæ hoc caput, quod defendimus, adſeruerunt. Cumque Cadonicus, ut ne univer-
ſis

1 Vide *p.* 405. *hujus operis not.* 1.
2 *A p.* 413. *ad* 421.
3 *A p.* 421. *ad* 431.
4 *A p.* 431. *ad* 437.
5 *A p.* 437. *ad* 441.
6 *A p.* 441. *ad* 446.
7 *A p.* 446. *ad* 451.

ſis Theologis bellum indixiſſe videretur, Franciſcum Fevardentium inſignem ſeculi XVI. ex Inſtituto Minorum Scriptorem ſibi præſidio eſſe affirmaſſet, ejus ipſius Scriptoris verbis [1] convictus a me eſt, *μνημονικοῦ ἁμαρτήματος*, ſive *erroris memoriæ*, non voluntatis. Non enim committam, ut quod caſu Cadonicus fecerit, id per me videatur feciſſe conſulto. Sed perſpicua Fevardentii adverſus Calvinianos agentis ſententia eſt [2].

Præter Fevardentium, quem unum omnium Theologorum ſomniavit favere ſibi, quum Cadonicus nullum inveniſſet, qui non ipſi vehementer adverſaretur; primum, ſi univerſos *Scholaſticorum* appellaſſet nomine, ſperavit fore, ut eorum, ſi minus frangeret, at minueret ſaltem auctoritatem; deinde animadvertit, eos, etſi eſt ipſorum de limbo Patrum, deque Patribus ipſis ad Chriſti mortem expertibus viſionis Dei concors ſententia, de ceteris tamen (quæ ſunt de dolore, de triſtitia &c. quibus Patres tunc illi angerentur) inter ſe diſſidere. Eam ob rem *Capitis* IV. *Paragraphum* V. inſcripſi: *de exiſtimatione, auctoritateque Scholaſticorum*, demonſtravique (*a pag.* 462. *ad pag.* 494) primo, quam gravis ſit, quantique ſit habenda Scholaſticorum Theologorum de re doctrinæ conſenſio: ſecundo, eos nulla re diſſidere: tertio, ſi de rebus aliis diſſiderent, eorum tamen non impedituram diſſenſionem, quin certum ſit illud, quod omnes conſenſione ſumma ſtatuunt: quarto, ſi de ſolo *tempore*, non de *dogmate*, ſeu de Eccleſiæ *doctrina* omnem eam, quæ orta inter nos eſt, quæſtionem eſſe, Cadonicus ſuis vindicibus aſſenſus dixerit; planum, quam id abſurde, quamque ſit falſo dicturus, feci (*a pag.* 470. *ad* 473.):

 quin-

1 *A pag.* 451. *ad* 462.

2 *Verba*, inquit, *iſta* Symboli, deſcendit ad inferos, *in propria ſignificatione capienda ſunt. Non enim deſcendit ad inferos* (*ſeu ad Sinum Abrahæ, Limbumve Patrum*) *fruſtra. Igitur ut eos illuminaret, ſolveret, & beatos ſecum in Cœlos abduceret. Cum itaque verus, ac germanus ſit iſte Apoſtolicorum verborum ſenſus, eos omnes* APOSTOLICÆ FIDEI, AC DOCTRINÆ HOSTES ESSE CONSTANTER AFFIRMO, *qui gloſſematibus* IMPIIS *aut illa pervertere, aut etiam penitus* ABROGARE, AC DELERE CONANTUR. Vide cetera ejuſdem Auctoris *ibid. loca pag.* 452. *ſeq.*

quinto denique, quia Cadonicus idem,ejuſque patroni,præter Franciſcum Suareſium, & Hyacinthum Graveſonium, nullum alium Theologorum commemorant, qui hoc a *fide doceri*, aut *de fide eſſe*, aut *dogma* certum eſſe ſtatuerit; hoſque ſolum duos eo commemorant, ut efficiant, fuiſſe ipſorum eam ſententiam ſingularem; poſt, ubi animadverti *p.* 472. *ſeq.* ſatis nobis fuiſſe futurum, ſi, quod tuemur, ab omnibus admiſſum, prædicatumque fuiſſet, nulla ab iis, ut *de fide* ſit, explicate mentione facta; tum a *pag.* 473. *ad pag.* 486. indicatis perplurium Theologorum locis oſtendi, *in nugis hæreticorum* ab iiſdem poni, quod modo Cadoniciani defendunt dogma; contra vero ſtatui, *ORTHODOXOS omnes communi ſuffragio* pro doctrina noſtra pugnare, quam a *FIDE DOCERI*, quam *SERVARI A FIDE ECCLESIÆ*, *CREDI IN ECCLESIA ORTHODOXA*, *DOCERI ARTICVLO SYMBOLI*, *EX FIDE CERTAM* videri, *OMNIVM PATRVM CONSENSIONE FIRMAM*, quod ſatis eſt *FIDEI NOSTRÆ*,& *PRO CERTO ESSE TENENDAM*, & *ESSE FIDE PROPOSITAM*, *NOTAM ESSE OMNIBVS*, ab *OMNIBVS CREDI*, & eſſe Chriſti *TESTIMONIO STABILEM*, & *DOGMA RELIGIONIS NOSTRÆ* injuria a Calvino fabulam appellatum, & *MYSTERIVM*, & *CREDENDVM*, ac *TENENDVM FIDE*, & id nos in *SYMBOLO PROFITERI*, & *VINDICANDVM ESSE* a *CALVMNIIS HÆRETICORVM*, & *FIDEM MYSTERII CONTINERE*, & id *CERTA FIDE NOS HABERE*, idque dogma *TRADITIONE CONSTARE*, ut illud de Deiparæ perpetua Virginitate, *SICQVE ORTHODOXVM* quemque *ASSERERE*. Quo etiam recidunt,quæ Catechiſmis omnium Eccleſiarum contineri vidimus.Quorum quidem Catechiſmorum ſuſcipienda mihi fuit, ut par erat, defenſio, quoniam eorum a ſtudioſis quibuſdam Cadonici eo nomine rationem non haberi cognoram [1], quod eorum aliquos perſcriptos ab indoctis fuiſſe ipſi ſcilicet doctiſſimi arbitrentur.

Theo-

[1] Vide *p.* 487. *ſeq. not.* 3.

Theologorum ea de re ſententia propoſita, firmataque auctoritate Catechiſmorum, & Suareſio, Graveſonioque a ſingularis opinionis invidia vindicatis; ſ. VI. p. 495. ſqq. communem omnium *Scholaſticorum*, quam adverſarii vocant, doctrinam, eamdem eſſe atque Eccleſiæ univerſæ doctrinam oſtendi. Nam Catechetas, Interpretes Scripturarum, adverſus judæos, atque hæreticos Controverſiarum Catholicos Tractatores, Paſtores Eccleſiarum in ſuis Catechiſmis, ac Synodis, his ſeptem ſeculis conſtanter, diſſidente omnino nemine, & probaſſe, & tenuiſſe, & docuiſſe id ſententiæ genus, in eoque populos inſtitutiſſe. Quos ſi Cadonicus, objecta ipſis appellatione *Scholaſticorum*, ab ſe ſuperari confidat poſſe, hoc reſtare unum, ut Eccleſiam univerſam appellet *Scholaſticam*, ſuperetque hoc nomine. Plebem enim, quæ reliqua pars eſt Eccleſiæ, Paſtoribus, a quibus eſt inſtituta, mirifice conſentire.

Cumque Paſtorum reliquorum, Eccleſiæque univerſæ ſub aſpectum cadens Caput ſit Romanus Pontifex; Maximos item Pontifices Clementem XIII. Benedictum XIV. Benedictum XIII. Innocentium XIII. Clementem XI. Innocentium XI. Clementem X. Urbanum VIII. Paulum V. Clementem VIII. Gregorium XIII. Pium V. Leonem X. Pium II. Eugenium IV. Benedictum XII. Innocentium III. dici ab eo *Scholaſticos* poſſe, quorum hac de re perſpicuæ ſunt litteræ, inſtitutioneſque doctrinæ, ut ne horum auctoritate opprimatur. Atque ut ceteros prætermittam, quorum a pagina 501. ad 506. accurate, aut indicavi, aut etiam deſcripſi loca, Paulus V. in ea *Fidei Profeſſione*, quam ad Chaldæorum Patriarcham miſit, ut ab Epiſcopis ejus gentis ſubſcriberetur, ſi juncti ſacrorum communione Sedi Apoſtolicæ eſſe vellent, hæc item poni imperavit: „ Inſuper *FIRMITER CREDO*, &
„ *PRÆDICO*, eumdem Filium Incarnatum vere natum
„ eſſe ex Maria Virgine ... item vere paſſum, vere
„ mor-

„ mortuum, & ſepultum, & vere *CUM ANIMA DE-*
„ *SCENDISSE AD INFEROS AD LIBERANDAS ANI-*
„ *MAS SANCTORUM PATRUM, QUÆ IN LIMBO*
„ *ERANT*[1] „. Quum hæc perſequutus diligenter fuiſſem, ratus expleſſe me, quod animo conſtitueram, oſtendiſſeque, Theologos, Interpretes Sacrorum Bibliorum, Catechetas, Oppugnatores hæreticorum, Parochos, Epiſcopos, Pontifices Maximos, uno verbo Eccleſiam Catholicam univerſam ſeptem his ſeculis docuiſſe, docereque pergere eam, quæ eſt de animabus Sanctorum Veteris Teſtamenti in Sinu Abrahæ non ante beatis aſpectu Dei, quam Chriſtus paſſus, mortuuſque fuiſſet, ut articulo Symboli v. comprehenſam, utque ad doctrinam fidei pertinentem ſententiam; quum hæc, inquam, perſequutus diligenter eſſem, unumque adverſariis ſupereſſe viderem ad undecimum, aut alterum quodpiam ſuperiorum Chriſtiani nominis ſeculorum perfugium, *Caput* eſſe hujuſce *prioris libri* volui hac de *quintum*.

6. Cujus quidem Capitis initio cum monuiſſem, ne veri quidem videri ſimile, repente eamdem doctrinam exiſtere, ſtatimque hominum omnium Catholicorum animos occupare ita potuiſſe, ut non modo illorum quiſque eam retinendam ſibi, ſed etiam profitendam, & adverſus judæos, & hæreticos defendendam, & vel pueris ipſis uti rem certam ad credendum proponendam judicaret; §. 1. qui eſt de *inſigni Catholicorum omnium eadem de re ſeculo* XI. *conſenſione*, petii ab Cadonico, ecquandonam fuiſſe tradi cœptam crederet? XI. ne ſeculo? At id ſi diceret, noſſet, omnium ſe illius ætatis Doctorum, omnium Paſtorum non utcumque docentium modo, ſed etiam Symboli ſenſum determinantium, preceſque Deo publice adhibentium auctoritate eſſe refellendum. Horum (quibus, nemo tunc fuit, qui reſiſtere auderet) teſtimoniis (*a pag.* 512. *ad pag.* 516.) deſcriptis; ad §. II. ſum pro-

1 Vide *hujus operis p.* 501. *ſeq.*

progreſſus, idemque de orthodoxis ſec. x. ſtatui (*p*. 517.*ſq*.) poſt ad ſ. III. ubi de iis qui ſeculo IX. (*a p*.519. *ad* 522.) deinceps ad ſ. IV. ubi de iis, qui VIII. (*a p*.522. *ad* 526.) mox ad ſ. V. ubi de iis, qui VII. (*a pag*. 526. *ad* 544.) poſtremo ad ſ. VI. veni, ubi de iis, qui VI. ſeculo floruerunt (*a pag*. 544. *ad pag*. 551.) ſic egi, ut doctrina præſtantium virorum, Presbyterorum, Epiſcoporumque libris, inſtitutionibus, explicatione Symboli, profeſſionibus fidei etiam adhibitis in Regionalibus ſynodis, Pontificiſque Max. Gregorii Magni Commentariis, atque epiſtolis, quibus quid ſit fide tenendum exponitur, plane effecerim, commune hoc fuiſſe illorum, quod nunc item eſt omnium catholicorum doctrinæ genus, cui qui reſiſteret, nemo unus repertus fuerit.

7. Hoc ipſum, rationem eamdem, ac methodum ſequutus, *Cap*. VI. de Catholicis quinti ſeculi oſtendi (ſ. I. *a p*.522. *ad* 567.) & quarti (ſ. II. *a p*. 567. *ad* 610.) & tertii (ſ. III. *a p*.610. *ad* 615.) & ſecundi (ſ. IV. *a p*.615. *ad* 625.) & extremi primi (ſ. V. *a pag*. 626. *ad* 629.). Jam vero cum *hoc*, tum etiam *capite ſuperiore*, ſi quid ab adverſariis contra alicubi dictum reperi, quo implicari allata teſtimonia poſſe viderentur, rejeci graviſſimis nixus momentis argumentorum. Hæc, quæ fuſius diſputata a me fuerant, conferenda demum in pauca cenſui. Quamobrem ſ. VI. facta omnium ſumma (*a pag*. 630. *ad*. 640.) ex antecedentium doctrina capitum collegi, quanti ſemper, etiam ante exortam diſciplinam Scholaſticorum, habita ubique fuerit ſententia de Sanctis Vet. Teſt. non antea ereptis e limbo, beatiſque aſpectu Dei, quam Chriſtus ad inferos deſcendiſſet.

8. Præreptis Cadonico Scriptoribus Eccleſiæ univerſis, unum ei, ejuſque vindicibus erat reliqui, ut ad Sacra Biblia provocarent. Verum, quid his agerent, quæ non ipſorum arbitratu explicanda ſint, ſed ita omnino, ut Eccleſia Catholica ſciſcit, poſtulatque Majorum ab Apoſtolis ad nos uſque propagata traditio? Id ut initio *Capi-*

Capitis VII. (*pag.* 640.) animadverti, deſcripſi quædam Sacrorum Bibliorum loca (*a pag.* 643. *ad* 677.) quibus communis doctrina ſtatuitur; deinde id egi, ut reſponſiones Cadonici inanes, Auguſtini (quo uno ille magiſtro gloriatur) exemplis doctrinæ quibuſdam uſus (646. *ſeqq.*) everterem, quod plane ſum conſequutus. Ea re perfecta, *rationem*, quam Cadonicus idem communi Eccleſiarum doctrinæ opponit, adverſari monui rationi rectæ, quod ipſum copioſe ante (*pagina nempe* 246. *ſqq.*) docueram. Ad extremum, cum ad eum Scripturæ locum: *aſcendens in altum captivam duxit captivitatem &c.* veniſſem, quæ ab Cadonico ejus loci involvendi, implicandique cauſſa integro fere capite diſputata fuerant, confutaturus, Lectores, ut attenderent, indeque conjecturam de ceteris Cadonicianorum operum capitibus facerent, rogavi. Sic autem eis confirmavi, hoc ſi cognoſcerent, reliqua item ejus capita cogituros, neque deinceps a me eſſe poſtulaturos, ut quæ ille iiſdem capitibus perſequutus eſſet, ſingillatim refellerem. Nam eſſe me plane demonſtraturum (id quod reipſa feciſſe me arbitror a *pag.* 652. ad *pag.* 662. adnotatione ſane longa) nihil eo in capite eſſe cohærentis, nihil nexi, nihil copulati, ſed omnia eſſe perturbata, implicata, diſjuncta, interque ſe repugnantia, ut mirum ſit, reperiri mortalium quemquam potuiſſe, qui tam ἀσύστατα, tamque disjuncta, atque contraria ſcriberet. His cum priori libro impoſuiſſem finem, hoc denique tenere me dixi; „ Eccleſias univerſas ubique gentium conſtitutas, Scriptores orthodoxos omnium temporum, Patres quoſque, „ Synodos, Pontifices denique Maximos Cadoniciano ſyſtemati adverſari, ſoloſque ei Proteſtantes novos favere, præmonſtraſſeque Cadonico ad id novum opinionis portentum defendendum viam. Id vero non „ levibus, non obſcuris, non paucis, non aliquorum, „ ſed gravibus, ſed perſpicuis, ſed pæne innumerabili-

„ bus,

„ bus , ſed omnium orthodoxorum , Epiſcoporum in
„ primis cujuſque loci , quorumque temporum ſcriptis,
„ typiſve editis monumentis Inſtitutionum Theologi-
„ carum , Interpretationum Sacrorum Bibliorum , Con-
„ troverſiarum de religione , Catecheſeon , Profeſſio-
„ num fidei , Synodorum , Decretorum , Conſtitutionum
„ etiam Apoſtolicæ Sedis , quibus Sacrorum Bibliorum
„ auctoritas non modo non adverſatur , ſed etiam ex
„ majorum ſententia robur addit , & firmitatem , de-
„ monſtratum eſſe . Quamobrem non dubitare me ,
„ fore , ut qui mea legerint , conſiderarint , expenderint,
„ ni gravius quidpiam ſtatuendum putent , genus ſaltem
„ illud Cadonicianæ opinionis , quod ex fontibus no-
„ vorum Proteſtantium manaſſe , quodque cum doctri-
„ næ (quam Eccleſia Catholica ſemper docuerit , ſuiſ-
„ que propoſuerit ad credendum) antiquitate , uni-
„ verſitate , conſenſione componi non poſſe cognoverint,
„ uno omnes ore , non modo non probabile , ſed ne
„ tolerabile quidem eſſe confiteantur „ .

9. Priore libro , ut potui , diligenter perfecto , ad alterum alacer properavi , quem *capitibus* abſolvi ſex , & quo omnis continetur argumentorum , quibus Cadonicus , ejuſque vindices ſatis ſe fore tutos putaverant , confutatio. Atque ab Auguſtini quidem defenſione hujus eſſe *libri ſecundi* initium ducendum judicavi , propterea quod adverſarii (ut factum jamdiu a Reiſero , aliiſque Proteſtantibus fuerat) eo Doctore maxime patrono ſe uti vociferarentur . Igitur ab Auguſtino exorſus , primum omnium, quæ ſummi viri ſemper in Eccleſia Chriſti , jam inde ab eo tempore , quo ipſe florere cœpit , auctoritas fuerit , (*pag.* 681 . *ſeq.*) lectoribus in memoriam revocavi ; deindeque animadverti, cupidos rerum novarum (ut imperitos rerum, minuſque cautos homines circumvenirent) a quinto ipſo ſeculo ejus nomine , auctoritateque abuſos doctrinam Eccleſiarum ſic fuiſſe conatos pervertere , quem-

admodum abuſi Scripturis, quibus nihil eſt ſanctius, fuerant hæretici, qui primis temporibus rem Chriſtianam publicam infeſtarant. Id ut paucis *pag. 682. ſeq.* abſolvi, ad ʃ. 1. capitis ejuſdem deſcendi, qui eſt de gravi, inſignique diſcipulis Auguſtini, ipſique Auguſtino a Cadonico conflata injuria. Atque injuram quidem Auguſtini diſcipulis ideo ab Cadonico conflari dixi, quod is ſibi Dei beneficio fuiſſe reſervatum jactet, ut id *opinionis genus exſuſcitaret*, quod illi ne vidiſſent quidem. Auguſtino vero eo ipſum eſſe injurioſiorem dixi, quod eum illius dogmatis auctorem conſtituat, quod omnium Patrum, omniumque Chriſti Eccleſiarum concentu rejicitur; cui tanto concentui Doctoris illius loca quædam opponit, perinde ac ſi unius, quamlibet docti, ſancti, non tamen canonici ſcriptoris auctoritas, quando non ita ſentiret, ut revera ſenſit, Eccleſiæ conſenſioni eſſet anteferenda; quum tamen Auguſtinus nihil, dum viveret, habuerit, ut debebat, potius ea conſenſione, nihilque cœtuum orthodoxorum auctoritate antiquius. His, aliiſque generis ejuſdem permultis (*p. 685. ſeqq.*) adnotatis rebus ad ʃ. alterum acceſſi, quo ſane vici, Auguſtini doctrinam internoſcere cupienti, opus eſſe Thoma Aquinate Angelico Doct. interprete (*a p.696. ad p.715.*) Id ubi pluribus, iiſque graviſſimis teſtimoniis, exempliſque perfeci, propoſui ʃ. III. Auguſtini ipſius ex Epiſtola ad Evodium locum illum, in quo, poſt novos Lutheranos, & Calvinianos pleroſque, Cadonicus collocavit præſidium opinionis novæ ſuæ (*a p.715. ad* 720.) Cumque hiſce loci ejuſdem verbis: *Illis juſtis, qui in ſinu Abrahæ erant, cum ille* (Chriſtus) *in inferna deſcenderet, nondum quid contuliſſet inveni, a quibus eum, ſecundum beatificam præſentiam ſuæ Divinitatis, numquam video receſſiſſe*, cum, inquam, hiſce verbis, vim ineſſe maximam conſtituendi recentis ſui dogmatis Cadonicus jactitaret; eadem verba ſapienter vereque explicata a s.Thoma fuiſſe ʃ. IV. confirmavi (*p.720. ſeqq.*) animadverſioneſque Anonymi ſex Epiſtolarum Auctoris inanes, quibus

bus id Thomæ reſponſum eſt conatus eludere, disjeci.

Ac Thomas quidem, eum ſibi cum objeciſſet locum, ſic ſtatuit[1]: „ Ad primum dicendum, quod Auguſtinus „ ibi loquitur contra quoſdam, qui æſtimabant, anti„ quos Juſtos ante adventum Chriſti in inferno doloribus „ pœnarum fuiſſe ſubjectos. Unde, parum ante verba „ inducta, præmittit dicens: *addunt quidam hoc benefi„ cium antiquis etiam Sanctis fuiſſe conceſſum, ut cum Do„ minus in infernum veniſſet, a doloribus ſolverentur. Sed „ quonam modo intelligatur Abraham, in cujus ſinum pau„ per ille ſuſceptus eſt, in illis fuiſſe doloribus, ego quidem „ non video*. Et ideo cum poſtea ſubdit, *ſe nondum in„ veniſſe, quid deſcenſus Chriſti ad inferos, antiquis juſtis „ contulerit*, intelligendum eſt, quantum ad abſolutionem „ a doloribus pœnarum: contulit tamen eis, quantum „ ad adeptionem gloriæ, & per conſequens ſolvit eo„ rum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ, „ ex CUJUS TAMEN SPE MAGNUM GAUDIUM HA„ BEBANT; ſecundum illud Johannis: *Abraham Pater „ veſter, exultavit ut videret diem meum*. Et ideo ſcri„ bit: *a quibus eum ſecundum beatificam præſentiam ſuæ „ Divinitatis numquam video receſſiſſe*, in quantum ſcili„ cet ante adventum Chriſti, erant BEATI IN SPE, „ licet NONDUM ESSENT PERFECTE BEATI IN „ RE „. Hanc porro Thomæ, quæ Gregorii etiam magni eſt, interpretationem plane eſſe Auguſtinianam, multis me credo lectoribus perſuaſiſſe §. v. *prioris ejuſdem capitis ſecundi libri*[2]. Scilicet Auguſtinus in *Enarrat.* in *Pſalm.* LXXXV. *Sinum Abrahæ*, ante Chriſti mortem, in inferis fuiſſe conſtitutum docet, cum *Abrahamum in inferis* fuiſſe, aperte, nihilque hæſitans doceat[3]. Rurſum idem Auguſtinus *lib.* XX. *de civitate Dei cap.* XVI. ait: Sanctos qui ante Chriſtum deceſſerant, *locis quidem a tor-*

1 Vide *pag.* 723. *ſq. hujus operis*.
2 *Pag.* 713. *ſqq.*
3 Conſulantur, obſecro, quæ ſcripſi *a p.* 748. *ad p.* 758. *in textu*, & *in adnot.*

mentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos inde Sanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret; verum *profecto deinceps bonos fideles effuſo illo pretio prorſus neſcire inferos* [1]. Quin etiam Auguſtinus idem in I. *Contra Julianum libro*, ob reatum pendendæ temporariæ pœnæ, originalis peccati cauſſa, juſtos V. T. ante Chriſti mortem ad inferos deſcendiſſe confirmat [2]. Quo autem modo, aut qua tandem ratione Auguſtinus, *beatos fuiſſe aſpectu Dei*, conceſſiſſet eos, qui peccati originalis cauſſa temporariam pœnam pendebant *in inferis*, egebantque liberatore, qui eos inde erueret? Nemo enim eſt, qui neſciat, ab Auguſtino, ut ab orthodoxis ceteris, quamcumque pœnam, quemcumque dolorem, umbramque etiam quamvis doloris, atque triſtitiæ removeri ex iis, qui Deum [3] intuentur? Quod ſi in Epiſtola ad Evodium Auguſtinus, partem *inferorum Sinum eſſe Abrahæ* negat, id certe de inferorum inferiorum parte, non de ſuperiorum negat [4]. Nam in Pſalm. LXXXV. *in inferno ſuperiori* Abrahamum fuiſſe ſtatuit, & in XX. libro de Civitate Dei, *in inferis fuiſſe* juſtos affirmat, *ſed locis ab impiorum tormentis remotiſſimis*. Pugnantia vero Doctorem tantum fuiſſe loquutum, quis credat? Deinde fac Auguſtinus minus perſpicue in Epiſtola ad Evodium egerit, an contra canones criticæ facultatis adhibitos a Tractatoribus Controverſiarum adverſus hæreticos, in primiſque a Nicolio, quem Cadonicus verſatum in libris Auguſtini fuiſſe negabit numquam, an contra canones, inquam, criticæ facultatis Epiſtolam ad Evodium, ſive ad doctum virum (qui ſupplere per ſe poterat ſi quid defuiſſet [5] accuratæ expreſſioni) ſcriptam opponere quiſquam poterit Enarrationi Catecheticæ in Pſ. LXXXV. habitæ, cum populum Auguſtinus doceret, cui populo diſtincte exponendæ

1 Confer, quæſo, quæ ſcripſi *pag.* 758. *ſqq. ad pag.* 770.
2 Vide, oro te, lector quæ attuli *pag.* 770. *ſeqq*
3 Conſule Auguſtini loca a me deſcripta *p.* 772.
4 Vide, quæ *ſcripſi pag.* 738. *ſqq. ad pag.* 748.
5 Vide Nicolii ſententiam a nobis deſcriptam *not.* 2. *pag.* 741. *ſq.*

dæ res erant, propterea quod aptus ipſe per ſe non eſſet ad ſupplendum ſiquid fuiſſet prætermiſſum? Non igitur Epiſtola ad Evodium opponenda Enarrationi in Pſ. LXXXV. eſt, ſed Enarratione illa explicandum erit, ſiquid eſt in eadem Epiſtola obſcuri. Neque vero quidquam officit communi doctrinæ, quod eadem in Epiſtola Auguſtinus ſcribit: *non videre ſe, quid illis* animabus juſtis Chriſtus contulerit *deſcenſu ad inferos* ſuo. Nam, ut ſapienter animadvertit Thomas, cum Auguſtinus contra illos egiſſet, qui in doloribus, ſeu in *pœna ſenſus* juſtos eoſdem fuiſſe ajebant; cumque effeciſſet, iis illos in doloribus non fuiſſe, recte concluſit, non videre ſe, quid illis Chriſtus contulerit *ſolutionis ab ſenſus doloribus*, quibus certe illi non afficiebantur. Verumtamen dicere non poterat Auguſtinus, erutos eos non fuiſſe, deſcenſu Chriſti, ex inferis, in quibus fuerant luendæ pœnæ temporatariæ cauſſa; cum in *Pſ.* LXXXV. *in* I. *contra Julianum*, & *in* XX. *de Civ. Dei* ratione ſolvendæ pœnæ in inferno eos ſuperiore fuiſſe, indeque a Chriſto exemptos, teſtatus ſit. Quid? Quod ne illud quidem nobis exhibeat negotium, quod ipſe Auguſtinus in Epiſtola eadem adjungit: *Chriſtum ſecundum beatificam ſuæ Divinitatis præſentiam ab eis* juſtis *numquam receſſiſſe*. *Beatificæ* namque *præſentiæ* vocabulis non viſionem intuitivam Dei Sanctus Doctor intelligit, ſed vim aliquid operantis præſentis ubique Dei. Alioqui vivi etiam in hac lacrimaram valle juſti Deum intuerentur, quod quam ſit falſum, atque abſurdum, nemo eſt, quin ſentiat. Etenim Auguſtinus de juſtis adhuc viventibus in terris differens in VIII. *de Geneſi ad litteram cap.* XII. „ Non tale aliquid „ eſt homo, *inquit*, ut factus, deferente eo, qui fecit, poſſit „ aliquid agere bene, tamquam ex ſeipſo, ſed tota ejus actio „ bona eſt converti ad Deum, a quo factus eſt, & ab „ eo juſtus, pius, ſapiens, BEATUSQUE SEMPER „ FIERI, non FIERI, & RECEDERE, ſicut e corpo- „ ris

„ ris medico ſanari, & abire; quia medicus operarius
„ fuit extrinſecus ſerviens naturæ intrinſecus operanti
„ ſub Deo. Non ergo ita ſe debet homo ad Dominum
„ convertere, ut cum ab eo factus fuerit juſtus, AB-
„ SCEDAT, ſed ita ut ab illo SEMPER FIAT; Eo
„ quippe ipſo cum AB ILLO NON DISCEDIT, EJUS
„ ipſe PRÆSENTIA juſtificatur, & ILLUMINATUR,
„ & BEATIFICATUR, operante, & cuſtodiente Deo,
„ dum obedienti, ſubjectoque dominatur „. Age vero ſi juſtificari, & *illuminari*, & BEATIFICARI PRÆSENTIA DEI non idem eſt in juſtis adhuc hominibus in terra viventibus, ac videre Deum; cur idem fuiſſe ac videre Deum, dicemus, in Sanctis veteris Teſtamenti conſtitutis in inferis luendæ temporariæ pœnæ cauſſa? Quid autem eſt *illuminari*, *& beatificari præſentia Dei* in juſtis adhuc in terra viventibus, niſi gratia eſt operantis in homine juſto præſentis Dei, ſpeque juſtum hominem beatificantis? Id vero multis Auguſtini teſtimoniis effectum a me eſt *a pag.* 775. *ad pag.* 795. Qua ex re jure concludi a me ipſo poſſe cenſui, eum Auguſtini ex epiſtola ad Evodium a proteſtantibus primum, deinde ab Adverſariis vexatum locum ſapienter, ac vere fuiſſe explicatum a Thoma de *beatitudine in ſpe, & non in re.*

10. Capite II. ſecundi libri de ceteris Auguſtini teſtimoniis, quibus, etſi vim ineſſe multo minorem adverſarii facile concedant, abuti tamen non dubitant, diligenter egi, & (*a pag.* 795. *ad pag.* 878.) quam cauſſæ Cadonicianæ non faveant, immo quam ei inſigniter repugnent, demoſtravi.

11. Ad Hilarii deinceps loca, quæ ſingulari Diſſertatione implicare conatus eſt Feltrius, deſcendi, eaque *cap.* III. *Ejuſd.* II. *lib.* §. 1. partim detruncata (conſulto ne, an ſecus, Feltrius idem viderit) partim in alium ſenſum vi fuiſſe contorta oſtendi, (*a pag.* 878. *ad pag.* 940.) contra atque germana Sancti ejuſdem Doctoris ſenten-

tentia poſtulet. Hoc idem de locis Johannis Chryſoſtomi quibuſdam, quibus adverſarii non minus tenebras offendere ſtuduerunt, §. II. *a pag.* 941. *ad pag.* 959. diligenter feci.

12. Capite autem Libri ejuſdem ſecundi quarto §. I. de Patribus ceteris breviter diſſerui, quod de iis non eſſet opus copioſius agere. Poſt §. II. de reatu temporariæ pœnæ excluſionis e Regno Dei, quo Sancti veteris Teſtamenti tenebantur, quoque illos fuiſſe obſtrictos Cadonicus poſt Proteſtantes Kuchlinum, & Gerardum, negat. Deinde §. IV. de damni pœna, quam in Sanctis iiſdem Cadoniciani ſummam fuiſſe futuram pronunciant. Poſtremo §. IV. de dogmate, quod eſt de Purgatorio, quodque everti, aut imminui, non confirmari Cadoniciana opinione planum feci. Quæ ſanæ omnis diſputatio a *pagina* 959. *ad pag.* 1005. producta eſt.

13. Cumque precibus aliquot, hymniſque Eccleſiæ confidere Cadonicum animadvertiſſem, quam id fruſtra confideret, & explicatis recte iiſdem hymnis, ac precibus, & adductis locis aliquot ex omnium totius orbis Eccleſiarum ritualibus Libris, oſtendi *cap.* V. *a pag.* 1005. *ad* 1031.

14. Capite VI. de Articulo Symboli: *Deſcendit ad inferos*: egi, demonſtravique, funditus eum regulis a Cadonico, Feltrio, & Dalhamo conſtitutis everti: Dalhamumque ipſum ad talmudis Judaici operis pleni ſuperſtitionis [1], & impietatis, quo nullum eſſe ad notionem paradiſi argumentum fortius jactat, & ad græcorum ethnicorum præſidium confugientem plagii accuſatum, atque convictum non modo veterum Judæorum, ſed talmudis etiam ipſius, & græcorum ethnicorum teſtimoniis refutavi (*a pag.* 1031. *ad pag.* 1065.) Atque his quidem feci hujus operis perſcribendi finem.

ΠA-

1 Confer, quæ ex Odonis S. R. E. Card. Epiſcopi Tuſculani litteris a Theologis plus triginta ſubſcriptis, adverſus talmudicas impietates refert Echardus tom. I. Scriptor. Ord. Præd. *pag* 166. *ſeq.*

ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ

Extremum eſt, ut ad Cadonicum. ejuſque patronos, ac vindices mea ſe convertat oratio. Vos igitur alloquor cariſſimos, deſideratiſſimoſque fratres in Chriſto Jeſu. Veſtram ego imploro fidem.. Colligite, obſecro, aliquando vos. Conſiderate etiam, atque etiam quot opiniones de maximis, graviſſimiſque rebus, quam novas, quam inanes, quam a Majorum, atque ab Eccleſiæ univerſæ ſententia diſcrepantes, quot Libris latine, italiceque editis, quanto cum periculo imperitorum in Rempublicam populi Chriſtiani conati ſitis inducere. Non dubito, feciſſe id vos neſcientes, ac ne ſuſpicantes quidem, quidquam inde cuiquam obventurum damni. Nunc autem cum tot teſtibus, tot publicis cœtuum orthodoxorum omnium monumentis, tot Sedis Apoſtolicæ Catecheſibus, formulis profeſſionis fidei, litteris, inſtitutionibus, quam ſitis a vero longe abducti, intelligatis, deſinite, quæſo, firmam populi Chriſtiani de Patriarcharum, Prophetarum, ceterorumque Teſtamenti Veteris juſtorum ſuſpiriis ex deſiderio ortis videndi Meſſiæ Servatoris ſui, de ereptis a Chriſto ſpoliis ex inferis, de captiva in cælum ducta captivitate, de triumphis denique Servatoris ejuſdem Chriſti, deſinite, inquam populi Chriſtiani firmam his de rebus, predicationeque *columnæ, firmamentique veritatis*, ſeu Eccleſiæ nixam perſuaſionem ſollicitare; decedite de ſententia; oſtendite re vos ei Eccleſiæ docenti auſcultare, in cujus poteſtatem, atque judicium verbo promiſiſtis, veſtra vos omnia permiſſuros. Hoc mihi veſtrum erga matrem communem noſtram ſtudium, hoc pietas, hoc religio pollicetur. Id ut aſſequutus fuero, arbitrabor, me laboris mei, vos virtutis veſtræ fructum uberrimum retuliſſe. Nam de me, fratres, quos in Chriſti caritate diligo, ſic habetote: quidquid ſcripſi, id me non accepta

pta a quoquam injuria, neque odio cujuſquam hominis, ſed uno amore, quo ardeo vehementi, colendi, tuendique veri, ſcripſiſſe. Quod ſane verum multis partibus, eaque in primis, quæ eſt de triumphatis a Chriſto, ut ejus ſponſa ubique gentium prædicat, inferis, deque inlatis in regnum Sanctis Veteris Teſtamenti Patribus, quod, inquam, verum peti a vobis, oppugnari, vexari perquam moleſte ferebam. Quare ſiquid aſperius alicubi dixi, de opinione nova veſtra, quæ ipſa novorum Proteſtantium opinio eſt, quamque proſpiciebam eſſe detrimento poſſe Chriſtianæ plebi; non vero de uno aliquo veſtrum dixi. Quemadmodum enim fratres illos meos exagitaſſem injuria, quibus ut prodeſſem, onus mihi hujuſce operis perſcribendi ſuſceperam? Quod ſi quidquam nihilo ſecius uſpiam eſt in libris hiſce duobus meis, quod mihi imprudenti exciderit, quodque aut lædat revera, aut lædere cujuſquam veſtrum *perſonam* videatur; illud me, ſcitote, ex animo indictum, revocatum, ac deletum velle. Ne putate, ſecus me, atque ſentiam, dicere. Hæc mea, mihi credite, fuit ratio; hic ſenſus eſt ſimplex, ſincerus, certiſſimus mentis, atque voluntatis meæ.

NOS

FR. JOANNES THOMAS DE BOXADORS

SAC. THEOLOGIÆ PROFESSOR
AC UNIVERSI ORD. FF. PRÆD.
HUMILIS MAGISTER GENERALIS, ET SERVUS.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate officii, quantum in nobis eſt, facultatem concedimus R. A. P. M. Fr.Thomæ Mariæ Mamachio Prov. noſtræ Romanæ Collegii Caſanatenſis Theologo typis edendi opus ab ipſo elaboratum, cui titulus: *De juſtorum animabus in Abrahæ ſinu, ante Chriſti mortem, expertibus beatæ viſionis Dei, libri duo*: dummodo a duobus Sacræ Theologiæ Profeſſoribus noſtri Ordinis prælo dignum judicetur, & ſerventur cetera de jure ſervanda. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſupra Minervam die 6. Novembris An. 1765.

F. JO. THOMAS DE BOXADORS
MAGISTER ORDINIS.

Reg. pag. 67.

FR. DOMINICUS VINC. MARIA BERTUCCI
Mag. Prov. Daciæ, & Socius.

APPROBATIONES

THEOLOGORUM ORDINIS PRÆDICATORUM.

JUbente Rm̃o P. Fr. Joh. Thoma de Boxadors Ord. Prædicatorum Magiſtro, attente legi opus, cui titulus: *De juſtorum animabus in Abrahæ ſinu, ante Chriſti mortem &c.* quo Cl. Auctor Admodum R. P. M. Fr. Thomas Maria Mamachius ſibi ſemper conſtans ingenii ſui, atque doctrinæ recens exhibet orbi litterario ſpectatiſſimum ſpecimen. Totus verſatur modo in veritate catholica illuſtranda & tuenda, idque non arido, ſed elegantiſſimo ſtylo; non levibus, ſed graviſſimis argumentis ex ſacris fontibus magno ſtudio depromptis. Hoc igitur opus, quod veræ fidei cultores, & Sanctorum Eccleſiæ Patrum, præſertim Auguſtini ſapientes interpretes non niſi poſſunt exoptare, non modo utiliſſimum, verum etiam Auctoris tanti nominis zelo digniſſimum cenſeo; maxime vero, quia dum nihil orthodoxæ fidei, aut bonis moribus abnorme continet, ipſam, quam tuetur doctrinam, tanta ſtabilit auctoritate, ut deinceps a nemine concuti poſſe videatur. Quocirca e re fore arbitror, ſi in catholicæ religionis bonum edatur in publicum. Datum Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Miner. die IX. Octob. an. 1765.

Fr. Carolus o Kelly
Ord. Præd. Theologus Caſanatenſis.

REverendiſſimi P. Fr. Jo. Thomæ de Boxadors univerſi Ord. Prædicatorum Magiſtri Generalis juſſu diligenter legi R. A. P. M. F. Thomæ Mariæ Mamachii Theologi Caſ. opus: *De Juſtorum Animabus &c.* viſumque eſt mihi apprime orthodoxum, & ad catholicæ Eccleſiæ conſenſionem, traditionemque accommodate conſcriptum. Vehe-

menter reſiſtit vir cl. ne novitatis, & diſſenſionis a dogmate orthodoxo injuria inſimulentur magni Eccleſiæ PP. Auguſtinus, Hilarius, & Chryſoſtomus; nec patitur, ut opportune utar verbis Nicolai I. P. M. ad Hincmarum Remenſem &c. *eas traditiones, quas antiquitus a Patribus noſtris ſuſcepimus, pro libitu infringi*; atque pro hac ſparta fortiter decertans *oppugnatorum conatibus reſiſtit, & falſis eorum jaculis clypeum veritatis opponit*. Omnium conſenſione Eccleſiarum, omnium veterum traditione, omnium denique retro ſeculorum auctoritate novelli commenti patronos exagitat, atque his argumentis, quæ ſunt theologiæ nervi fortes, & validi, cauſſam, quam orat, aſſerit, nullumque vetuſtatis teſtimonium, nullum ſequioris ævi monumentum adverſariis relinquens, innumera Eccleſiæ documenta ſtudioſe undequaque conquiſita ineluctabili quadam vi in eoſdem contorquet; atque hac via, & ratione ad veritatem utique legenti perſuadet: Animas in Abrahæ ſinu ante Chriſti mortem expertes fuiſſe beatæ Dei viſionis. Quamobrem recte & in hac cauſa clamaret Auguſtinus unumquemque contradictorum compellans: *veritas te ſuperet volentem, nam & invitum ipſa ſuperabit* (S. D. in Pſal. 57.) Opus igitur tanto argumentorum pondere aſſertum, tanta accuratione elaboratum, omnibus denique numeris perfectum, ac undique purum, & ſanum typis digniſſimum cenſeo, & accommodatum etiam ad novitii commenti progreſſus reprimendos, immo ad ipſam recens natam opinionem plane evertendam.

Dabam in Cœnobio S. Mariæ ſuper Minervam Idibus Novembris 1765.

F. Antonius Orsi O.P.
S. T. Mag. & Pro-Cathedraticus Caſan.

AP-

APPROBATIONES

JUſſu Rm̃i Patris Fr.T. A. Ricchinii legi librum, cui titulus: *De Sanctis Veteris Teſtamenti ante Chriſtum expertibus Viſionis Dei &c.* Quamquam e tot egregiis doctiſſimi Scriptoris monumentis hactenus editis mihi ſatis perſpecta erat ejuſdem ſumma ingenii vis, ac incredibilis doctrinæ, atque eruditionis copia; tamen in hoc opere præcipue ſum admiratus cum eximia, ac ſingulari ſcientia conjunctum illius mirificum in tuenda Catholicæ religionis integritate ſtudium. Magno enim animi robore, rerumque apparatu Adverſariorum ſententias undique oppugnat, atque omnia argumentorum adhibet genera, quæ a puris, ac germanis Orthodoxæ Fidei fontibus derivantur, ac fluunt; unde cauſſam firmiſſimis nixam eſſe, ac ſtabilitam fundamentis plane demonſtrat. Quapropter peropportune hoc tempore præclarum id opus in lucem prodire gaudeo, cum Catholicæ religioni non mediocri utilitati futurum, & celeberrimi Viri in ſacras diſciplinas merita vehementer amplificaturum cenſeam.

BENEDICTUS STAY
SS. D. N. ab intimo Cubiculo,
& ab Epiſtolis Latinis.

CUM juſſu Rm̃i P. M. F. Auguſtini Richini Ord. Præd. Magiſtri Palatii Apoſtolici attente legerim Librum Cl. Viri P. M. Thomæ Mamachii Ord. Præd. Theologi Caſanatenſis, animadverti, quam etiam nunc cuſtodiendæ ſint diligenter vigiliæ noctis ſuper agrum Domini, in quo non ceſſat, cum dormiunt homines, inimicus ejus ſuperſeminare zizania non ſolum per filios nequam, ſed etiam per viros probos, qui ex oſcitantia, vel cupiditate nova-

novarum opinionum credentes ſe clavem ſcientiæ accepiſſe ab aliquo antiquo Doctore, agunt contra doctrinam Eccleſiæ; aſpernantur ceteros tamquam Magiſtri in Iſrael; & magno conatu magnificant fimbrias ſuas, ut abducant diſcipulos poſt ſe. Verum animadverti etiam, quam de agro Domini bene fuerit meritus Eminentiſſimus Card. Caſanata, qui in perpetuum ejus præſidium, & decus ædificavit turrim, ex qua mille clypei pendent, & in qua cuſtodes vigilant tota die, ac nocte. Etenim in hoc Libro unum eorum vigilum opportune video occurrere aſſumpto clypeo illo ignito, de quo Nahum, & noctis caliginem ſtatim diſcutere, penitiores latebras detegere, mirandumque exhibere ſpectaculum, in quo univerſim omnia Eccleſiæ regna, omnia Eccleſiæ ſecula tamquam lampadibus diſtincta colluceſcere conſpiciuntur; & S. Mater Eccleſia veluti mulier amicta ſole emittens judicium ſuum tamquam meridiem, ſtatim arefacit, antequam radices agant, ſemina omnia zizaniorum, quæ adulta neque in meridie areſcerent; & ſtatim illuminat omnem hominem, antequam ea ſuperſeminantes in tenebris creſcant multitudine; quæ pervicaciores reddidit alios nova opinantes. Quapropter non ſolum Librum hunc omni mendo immunem cenſeo, quoad dogmata, & mores, ſed etiam felicia prorſus dico ſecula futura, ſi cuicumque novo errori opponi poſſit liber, qui, ſicut hic, magnifice ſapientiam tractet, & dum mole creſcit, nova ſemper rationum, eruditionis, ingenii, eloquentiæ luce creſcat ſicut ſol, donec in meridiano exurat terram. Apud S. Silveſtrum in Monte Quirinali Kalend. Decembris 1765.

D. Bartholomaeus Carrara
Cler. Reg.

IN-

INDEX

LIBRORUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM

LIBER PRIMUS.

ANimas Sanctorum hominum Veteris Teſtamenti, ante Chriſti mortem, expertes fuiſſe intuitivæ viſionis Dei, ex doctrina Eccleſiæ Catholicæ ubique, ab omnibus, ſemper agnita, ſuſcepta, univerſiſque Chriſtianis ad credendum propoſita, demonſtratur.

CAPUT I. §. I. *Qua de re deinceps agendum ſit.* 9

§. II. *Quæ fuerint hujus operis perſcribendi cauſſæ.* 10

CAPUT II. Quæ Eccleſiæ doctrina univerſim ad fidei doctrinam pertineat. 114

§. I. *Quod Eccleſia articulorum fidei ſenſum aut determinans, aut interpretans doceat, id ad doctrinam fidei pertinere oſtenditur*

I. *Scripturarum auctoritate.* 121

II. *Patrum teſtimoniis.* 124

III. *Decretis ejuſdem Eccleſiæ.* 171

IV. *Theologorum adverſus hæreticos pro religione agentium,* 174

V. *Orthodoxorumque ceterorum omnium conſenſione.* 184

§. II. *Qui, præter dogmata ab Eccleſia, inſtituto judicio, definita, nihil quidquam ad fidem pertinere cenſet, hujus eſt magnis in erratis ſententia.* 189

§. III. *Labuntur qui liberam ſibi poteſtatem eſſe quidvis defendendi putant, quod ab Synodo quapiam Oecumenica hæreſeos damnatum non fuerit; quaſi inter hæreti-*

cam

cam reprobatam Synodi Oecumenicæ auctoritate, probabilemque opinionem media nulla ſit cenſurâ digna ſententia. 203

Caput III. Conſenſione Eccleſiæ univerſæ quinti articuli Symboli Apoſtolici ſenſum aut interpretantis, aut determinantis efficitur, doctrinam eſſe fidei Chriſtianæ: Sanct. Veteris Teſtamenti animas, ante Chriſti mortem, expertes fuiſſe beatificæ viſionis Dei. 206

§. I. *Eccleſia* Cathol. Apoſt. Rom. *ſententiam verbis*: deſcendit ad inferos: *articulo quinto Symboli Apoſt. comprehenſis ſubjectam interpretans, ſeu determinans ubique terrarum docendo proponit: animas Sanct. Vet. Teſt., ante Chriſti mortem, expertes fuiſſe beatificæ viſionis Dei. Quod autem ſic proponit Eccleſia, id eſt Doctrina Chriſtianæ Fidei.* 208

§. II. *Eccleſiæ Italiæ, & Galliæ omnes idem prorſus, atque Romana, de limbo Patrum Veteris Teſtamenti credunt, & docent.* 264

§. III. *Eccleſiæ Hiſpaniarum & Americanæ idem omnino eadem de re, atque* Orthodoxi *Itali, Gallique, credunt.* 318

§. IV. *Eccleſiæ item Hibernicæ, Britannicæ, atque Belgicæ.* 333

§. V. *Germanicæ quoque, Bohemicæ, Pannoniæ, Valachæ, Serviana &c.* 338

§. VI. *Raguſina præterea, Epiroticæ, Græcæ, Polonæ, Ruthenæ, & Moſcuenſes.* 345

§. VII. *Eccleſiæ item Syrorum, Arabum, Chaldæorum, Armeniorum, Georgianorum, Perſarum, Malabarum, Cocincinenſium, Tunkinenſium, Sinarum, & eorum, qui in*

in Japonia fuerant, Chriſtianorum. 353
§. VIII. Coptica, Æthiopica, Angollanæ, Congenſes, ceteraque in Africa conſtituta. 358
§. IX. Agit rurſum de aliquot Eccleſiarum Italiæ monumentis. 359
§. X. Antecedentium doctrina paragraphorum efficitur, opinionem Cadonici cum ſententia Eccleſiæ univerſæ pugnare. 365
§. XI. Oſtenditur, quos, qualeſque Cadonicus, atque Dalhamus habeant auctores opinionis novæ ſuæ. 370
§. XII. Niſi Cadonicianarum partium ſtudioſi documentis, quibus uſi ſumus, ſtandum omnino eſſe concesſerint, neceſſe erit, ut ab Auguſtino contra Pelagianos ſcribente diſſideant. 383
Caput IV. §. I. Ecquid defenſores Cadonici de monumentis capite ſuperiori deſcriptis ſtatuant. 393
§. II. Quam ſit communis omnium Eccleſiarum hac de re vetus, utque illa a Chriſto per Apoſtolos ad nos uſque manarit, ſententia. 399
§. III. Quam hæc ſententia late patuerit jam uſque a primordiis Scholaſticorum. 406
§. IV. Quinam hi ſint Scholaſtici. 407
Seculo XVIII. 408
Seculo XVII. 413
Seculo XVI. 422
Seculo XV. 431
Seculo XIV. 437
Seculo XIII. 441
Seculo XII. 446
§. V. Qua ſint exiſtimatione, quaque auctoritate præſtent Scholaſtici. 462

§. VI. *Communis doctrina Scholaſticorum Theologorum de Sanctis Vet. Teſtamenti tum primum beatis aſpectu Dei, cum Chriſtus ad inferos deſcendit, Eccleſiæ univerſæ doctrina eſt.* 495

Doctrina eſt certa Antiſtitum Apoſtolicæ Sedis, deſcendiſſe Chriſtum ad eum inferorum locum, in quo Sancti Veteris Teſtamenti Patres captivi detinebantur, hoſque inde exemiſſe, beaſſeque aſpectu naturæ divinæ ſuæ. 501

CAPUT V. Teſtimoniis majorum efficitur, Catholicos quoſque ſeculis XI. X. IX. VIII. VII. & VI. probaſſe, docuiſſe, atque ad poſteros id propagaſſe, quod Eccleſiæ Chriſti univerſæ de Sanctorum Veteris Teſtamenti ante Chriſti mortem in ſinu Abrahæ ſtatu docent. 510

§. I. *Quam inſignis ſeculo* XI. *fuerit ea de re hominum Catholicorum conſenſio.* 511

§. II. *Et Seculo* X. 517

§. III. *Et Seculo* IX. 519

§. IV. *Et Seculo* VIII. 522

§. V. *Et Seculo* VII. 526

§. VI. *Et Seculo* VI. 544

CAPUT VI. A Patribus, qui V. IV. III. II. I. Seculis claruerunt, eadem in poſteriora tempora manavit ſententia. 552

§. I. *Scriptores quinti Seculi omnes, non ante ereptas ex inferis, adeoque ne beatas quidem fuiſſe aſpectu Dei, putarunt, animas Sanct. Vet. Teſt. Patrum, quam Chriſtus ad inferos deſcendiſſet.* 552

§. II. *Et Seculo* IV. *Indicatur, quæ fuerit hac de re Auguſtini, eorumque Patrum Secu-*

li

li ejuſdem, quos Auguſtinus ſæpe, imprimiſque in libris adverſus Pelagianos commendat, ſententia. 567
§. III. *Et Seculo* III. 610
§. IV. *Et Seculo* II. 615
§. V. *Et Seculo* I. 626
§. VI. *Oſtenditur ex antecedentium doctrina capitum, quanti ſemper ante exortam diſciplinam Scholaſticorum habita ubique fuerit ſententia de SS. Veteris Teſtamenti non ante ereptis ex inferis, beatiſque aſpectu Dei, quam Chriſtus ad inferos deſcendiſſet.* 630
CAPUT VII. Sacrorum veteris, novique Teſtamenti Bibliorum auctoritate efficitur, animas piorum in ſinu Abrahæ ante Chriſti Servatoris mortem expertes fuiſſe beatitatis conſiſtentis in intuitu naturæ Dei. 640

LIBER SECVNDVS.

Argumenta Cadonici, ejuſque patronorum ex monumentis Patrum, Judæorum, Ethnicorum, exque ratione ducta, quam inania ſint, quamque non ſolum cum Eccleſiæ Catholicæ doctrina de Sanctis in ſinu Abrahæ ante Chriſtum expertibus viſionis Dei, verum etiam cum Patrum eorumdem, cum Judæorum, cum Ethnicorum ſincera ſententia, cumque momentis rectæ rationis pugnent, oſtenditur. 679
CAPUT I. De S. P. N. Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo. 680
§. I. *Quam hujus diſcipulis, atque huic etiam*

ipſi Cadonicus fecerit inſignem injuriam. 684

§. II. *Auguſtini doctrinam internoſcere cupienti opus eſt Thoma Aquinate interprete.* 696

§. III. *Ex Auguſtini epiſtola ad Evodium locus proponitur, in quo, poſt novos Lutheranos, & Calvinianos pleroſque omnes, Cadonicus collocavit præſidium opinionis novæ ſuæ.* 715

§. IV. *Eſt is Auguſtini locus ſapienter, & vere explicatus a Sancto Thoma.* 720

§. V. *Recte, ac vere locum Sancti Auguſtini fuiſſe explicatum a S. Thoma, multis, iiſque clariſſimis Auguſtini ejuſdem teſtimoniis demonſtratur.* 733

CAPUT II. De teſtimoniis rurſum agitur Auguſtini conſonis communi orthodoxorum ſententiæ. II. Proponuntur, & explicantur Sancti ejuſdem Doctoris loca ex lib. XII. de Geneſi ad Litteram, ex Epiſtola ad Dardanum, ex Tractatibus in Johannem. III. Ex Enarrationibus in Pſalmos, ex Libris adverſus Manichæos, & Pelagianos perſcriptis. IV. Exque Sermonibus de SS. Machabæis, de SS. Innocentibus, deque Lazaro, & Epulone, quibus locis Cadonicus poſt novos Lutheranos, & Calvinianos abutitur. 795

§. I. *De teſtimoniis rurſum agitur Auguſtini conſonis communi orthodoxorum ſententiæ.* 796

§ II. *De teſtimoniis Auguſtini ex libris de Geneſi ad litteram, ex Epiſtola ad Dardanum, exque Tractatibus in Evang. Johannis.* 804

§. III. *Proponuntur, & explicantur Auguſtini loca ex Enarrationibus in Pſalmos, exque libris contra Manichæos, & Pelagianos.* 826

§. IV. *De locis agitur Auguſtini, qui ſunt de Sanctis Machabæis, de Sanctis Innocentibus,*

bus , deque Lazaro mendico . 864

CAPUT III. De Hilario Pictavienſi , deque Johanne Chryſoſtomo agitur, demonſtraturque quam longe a novo dogmate Cadonicianorum abfuerint . 878

§. I. *Hilarius Pictavienſis Antiſtes longe abfuit a novo dogmate Cadonicianorum .* 879

§. II. *Johan. Chryſoſt. quam longe a nova Johan. Cadonici opinione diſtarit, oſtenditur .* 941

CAPUT IV. §. I. *De Patribus ceteris breviter agitur, quorum perſpicua teſtimonia adverſarii implicare ſtudent .* 959

§. II. *De reatu temporariæ pœnæ excluſionis e Regno Dei, quo Sancti Vet. Teſtamenti ante Chriſti mortem tenebantur .* 962

§. III. *De dilata juſtis Vet.Teſt. viſione Dei, ſeu de temporaria damni pœna , quam ſummam eſſe debuiſſe Cadonicus prædicat .* 991

§. IV. *De dogmate, quod eſt de purgatorio , quodque Cadoniciani ſua opinione confirmari pugnant .* 1002

CAPUT V. §. I. *Hymnos aliquot, Homilias, Formulaſque precum libris Eccleſiæ ritualibus comprehenſas Cadonicus , ejuſque vindices proferunt , iiſque confirmari putant opinionem novam ſuam .* 1006

§. II. *Cadonicum , Feltriumque his monumentis Eccleſiaſticis abutentes egregie falli demonſtratur .* 1009

§. III. *Librorum liturgicorum totius Catholici Orbis auctoritate oſtenditur, Sanctorum Vet. Teſt. animas, deſcenſu Chriſti ad inferos, fuiſſe vindicatas in libertatem , adeoque tum primum beari cœpiſſe aſpectu Dei .* 1016

CAPUT VI. §. I. *Articulus de Chriſti ad inferos deſcen-*

ſu e

ſu e Symbolo tollatur neceſſe eſt, ſi modo ratio valeat, quam eſſe adverſarii ſtatuunt dogmatum religionis dijudicandorum notam. 1032

§ II. *De Dalhamo plagii litterarii reo, novumque theologicum locum in talmudicis Judaeorum libris ſuperſtitionis, & impietatis plenis conſtituente diſſeritur; planeque efficitur, non Hebraeos ſolum Chriſti temporum aequales, ſed talmudis conditores ipſos, Graecoſque etiam Ethnicos a Cadoniciano dogmate diſſidere.* 1040

Synopſis totius operis. 1067

Παραίνεσις, ſeu Adhortatio. 1096

IN-

INDEX RERUM

Monitos Lectores volumus, hic ea modo indicari, quæ in ſuperiore Indice Capitum, & Paragraphorum non ſunt ſingillatim indicata.

ABrahæ ſinus. *Vide* Sinus.
Abſurde, *non abſurde*, apud s. Auguſtinum quid ſignificet. *pag.* 760. *ſeqq.*
de Angelis corpore præditis ſcribens Cadonicus, & Auguſtini abutens auctoritate refellitur. *pag.* 17. *ſeqq.* & *p.* 98. *not.* 4. & *pag.* 103. *ſeqq. in not.*
Anonymi auctoris ſeculi ſeptimi de Sanctis Vet. Teſt. ante Chriſtum expertibus viſionis Dei ſcriptum anecdoton inſigne. *p.* 527. *not.* 1. & *p.* 529. *ſeqq.*
Anonymus ſex Epiſtolarum pro Cadonico, & Feltrio adverſus Faſſonium italice ſcriptarum auctor refellitur. *Vide* Chriſtum. Chryſoſtomus. Lirinenſis. ad Purgatorio. de Toletana Synodo. Eas epiſtolas ab ſe fuiſſe ſcriptas Feltrius negat. *p.* 403.
Apoſtolicæ Sedis confirmatio alicujus libri, quanti ſit ponderis, quidque efficiat. *p.* 253. *not.* 1.
s. Auguſtini nomine abuti maxime ſoliti Novatores plerique. *p.* 682. *ſeqq.*
s. Auguſtinus quam vim ineſſe judicaverit Eccleſiæ auctoritati non definientis ſolum, ſed etiam proponentis, docentis, interpretantis &c.; & fidelium in re doctrinæ conſenſionem, etiam ſine Concilio Œcumenico, ac ſine Sedis Apoſtol. definitione quanti faciendam docuerit. *a p.* 147. *ad* 171. & *p.* 395. *ſeq.* & *p.* 721. *not.* 2.
Idem *rudimenta* Fidei Catholicæ, hoc eſt Catechiſmos vulgares quanti fecerit. *p.* 210. *n.* 1. Et *popularem* in re Fidei doctrinam. *p.* 395. *ſeq.*
Idem de propoſitionibus incidenter Eccleſiæ definitione comprehenſis quid docuerit. *p.* 214. *ſqq.*
in Auguſtinum peccata Cadonicianorum multa. *p.* 489. *in not.*
Auguſtini ejuſdem de SS. Veter. Teſt. ante Chriſtum expertibus viſionis Dei certa ſententia. *Vide infra* Auguſtini inſignes loci. Confer etiam *p.* 876. *ſeq.* & *pag. ead. not.* 3.
Ejuſdem de gaudio ex ſpe futuri boni orto, & tamen cum doloribus conjuncto, ſententia. *p.* 247. *ſeq.* & *p.* 789. *ſeq.* Eam ſententiam oppugnans, adductis Auguſtini locis, Cadonicus refellitur. *p.* 992. *ſeqq.* & *p.* 999. *ſeqq.*
Ejuſdem ad Evodium epiſtolæ analyſis, & mens vera proponitur. *p.* 742. *not.* 1. Ea in epiſtola pœnas inferni commemorans, de pœnis purgatoriis agit.

agit. *p*.733. Neque negat, fuiſſe in inferis Sanctos V. T., hoc eſt in ſuperiore inferno, ſed in reproborum inferno, vel in purgatorio fuiſſe negat. *p*.736. *ſeqq.* Ac diſtinguit quidem Auguſtinus inferiorem infernum, & ſuperiorem. *p.* 749. *ſeq.* & *p*.751. *in not.* §. Aliam, & *p*.755. *in not.* §. Jam. Sanctis in ſinu Abrahæ agentibus quid deſcenſu ſuo Chriſtus contulerit ex Auguſtini ſententia. *p.* 773. *Beatificam* eis *Dei præſentiam* non defuiſſe, quo ſenſu dixerit, exponitur. *p.* 774. *ſeqq.* & *p.* 779. *ſeqq.* Diſtinxit præterea duplicem beatitudinem, alteram *in ſpe*, *in re* alteram. *p*.776. *ſeqq.* Sanctorum limbum qua ratione appellarit *felicitatis ſinum*. *p*. 790. *ſeqq.*

S. Auguſtini inſignes loci de Sanctis V. T. expertibus, ante Chriſtum, viſionis Dei. Locus *in Pſal.* LXXXV. exponitur, & defenditur. *p.* 749. *not.* 1. & *pp. ſeqq.* & *p.* 796. *ſeqq.* Alius item *ex lib.* XX. *de Civit. Dei*. *p.* 758. *ſeqq.* & *p.* 799. *ſeqq.* Itemque alius *ex lib.* I. *contra Julian. p.* 770. *ſeqq.* & *p.* 801. *ſeq.* Alius rurſus *ex lib. de octo Dulcitii quæſtionib.* & *de cura pro mortuis*. *p.* 771. *ſeq.* & *p.* 803. *ſeqq.* Item alius ex dubio Sermone *ad Catechumenos*. *p.* 802. *ſeq.*

Ejuſdem loca ab Cadonico objecta *ex lib.* XII. *de Gen. ad lit.*, exque *Epiſt. ad Dardan.* expenduntur. Nihil iis locis Auguſtinus indicat, quod Sanctis V. T., ante Chriſtum, Dei viſionem attribuat. *p*.806. *ſeqq.* Neque negat fuiſſe eos in inferno ſuperiore. *p.* 808. Atque in libris *de Geneſi ad lit.* quærendo magis, quam ſtatuendo, ſcripſit. *p.* 809. Quod vero in iis libris adhuc dubitans quæſivit, id deinceps aliis in libris certus, atque affirmans docuit. *p.* 811. *ſeq.*

Locus ex *Tract. in Johannem* a Cadonico objectus expenditur. *p.* 812. *ſeqq.* Is locus, ſi Cadoniciana ratione accipiatur, reum facit Auguſtinum dilatæ Sanctis viſionis Dei ad extremi judicii diem. *p.* 813. *ſeqq.* Neque vero tribuit Auguſtinus eo loco Sanctis V. T. ante Chriſtum, Dei viſionem. *p*.819. Afferuntur cauſæ, quamobrem Auguſtinus eo loco ſecurius, atque adeo paullo obſcurius ſit loquutus *p*.821. *ſeqq.*

Locus a Cadonico objectus *ex Serm. I. in Pſal.* XXXVI. de juſtis morientibus *non ibi* futuris, *ubi* ſunt Angeli, explicatur. *p.* 826. *ſeqq.* Nihil is locus ad opinionem Cadonici confert. *p.* 827. *Ibi* enim, & *ubi* de loco dicuntur ab Auguſtino, negatque S. Doctor SS. animas contineri loco. *p.* 828. *ſeqq.* Commemoravit autem ibi Auguſtinus Angelos ex eorum ſententia, qui corporibus putarent præditos. *p.* 837. *ſeqq.* Sinus Abrahæ Auguſtino quis ſit, oſtenditur. *p.* 834. *ſeqq.*

Locus item a Cadonico oppoſitus *ex lib.* XXXIII. *contra Fauſtum. p.* 839. Fruſtra. *p*.850. *ſeq.* Immo eo loco Auguſtinus tacitus confitetur, communem Catholicorum eſſe ſententiam, quam

quam Cadonicus oppugnat. *p.* 850. *ſeqq.* Indagandum autem eſſe Auguſtinus dixit, non de inferis quidem univerſim, an ibi Sancti V. T. fuerint; ſed de certis, diſtinctiſque inferorum locis, in quibus eſſent, aut in quibus non eſſent. *p.* 852. Denique oſtenditur, *temeritates opinantium* quas ille, quorumque opiniones appellarit. quarum numero communem Catholicorum de SS. V. T. doctrinam nullo modo comprehendit. *p.* 854. *ſeqq.*

Locus *ex lib.* 1. *contra duas epiſt. Pelagianor.* a Cadonico item objectus. *p.* 858. *ſeq.* Hunc locum turbat omnem Cadonicus, reatum culpæ confundens cum reatu pœnæ. *p.* 860. *ſeqq.*

Loci alii Auguſtini a Cadonico objecti, qui ſunt de SS. Machabæis. *p.* 864. *ſeq.* de SS. Innocentibus. *p.* 867. de Lazaro, & divite. *p.* 870. In quibus afferendis perpetuum Cadonici vitium eſt, quod quæ Auguſtinus de *inchoata* beatitate, quæ erat in Sinu Abrahæ, ſcripſit, ea ipſe de *conſummata* beatitudine accipit conſiſtente in intuitiva viſione Dei. *p.* 865. *ſqq.*

s. Auguſtinus ignem, quo dæmones, & reprobi homines in inferno torquentur, corporeum eſſe ſtatuit. *p.* 872. *not.* 1. & *pp. ſqq.*

s. Auguſtino Sermonem CCLIX. al. XIX. Cadonicus abjudicare fruſtra conatus eſt. *p.* 823. *not.* 3. Quam in eo Sermone Auguſtinus de Millenario regno opinionem præſetulerat, eam deinceps revocavit. *p.* 825. *in not.* §. Jam.

s. Auguſtino ſuppoſitus Sermo CXXXVII., quod ad Sanctorum V. T. conditionem attinet, ex Gregorii Magni verbis collectus eſt. *p.* 727. *ſeqq.*

s. Auguſtinus in libris *de Geneſi ad litteram* magis inveſtigando, quam ſtatuendo, ſcripſiſſe ſe profitetur. *pag.* 809. & *p.* 810. *not.* 1.

Bellarminianus Catechiſmus Catholicis omnibus probatus, imprimiſque decretis Apoſt. Sedis confirmatus, ecquam obtineat auctoritatem. *p.* 251. *ſeqq.*

Benedicti XII. Pont. Max. Conſtitutio dogmatica de viſione beatifica Sanctis ad extremi judicii diem minime differenda Cadonicianum de Sanctis Vet. Teſt., ante Chriſtum, intuentibus naturam Dei commentum labefactat. *p.* 212. *ſeqq.* & *p.* 219. *ſeqq.* & *p.* 506.

Borromæus (S. Carolus) Scholaſticæ Theologiæ ſtudium, præſertim ex S. Thomæ Aquinatis diſciplina, neceſſarium homini futuro Theologo judicavit. *p.* 463. *not.* 4.

Cadonicus (Johannes) multa contra communem Catholicorum ſententiam ſcribens reprehenditur. *Vide* de Angelis. Limbi nomen. Millenariorum. Reproborum. & *p.* 98. *nott.* 1. 2. 3. 4. & *p.* 99. & *ibid. not.* 4.

Idem Catholicorum communem ſententiam de Sanctis V.T. in Manichæiſmi invidiam vocans, Fauſti Manichæi teſtimonio revincitur. *p.* 840. *ſeqq.*

Idem Sacra Biblia ſuo ipſe arbitratu exponens refellitur. *p.*646. *ſeqq.* & *p.* 871. *ſeqq. Vide* Captivitas. Scripturarum.

Idem *perſonam* aperte confundit cum anima, quaſi eadem res ſit. *p.* 862. Et reatum naturæ, ſignificat, in perſonam, ſua quidem ſententia, non poſſe cadere. *p. ead.* & *ſeq.* Aliis de rebus graviſſimis aut male, aut minus accurate ſcribens reprehenditur. *Vide* Florentina Synodus. de Johanne XXII. de Juſtificatis. de Timore.

Idem Catechiſmum Romanum reprehendens refellitur. *pag.* 242. *not.* 1. & *pp. ſeqq.* & *p.* 1006. *not.* 3.

Idem teſtes opinionis novæ ſuæ falſo appellaſſe convincitur. *Vide* Fevardentius. Niceta.

Idem SS. Patrum, ac Theologorum loca alio contorquens refutatur. *Vide* Auguſtinus. Chryſoſtomus. Hilarius. Thomas.

Idem falſo ſcribit diſſentire inter ſe, & ab S. Thoma Scholaſticos de priſtino Sanctorum V. T. ſtatu. *p.* 468. *ſeqq.*

Cadonici, patronorumque ejus de Limbo Patrum V. T. opinio ea eſt, quam adverſus Catholicos hæretici obtrudunt. *p.* 313. *in not.* & *p.* 338. *not.* 1. & *p.* 343. *not.* 2. & *p.* 355. *not.* 2. & *pag.* 373. *ſeqq.* & *p.* 426. *not.* 8. & *p.* 434. *not.* 5. & *p.* 452. *ſeqq.* & *p.* 963. & 987. *not.* 4. & *p.* 1014. & *ibid. not.* 2.

Cadonici, patronorumque ejus de rebus Theologicis differendi ratio ſimilis ejus, quam adverſus Eccleſiæ Catholicæ dogmata adhibuerunt Novatores majorum gentium. *p.* 124. *ſeqq.* & Pelagiani. *pag.* 164. *not.* 1. & *p.* 395. *ſeqq.* Sacramentarii item. *p.* 646. *ſeqq.* Proteſtantes quoque. *p.* 174. *ſeqq.* & Lutherani. 117. *ſqq.* ac Queſnelliani. *p.* 120.

Cadonici, patronorumque ejus novarum opinionum, abſoneque dictorum, & eorum, quæ inde conſequuntur, catalogus ante oculos lectorum propoſitus. *p.* 107. *ſeq.*

Cagliolæ (Proſperi) Siculi de Sanctis Vet. Teſt. theſis reprehenditur. *p.* 379. & *ibid. not.* 8.

Cani (Melchioris) loci aliquot ab Cadonicianis aliorſum detorti, in verum Cani ſenſum reſtituuntur. De SS. Patrum auctoritate in doctrina Fidei conſtituenda. *p.* 50. *in not.* & *pp. ſeqq.* De propoſitionibus definitione Eccleſiæ aliqua incidenter comprehenſis. *p.* 219. *not.* 1. & *p.* 220. *not.* 3. Ejuſdem de Scholaſticorum Theologorum in re Fidei auctoritate inſignes loci. *p.* 465. *not.* 2. Ejuſdem ad eos grave monitum, qui Scholaſticæ Theologiæ ignari ſe ad Patres legendos conferunt. *pag.* 50. *in not.* Idem Canus toti ſyſtemati Cadoniciano maxime adverſus. *p.* 480. *not.* 9.

Captivitas a Chriſto ducta captiva quænam ſit. *p.* 645. & 652. *ſqq.*

s. Carolus. *Vide* Borromæus.

Catechiſmorum quanta vis ſit, & auctoritas. *p.* 209. *ſeq.* Eamdem elevare conantes Cadoniciani refelluntur. *p.* 487. *not.* 3.

Catechiſmus Bellarminianus. *Vide* Bellarminianus.

Catechiſmus Romanus, ſeu Concilii

cilii Tridentini, a quibus, & qua diligentia compoſitus fuerit, quantæque ſit in Eccleſia auctoritatis. *p.* 230. *ſeqq.*

Catechiſmi in hoc Opere extra ordinem recenſiti. *Vide* Synodi.

Chriſtum Salvatorem fel, & acetum fuiſſe potum, res certa eſt, & ad fidem pertinens. *p.* 63. *not.* 1. Item, Chriſtum uti hominem non ignoraſſe extremi judicii diem. *p.* 66. *not.* 1.

Chryſoſtomus (S. Johannes) Cadonicianæ novitati adverſus. *p.* 576. *ſeq.* Eidem Chryſoſtomo narratio de divite, & Lazaro parabola eſt, non hiſtoria. *p.* 941. *ſeqq.* Idem de Sanctorum V. T. beatitate nonnumquam prolepſi, hoc eſt anticipatione loquutus. *p.* 948. *ſeq.* Explicantur ejuſdem loca ab Cadonicianis oppoſita de Davide, & de Machabæis. *p.* 949. *ſeqq.* & *p.* 954. *ſeqq.* deque SS. Innocentibus. *p.* 957. *ſeq.*

Clementis Alexandrini inſignes loci adverſus eorum artes, qui a pervulgata Eccleſiæ doctrina diſcedunt. *p.* 144. *ſeqq.*

Conſenſio Eccleſiarum quanti ſit. *Vide* in Eccleſiarum.

DAlhamus (Florianus) ad Scholaſticorum reprehenſionem Petavii teſtimonio abutens refutatur. *p.* 464. *not.* 1. Item aliis de rebus. *Vide* Cadonici, patronorumque ejus. Scholaſticorum. Talmudici.

de Divite, & Lazaro narratio Chriſti Domini Patribus, atque interpretibus aliis quidem hiſtoria viſa eſt, aliis parabola, aliis alio modo. *p.* 883. *not.* 1. & *p.* 941. *ſeq.*

ECcleſia ſi quidpiam ad credendum proponeret, tamquam ad fidem pertinens, quod ad fidem revera non pertineret; erraret ea quidem, & Chriſti Eccleſia eſſe defineret, quod fieri non poteſt. *p.* 150. *ſeqq.* & *p.* 169. *ſeq.* & *p.* 181. & *p.* 393. *ſeq.*

Eccleſiæ *hujus temporis* doctrina non alia eſſe poteſt, quam quæ ſemper fuit. *p.* 402. *ſeq. in not.*

in Eccleſiarum conſenſione de re doctrinæ quam vim auctoritatis Patres agnoverint. *Vide* Auguſtinus. Clementis Alexandrini. Irenæi. Tertulliani. &. *p.* 146.

Etenim particula ab S. Auguſtino in Pſal. LXXXV. uſurpata quid valeat. *p.* 751. *in not.* §. Aliam, & *p.* 753. *in not.*

FAſſonius (Liberatus) Cl. Regul. Scholar. Piar. Cadonici oppugnator. *pag.* 43. *ſeq.* & *alibi*.

Feltrius (Angelus Maria) pro Cadonico ſcribens refellitur. *Vide* Cadonici, patronorumque ejus. Cani. Chryſoſtomus. Hilarius. Patrum. Traditio.

Idem revocare voluiſſe viſus, quæ non recte ipſe, aliique pro Cadonico ſcripſerant, non ſatisfeciſſe exiſtimatur. *p.* 399. *not.* 1. & *pp.* *ſeqq.*

Ferrarii (Lucii) Bibliothecæ Canonicæ nuperus adnotator de ſede Sinus Abrahæ fidentius, nec vere ſcribens, reprehenditur. *p.* 772. *not.* 2.

Fevardentius (Franciſcus) Theologus Franciſcanus a Cadonico, cui maxime infenſus eſt, teſtis ſententiæ ſuæ falſo appellatus. *p.* 88. *not.* 1. & *p.* 451. *ſeqq.*

Florentina Synodus Œcumenica quid de pœna reprobos ſequente, non ad extremi judicii diem differenda, conſtituerit. *p.* 199. *not.* 2. Ejuſdem Synodi mens de Sanctorum Vet. Teſt. ante Chriſtum ſtatu. *p.* 504. *ſeq.*

Fortaſſis ab Auguſtino in Pſalm. LXXXV. adhibitum, qua mente dictum ſit de duabus infernis. *pag.* 753. *in not.* & *p.* 799. *not.* 1.

GRaveſonius. *Vide* de Sanctis.

S. HIlarius Pictavienſis aperte docuit, Sanctos V.T. Chriſti deſcenſu ereptos fuiſſe ex inferis. *p.* 590. *ſeq.* & *p.* 879. & *p.* 887. *not.* 1.

Ejuſdem locus in Pſal. II. de divite, & Lazaro. *p.* 880. *ſqq.* Fruſtra eum locum Cadonicus, Feltriuſque objiciunt. *p.* 882. *ſqq.* Eſt autem is locus non apertus quidem, quod Feltrius jactat, verum, ut idem fateri cogitur, obſcurior, atque ambiguus. *p.* 890. *ſeq.* Ejus explicandi idonea, & vera ratio proponitur, atque ab omni S. Doctoris injuria vacans. *pag.* 892. *ſeq.*

Ejuſdem in Pſal. LVIII. inſignis locus de inferis, deſcendente Chriſto, Sanctos non tenentibus a Feltrii arbitraria, ac repugnante interpretatione vindicatur. *p.* 894. *ſeqq.*

Ejuſdem item locus in Pſal. CXVIII. de Vet. Teſt. Sanctis quieſcentibus in inferis, atque exhortationem deſiderantibus, exponitur, & defenditur. *pag.* 908. *ſqq.*

Ejuſdem alia loca a Feltrio in alienum ſenſum contorta accurate exponuntur. *p.* 909. *ſqq.*

Ejuſdem doctrina eſt, infernæ ſedis regione non concludi eum, qui viſione fruatur Dei. *p.* 906. *not.* 1.

Hilarius Novi Teſtamenti Sanctos in infernum deſcendere, nuſquam docuit; multoque minus docuit, eos in inferis agentes intueri naturam Dei. *p.* 920. *not.* 1. & *p.* 922. *not.* 1.

Hilario tributa epiſtola, a Trombellio edita; ex eaque perſpicuus adverſus Cadonicianos locus, cujuſvis demum auctoris, ſed certe veteris. *p.* 591. & *p.* 938. *ſqq.*

Hiſtoriæ nomen varie a Græcis acceptum. *p.* 947.

IGnem, quo cruciantur in inferis dæmones, & reprobi homines, corporeum eſſe S. Auguſtinus ſtatuit. *p.* 872. *not.* 1. & *pp. ſeqq.*

Incidentes propoſitiones definitionibus Eccleſiæ comprehenſæ quam vim habeant. *p.* 214. *ſqq.*

Infernus duplex, ſuperior, & inferior. *p.* 749. *ſeqq.* & *p.* 755. *in not.* §. Jam.

de Inferis, in Scripturis, numquam appellatis in bono Auguſtini ſententia. *p.* 769. & *p.* 806. *not.* 1. & *p.* 811.

ad Inferos Novi etiam Teſt. juſtos deſcendere, præter Tertullianum,

num, & Novatianum, vix quiſquam veterum eſt arbitratus. *p.* 920. *not.* 1.

de Johanne XXII. Pontif. Max. multa turbans Cadonicus refutatur. *p.* 90. *ſeq.*

s. Irenæi inſignes loci de ſumma Eccleſiarum in re doctrinæ conſentientium auctoritate. *p.* 124. *ſeqq.*

de Juſtificatis, quaſi juſtificatione omnis etiam pœnæ temporalis reatus ſemper tollatur, non recte, aut ſaltem non accurate ſcribens Cadonicus reprehenditur. *pag.* 34. *ſeq.* & *p.* 963. *ſeqq.*

Juſtinus Martyr ecquid de Juſtorum Vet. Teſt. beatitate ſenſerit, Mairani judicium. *p.* 962. *not.* 1.

de LAzaro narratio Chriſti Domini. *Vide* de Divite.

Limbi nomen quaſi novum Cadonicus, itaut hæretici faciunt, carpens reprehenditur. *p.* 260. & *p.* 652. *not.* 2.

in Limbo, hoc eſt in Sinu Abrahæ, triſtitiam, & gaudium fuiſſe, nullo modo pugnans, ſed omnino veriſſima ſententia eſt. *p.* 243. *ſeqq.*

Lirinenſis (Vincentii) de conſenſione, aut diſſenſione Patrum locus ab anonymo Cadonici adjutore in alienum ſenſum detortus, ad veram Vincentii ſententiam refertur. *p.* 62. *not.* 2.

MIllenariorum quorumdam mitiorum opinionem Cadonicus, tamquam auctore S. Auguſtino, tollerabilem ducens reprehenditur. *p.* 26. *ſeqq.*

NIceta Nazianzeni Scholiaſtes non vere a Cadonico teſtis opinionis ſuæ novæ appellatus. *p.* 87. *not.* 1.

Novatorum in re doctrinæ artes quibus Patres indiciis detegi exiſtimaverint, quibuſque argumentis perſtrinxerint. *p.* 124. *ſqq.* & *p.* 132. *ſqq.* & *p.* 144. & 146. *not.* 1. & 5. & *p.* 383. *not.* 1.

Iidem Novatores plerique omnes Auguſtini nomine abuti ſoliti. *p.* 682. *ſeqq.* Itemque aliorum Patrum. *p.* 683. *not.* 1. & *p.* 686.

ss. PAtrum in uno aliquo ex Sacris Bibliis eruendo dogmate conſenſio quantæ ſit auctoritatis, etiamſi non eadem omnes, ſed alii alia Bibliorum adhibeant loca. *p.* 671. *ſeq.*

Eorumdem Patrum de religionis dogmatibus loca illa potiſſimum ſpectanda ſunt, quæ pro concione populum docentes dixerunt, præ illis, quæ privatim, & ad viros peritos ſcripſerint. *p.* 741. *not.* 2.

Patrum obſcurius dicta ad communem Eccleſiæ ſenſum accommodate ſunt accipienda. *pag.* 568. & *p.* 713. *not.* 1. & *p.* 723. *not.* 1. & *p.* 741. & *p.* 796. *not.* 2. & *p.* 877. & *p.* 879. *ſeq.* Id ni ita fiat, ex Patrum ſententiis Cadoniciano more acceptis conſequens erit, ut dogmata religionis corruant, utque Auguſtinus realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam negaſſe, viſionemque Dei Sanctis uſque ad poſtremi judicii diem deferri exiſtimaſſe, quod eſt plane falſum, videatur. *p.* 647. & *pag.*

& pag. 813. ſqq. & p. 816. ſqq.
ss. Patrum duorum, triumve, aut etiam plurium ab reliquis diſſenſio nihil Eccleſiæ traditioni obeſt. p. 46. ſeqq. in not. & p. 49. ſeqq.
Pœna. *Vide* de Juſtificatis. Reproborum.
Pœna damni. Inter damnatos, & in purgatorio degentes, atque Vet. Teſt. Sanctos inferis, ante Chriſtum, detentos, quodnam ſit pœnæ damni diſcrimen. p. 1000. ſeq.
Popularis Sententiæ calumnia Eccleſiarum doctrinæ impacta refutatur. p. 395. ſeq.
ad Purgatorio detentas animas detorquere non licet, quæ de Sanctis V. T. viſionis Dei, ante Chriſtum, expertibus tradita ſunt. pag. 316. not. 2. & p. 540. in not. & p. 1002. ſeq.

REproborum ſenſibilem pœnam non differri ad extremi judicii diem, certa, & communis Theologorum ſententia eſt. p. 93. not. 1. & p. 95. not. 1.

de SAnctis Vet. Teſt. ante Chriſtum expertibus, nec ne expertibus viſionis Dei, quæſtio non *de tempore* modo, neque *indifferens* eſt, ſed plane de dogmate Catholicæ religionis. p. 470. ſeqq. & p. 365. ſeqq. & p. 630. ſeqq. Idque non Graveſonii, & Suareſii ſolum, ſed omnium Theologorum conſenſu. p. 473. ſeqq.
Scholaſticæ Theologiæ ſtudium neceſſarium. pag. 463. ſeqq. & p. 712. ſeqq.
Scholaſticorum Theologorum auctoritas quantum in Eccleſia valeat. p. 93. not. 1. & p. 463. ſqq. Scholaſticorum eorumdem primordia ab ſeculo XII. vulgo repetuntur. p. 407. Iidem a ſeptem ab hinc ſeculis cuſtodes ſunt Catholicæ traditionis. pag. 496. ſeqq.
Scripturarum Sacrarum explicandarum ratio Cadoniciana refellitur. p. 646. ſeqq. Ejuſdem Cadonici ineptæ, abſurdæque Sacrorum Bibliorum interpretationes caſtigantur. p. 674. ſqq.
Si ab Auguſtino latine poſitum pro *quamvis*, hoc eſt affirmantis, & concedentis. p. 763. & 801.
Sinus Abrahæ quis ſit, Auguſtino, & Thoma Doctoribus, idemque dupliciter acceptus. p. 834. ſeqq. & p. 1014. not. 2.
Suareſius. *Vide* de Sanctis.
Synodi, Catechiſmi, & monumenta Eccleſiarum de Sanctis V. T. ante Chriſtum expertibus viſionis Dei in hoc opere extra ordinem commemorata. Tuſculanæ Eccleſiæ. p. 362. not. 1. Regni Neapolitani aliquot Eccleſiarum. p. 294. not. 1. & p. 302. not. 2. Firmanæ Provinciæ, & Ferrarienſis, ac Faventinæ diœceſeon. p. 333. not. 3. & 4. & p. 334. not. 1. Piſanæ Eccleſiæ. p. 360. & p. 1010. Aquilejenſis, & Mediolanenſis Provinciarum. p. 302. not. 2. Lugdunenſis Provinciæ. p. 310. not. 1. Carnotenſis Eccleſiæ. p. 336. not. 1. Rotomagenſis. p. 351. not. 1. Leodienſis. p. 362. Ampurienſis in Sardinia. p. 334. not. 2. Valentinæ in Hiſpania. p. 352. nott. 1. 2. 3. Ruthenorum

rum nationis. *p.* 357. *not.* 2. Arabum. *p.* 364. *not.* 2. Varia pro neophytis edita. *p.* 364. *not.* 2.

TAlmudici libri quo tempore perſcripti. *p.* 1048. *in not.* Iidem pleni ineptarum, atque abſurdiſſimarum rerum. *p.* 1041. *not.* 2. atque ab tradita divinitus Judæis religione alieni, Judæiſq; eiſdem perniciosi. *p.* 1074. *not.* 3. Singulari ſeveritate Eccleſiæ decreto a Judæis auferendi. *ibid.*

Tamburinus (Fortunatus) S.R.E. Cardinalis doctrina, & pietate illuſtris libros Cadonici confutari curavit, quum viveret. *p.* 43.

Tertulliani inſignes loci adverſus eorum artes, qui a pervulgata Eccleſiarum doctrina diſſentiunt. *p.* 132. *ſeqq.* & *p.* 370.

Theologus novus quidam de definiente Eccleſiæ multa incaute turbans refellitur. *p.* 114. *ſeqq.*

s. Thomas Aquinas. Hujus de Angelis præditis, nec ne præditis corpore locus male a Cadonico dotortus explicatur. *p.* 18. *in not.* Ejuſdem de peccatoribus, ſtatim ac vita exceſſerint, ſenſibili pœna puniendis ſententiam eſſe certam oſtenditur. *p.* 93. *not.* 1. Ejuſdem in Pſ. xv. locus vetuſti auctoritate Codicis ad veram lectionem reſtitutus. *p.* 442. *in not.*

Ejuſdem de Patrum locis reverenter interpretandis egregia præceptio. *p.* 796. *not.* 2.

Ejuſdem de re omni Theologica quam ſit excellens, & gravis auctoritas in Eccleſia. *p.* 463. *nott.* 3. & 4. & *p.* 464. *not.* 3. & *p.* 697. *ſeqq.*

s. Thomas Aquinas verus ſectator, ac certus interpres S. Auguſtini. *p.* 703. *ſeqq.* & *p.* 713. *ſeq.* & *p.* 810. *not.* 1. & *p.* 813. *not.* 2. & *p.* 817. *ſeqq.* & *p.* 835. *ſeq.* & *p.* 837.

Idem Auguſtini ad Evodium exponens locum non nothi ſermonis cxxxvii. auctoritatem. *p.* 725. *ſeq.* ſed ipſius ad Evodium epiſtolæ ſententiam ſequutus eſt. *p.* 726. in eoque loco obſcuriori exponendo perſpicuam Gregorii Magni ſententiam, & communem, certamque Catholicæ Eccleſiæ doctrinam ſapienter eſt conſectatus. *p.* 722. & 727. *ſeqq* & *p.* 731. *not.* 2. Eſtque tota illa Auguſtiniani ad Evodium loci Thomæ interpretatio non modo ex Auguſtini certis, perſpicuiſque ſententiis accepta, ſed etiam verbis fere ipſius Auguſtini contexta. *p.* 733. *ſeqq.* & *p* 789. imprimiſque *p.* 793. *ſeq.* Diſtinctionem beatitudinis *in ſpe*, & *in re* ab Auguſtino Thomas eſt mutuatus. *p.* 776. *not.* 3. & *p.* 777. *ſeqq.* *Vide* Auguſtini ad Evodium.

de Timore orto ex cogitatione ignis gehennæ Cadonicus male, aut certe minus accurate ſcribens reprehenditur. *p.* 99. *ſeqq.*

de Toletana Synodo regionali an. 633. habita multa turbans anonymus ſex epiſtolarum pro Cadonico italice ſcriptarum auctor refellitur. *p.* 536. *not.* 1.

Traditio Catholicæ Fidei, etiam ſine apertiſſimis Patrum omnium

nium

nium teſtimoniis, tamen Eccleſiarum conſenſione plane conſtat. p. 46. ſeqq. in not. & p. 49. ſeqq. & p. 510. not. 1. & p. ſeq.

Traditionum Apoſtolicarum dignoſcendarum notæ a SS. Patribus explicatæ. p. 124. ſeqq.

Traditionis a ſeptem ab hinc ſeculis cuſtodes ſunt Scholaſtici Theologi. p. 496. ſeqq.

FINIS

ADDENDA, ET CORRIGENDA.

Prior numerus paginam, alter lineam indicat.

Pag. 11. *l.* 8. not. ſcententia - ſententiam. *ib. l.* 17. recirata - re-
citata. *ib. l.* 24. tenuirati - tenuitati. *ib. l.* 26. vere - veræ. *ib. l.* 27.
ſæpiſſimæque - ſæpiſſimeque. *ib. l.* 38. mulro - multo. *ib. l.* 39. Tho-
me - Thomæ. *p.* 13. *l.* 7. purgati ſint ad - purgati ſint, ad.
ib. l. 24. Cadonicianana - Cadonicianæ. *p.* 14. *l.* 1. poteſt) - poteſt,.
p. 18. *l.* 5. not. loborandum - laborandum. *p.* 19. *l.* 6. not. claſſis -
claſſes. *ib. l.* 8. Cadonicas - Cadonicus. *p.* 21. *l.* 50. not. ſcribit? -
ſcribit;. *p.* 24. *l.* 17. audant - audiant. *ib. l.* 17. opotere - oportere;
p. 27. *l.* 34. not. (Quid -. Quid. *p.* 28. *l. penult.* not. ſentitiendum -
ſentiendum. *p.* 30. *l.* 28. not. præſtatiſſimi - præſtantiſſimi. *p.* 31.
l. 17. not. *fabule - fabulæ*. *p.* 32. *l.* 3. deliramentis, fabuliſque - in
deliramenta, fabulaſque. *p.* 33. *l.* 19. ſacta - facta. *p.* 34. *l.* 1. not.
3 Nourrius - 1 Nourrius. *ib. l. antepenult.* habuit - habuerit. *p.* 36.
l. 9. not. *non excidens - non excedens*. *p.* 46. *l.* 21. not. 2 Traditione -
Secundo: traditione. *p.* 47. *l.* 5. not. libri, capite - libri capite. *ib.*
l. 24. maxime - maximæ. *p.* 57. *l.* 10. not. Cæſerienſis - Cæſarienſis.
p. 60. *l.* 20. not. factutus - facturus. *p.* 63. *l.* 11. not. Confeſſionum -
Confeſſionem. *p.* 76. *l.* 17. ſtatuit - ſtatim. *p.* 77. *l.* 4. not. inſtiuſmo-
di - iſtiuſmodi. *p.* 79. *l. penult.* not. monuerint - monuerit. *p.* 84.
l. 15. not. aurem - autem. *p.* 85. *l.* 4. not. *cap.* XXIX. - *cap.* XLIX. *ib.*
l. 30. ſiat - fiat. *p.* 91. *l.* 32. ſcribenedi - ſcribendi. *ib. l.* 35. decla-
ratum - declaratum [1]. *ibid. l. ult.* not. *Tract.* III. *n.* II. - *libri* III. §. I.
n. III. *p.* 93. *l.* 40. not. opus eſt. - opus eſt?. *ib. l.* 50. *ignibut - igni-
bus*. *p.* 94. *l.* 18. not. *cruciari*, Hugo - *cruciari*. Hugo. *p.* 95. *l.* 39.
not. redimenta dedicerint - rudimenta didicerint. *p.* 96. *l.* 19. not.
judicium, Accedit - *judicium*. Accedit. *p.* 97. *l.* 33. not. faretur - fa-
tetur. *p.* 98. *l.* 17. not. Cadonicis - Cadonicus. *p.* 100. *l.* 23 not. terro-
ribu - terroribus. *p.* 102. *l.* 10. ilius - illius. *p.* 103. *l.* 3. not. *geben-
nam - in gebennam*. *ibid. l.* 10. negate - negare. *p.* 104. *l.* 53. not. ho-
minam - hominum. *ibid. l. ult.* profecti - profecto. *p.* 105. *l.* 1. Sy-
nodorum Chriſti - Synodorum, Chriſti. *ibid.* 37. not. Ceterea - Cete-
ra. *p.* 106. *l.* 6. not. æque, a - æque, ac. *ibid. l.* 19. ſalſa - falſa.
p. 114. *l.* 11. reprobratam - reprobatam. *p.* 116. *l* 9. not. Scripto-
rum - Scriptorem. *p.* 118. *l.* 30. not. quæ nume - quænam. *p.* 120.
l. 12. not. obruantur - obruatur. *p.* 122. *l.* 22. interpretanti non po-
teſt - interpretanti poteſt. *p.* 128. *l.* 23. omni, juſtitia - omni juſti-
tia,. *p.* 132. *l.* 7. prædicant - prædicent. *p.* 144. *l.* 8. not. ad quas -
ad eas, quas. *p.* 154. *l.* 18. not. picunt - dicunt. *p.* 155. *l.* 30. not. *con-
ſtituiſti - poſuiſti*. *ibid. l.* 37. Spiritu - Spiritui. *p.* 166. *l.* 2. definien-
dam - definiendum. *p.* 171. *l.* 19. II. - III.. *p.* 172. *l.* 7. croit - crois.
p. 174. *l.* 31. III - IV.. *p.* 178. *l.* 24. not. Eccleſiæ - Eccleſia. *p.* 183.

l. 5. not. ipſi - ipſis . *p.* 191. *l.* 15. res ipſe - res ipſæ . *p.* 195. *l.* 12. te ,
judice - te judice , . *p.* 205. *l* 8. not. ſit placet - ſi placet . *ibid.* *l.* 27.
aſſemblèes - aſſemblès . *ibid.* ſoujet - ſujet . *p.* 211. *l.* 1. not. ſi ſta-
tuunt - ſic ſtatuunt . *p.* 214. *l.* 1. pollicitatioque Chriſti - *adde* : quæ
te , uti quidem credo , permovebit , . *p.* 215. *l.* 11. & 14. Feltrianus -
Anonymi. *p.* 217. *l.* 4. not. Feltrius - Anonymus. *p.* 224. *l.* 5. ſæpæ-ſæ-
pe . *p.* 227 *l.* 27. *veræ* - *vere* . *p.* 231. *l.* 38. not. obſoluta - abſoluta ..
p. 232. *l.* 17. not. primu - prima . *p.* 237. *l. penult.* not. ſomniſſe - ſo-
mniaſſe . *p.* 241. *l.* 4. not. noſſe - noſſes . *p.* 244. *l.* 13. *dolobus* - *do-
loribus* . *p.* 248. *l.* 16. Qui , dubitat - Quis dubitat ? *p.* 252. *l.* 44. not.
pubblicato *pubblicata* . *p.* 263. *l.* 31. ſeq. inſtitutum iter perſequutu-
ri - propoſitum iter inſtituturi . *p.* 264. *l.* 9. ſeq. inſtitutum perſequa-
mur - propoſitum aggrediamur . *ibid.* *l.* 19. *Eccleſiæ Italiæ* - adde : *&*
Galliæ . *p.* 265. *l.* 1. not. *Titi* - *Tit.* . *p.* 266. *l.* 2. not. Benedicto - a Be-
nedicto . *p.* 267. *l.* 5. not. Diæceſam - Diœceſanam . *p.* 274. *l.* 28. Hoſt
eſt - Hoc eſt . *p.* 278. *l.* 20. Centumcellenſium [2] Cornetanorum - Cen-
tumcellenſium [2] , Cornetanorum . *p.* 280. *l.* 15. not. vtdeamus - vi-
deamus . *p.* 281. *l.* 8. not. capivi - captivi . *ibid.* *l.* 11. not. NEL -
DEL . *ibid.* *l.* 16. *anima* DESCENDIT .... ERUIT - *animam* DE-
SGENDISSE .... ERUISSE . *p.* 282. *l.* 1. confuerat - conſuerat .
ibid. *l.* 12. Senenſes [1] Pientinos - Senenſes [1] , Pientinos . *ibid.* *l.* 18.
Antiſtites - Antiſtes . *p.* 283. *l.* 19. dare - dat . *p.* 284. *l.* 4. not. oopu-
lo - populo . *p.* 288. *l.* 21. not. SPERANTES - EXPECTANTES .
p. 291. *l. ult.* not. confirmarit - confirmavit . *p.* 310. *l.* 16 not. *Ut
corpus I. C. fuit* - *Dum corpus I. C. eſſet* . *p.* 315. *l.* 5. not. anta - antea .
p. 317. *l.* 35. not. in Italiam - in Italicam . *p.* 318. *l.* 6. *Hiſpaniarum* :
adde , *& Americæ* . *p.* 319. *l.* 17. not. *Chriſtianæ* - *Chriſtiane* . *p.* 323.
l. 16. not. deſinat - deſinant . *p.* 329. *l.* 42. not. han da ſer - han de ſer .
p. 330. *l.* 17. not. intelligi - intelligi poteſt . *p.* 333. *l.* 14. not. apar-
tandosle - apartandoſe . *p.* 336. *l.* 5. not. ſententia - ſententia ? *p.* 341.
l. 15. not. *pæne* - *poenæ* . *p.* 355. *l.* 17. 18. not. *Articul* - *Articuli* .
p. 359. *l.* 11. coeperat - ceperat . *p.* 365. *l.* 9. not. expreſſum - ex-
preſſo . *p.* 366. *l.* 13. Atque Pontificibus - Atque a Pontificibus .
p. 367. *l.* 11. Chriſtianis orbis - Chriſtiani orbis . *p.* 378. *l.* 35. not.
eſpondet - *reſpondet* . *p.* 379. *l.* 3. not. nonaum - nondum . *p.* 385. *l.* 3.
præſcripta - perſcripta . *p.* 388. *l.* 17. *iadicatus* - *indicatus* . *p.* 395. *l.* 1.
conſtituit - *poſuit* . *ibid.* *l.* 23. *conſitetur* - *conſitentur* . *p.* 396. *l.* 1. *ja-
ctabatur* - *jactabatur* ? . *p.* 402. *l.* 16. not. eſſes - eſſe . *p.* 416. *l.* 13.
Carmelita Excalceatus - adde : Theologi Collegii Salmanticenſis Car-
melitæ perinde Excalceati , *Tractat.* XXI. *Diſp.* VII. *Dub.* IV. §. I.
n. 99. *ſeq. tom.* IX. *edit. anni* 1693. *p.* 418. *l.* 6. Minor. Conventual. -
Minor Obſervans. *p.* 423. *l.* 12. Franciſcus Vicus - Henricus Vicus .
p. 452. *l.* 10. manetque - maneſque . *p.* 469. *l.* 7. capturum - captu-
rum ? . *p.* 482. *l.* 12. ratione - rationem . *p.* 492. *l.* 13. a Petri - ac
Petri . *p.* 498. *l.* 1. fuit - non fuit . *p.* 500. *l.* 5. Dupinius - adde :
in methodo Theologici Studii rect: inſti tuendi c. IV. *num.* 2. *p.* 81. *edit.
an.* 1722.

an. 1722. . *p.* 507. *l.* 22. 23. Clemente VIII. - Clemens VIII. . *p.* 511. *l.* 14. magiſtum - magiſtrum. *p.* 519 *l.* 3. de ſeculo IX. - de ſeculi IX. *p.* 522. *l.* 26. e ſeptimo - ex octavo. *p.* 526. *l.* 6. de Sanctis Veteris - *adde* Teſtamenti. *p.* 528. *l.* 48. not. *a mortuit - a mortuis*. *ibid. l.* 50. *vineulis - vinculis*. *p.* 532 *l.* 42. not. tenebantur, ex culpa - tenebantur ex culpa,. *p.* 534. *l.* 11. not. cadit - cadit. *p.* 536. *l.* 32. not. comprendiſſet - comprehendiſſet. *p.* 537. *l.* 17. not. futuro - quod eſt futurum. *p.* 547. *l.* 38. not. quod - quem. *p.* 548. *l.* 30 not. ſui - ſuis. *p.* 551. *l.* 21. Antiſtes - Antiſtites. *p.* 555. *l.* 22. not. *a montis - a mont.bus*. *p.* 557. *l.* 9. not. exinxit - extinxit. *p* 558. *l.* 24. not. Aumis - Amnis. *p.* 562. *l.* 4. not. Marcarium - Macarium. *p.* 583. *l.* 18. *vincula mea - vincula mea*, ſic Davidem inducit loquentem. *p.* 607. *l.* 13. canit - canit [3]. *ib. l.ult.* ſcribit [3] - ſcribit. *p.* 608. *l.* 1. Interea - Interea [1]. *p.* 611. *l.* 21. not. aurem - autem. *p.* 623. *l.* 1. Videtur autem quod - *dele* quod. *ib.* ANIMÆ-ANIMAS. *p.* 628. *l.* 20. Interpollator-Interpolator. *p.* 674. *l.* 21. inquit - inquit [1]. *p.* 679. *l ult.* caperem - capere. *p* 682. *l.* 6. Huſſerius Uſſerius. *p.* 683. *l.* 24. not. LIRUM-LIBRUM. *p.* 686 *l.* 14. IV. - V. . *p.* 687. *l.* 6. operis. I. - operis I. *ib. l.* 31. not. atio - ratio. *ibid. l.* 32. arbitrentur - arbitretur. *ib. l.* 41. præferre - præferri in. *p.* 697. *l.* 13. not. *vol. - oper. p.* 700. *l.* 12. not. ur - ut. *p.* 707. *l.* 28. Epheſina - Conſtantinopolitana II. *p.* 709. *l.* 24., ſcripſi repetere - ſcripſi, repetere. *p.* 712. *l.* 5. ſe conferant - *dele* ſe. *p.* 713 *l.* 6. eadam eadem. *p.* 719. *l.* 10. multis - multi. *ibid. l.* 14. Scholaſticis - Scholaſticos. *ibid l.* 17. Scholaſticos - Scholaſticis. *p.* 722. *l.* 35. eſſet - eſſe. *p.* 723. *l.* 19. Igitur cum - *dele* cum. *p.* 744. *l.* 1. not. Chriſtum - (Chriſtum). *p* 750. *l.* 14. not. *caleſti - cæleſti*. *ibid. l.* 21. Antiſtites - Antiſtes. *p.* 771. *l.* 22. Regno - Regum. *p.* 774. *l.* 2. ſit imbutus - ſint imbuti. *ibid. l.* 3. *illi-illis*. *ib. l.* 16. eſſet - eſſe. *p.* 778. *l.* 7. digentis degentis. *p.* 783. *l.* 10. *meum - mecum*. *p.* 815. *l.* 7. *catatem - caritatem*. *p.* 816. *l.* 19. confiteremur - confiteremur? *p.* 821. *l.* 4. eamdem fuiſſe - eamdem non fuiſſe. *p.* 873. *l.* 34. not. corporibus - corporum. *p.* 880. *l.* 14. not. in La-cujus - in cujus. *ibid. l* 16. zarum - Lazarum. *p.* 884. *l.* 4. not. tali - tale. *p.* 885. *l.* 47. not. *Abrabæ - Abrahæ*. *p.* 887. *l.* 15. not. *ſupponendam* - ſupponendum. *p.* 889. *l.* 28. not. certæ - certe. *p.* 891. *l.* 27. definita eſt - definita eſt?. *p.* 905. *l.* 5. not. obſolutam - abſolutam. *p.* 906. *l.* 4. quibus ſi - quibus, ſi. *p.* 907. *l.* 15. XIII - XII. *p.* 912. *l.* 24. arbitratur - arbitratu. *p.* 913. *l.* 2. *ſalvari? - ſalvari*. *p.* 920. *l.* 19. not. *Novis Novi*. *p.* 921. *l.* 33. not. ſit - ſit. *p.* 924. *l.* 11. not. ad cælum - ad cælum?. *p.* 926. *l.* 9. convertiſſes? convertiſſes. *ibid. l.* 10. not. Quarelam - Querelam. *p.* 927. *l.* 4. not. infirmis - infirmæ. *p.* 928. *l.* 6. not. TERRÆNAQUE - TERRENAQUE. *p.* 929. *l.* 12. *præfiguratur - præfigurantur*. *p.* 931. *l.* 16. providerent - provideret. *p.* 949. *l.* 32. imperfectam, eſſe imperfectam eſſe,. *p* 953. *l. ult.* not. 77 - 577. *p.* 956. *l.* 38. not. circuerunt - circuierunt. *p* 958. *l.* 28. not. Auctorem illum - *adde*, in ſpuriis ponentem veterum opera quæcumque ejus

 opinio-

opinionibus adverſabantur. *p.* 961. *l.* 15. Sanctos - Sanctis. *p.* 963. *l.* 6. quali - quaſi. *p.* 975. *l.* 31. *rimitti* - *remitti*. *p.* 983. *l.* 27. fuiſſe ei *imputatum* - fuiſſe *imputatum*. *p.* 989. *l.* 2. not. *pios qui* - pii, qui. *p.* 995. *l.* 21. affecti - aff·ctæ. *p.* 998. *l.* 22. & 25. OBSERVATIONE - OBSECRATIONE. *p.* 1013. *l.* 26. quæ dum certarent; - quæ, dum certarent,. *p.* 1017. *l.* 5. not. molitut - molitur. *p.* 1020. *l.* 3. not. huſce - hujuſce. *p.* 1026 *l.* 11. not. Antiphonatio - Antiphonario. *p.* 1029. *l.* 23. *chroum* - *chorum*. *p.* 1035. *l.* 20. tollendam eſſe - tollere. *p.* 1052. *l. ult.* not. *Fundamentum eſt circa ſanitatem* - *Quod eſt gravius in Sanctitate*. Sic enim verti latine poteſt *Tò chòmer Bikodeſch*, quod legitur initio *capitis* III. *Tractatus Chaghigà*, referturque a Raymundo Martinio *p.* 485. *Pugionis Fidei*. *p.* 1053. *l.* 5. frui cenſeat aſpectu Dei - Adde: Scio objici a quoquam poſſe, Talmudis interpretes in eo errore verſari, ut cenſeant, bonos, maloſque, ut judicentur, deſcendere, ſed poſt duodecim a morte menſes judicari, moxque rurſum aſcendere. Verum qui ſic objiciet, is neceſſe eſt, non animadverterit, quæ ex Talmude *pag.* 1051. *ſeq.* protulimus de Samuele, & Moſe. Iiſdem enim in locis Moſen, & Samuelem fuiſſe is Talmudis locus indicat. In eo namque ſtatuitur, Samuelem, cum evocari ſeſe ex inferis intellexiſſet, ſecum adduxiſſe Moſen. At Moſen annis fere quadringentis ante eam, quæ in Talmude memoratur, Samuelis ex inferis evocationem, deceſſiſſe perſpicue palam eſt. Inane ergo eſt, quod fingunt de duodecim menſibus Rabbini, aptareque huic Talmudis loco non dubitant. Adiſis Raymundum Martinium *Pugionis Fidei* III. *P. Diſt.* I. *cap.* VIII. *n.* VIII. *pag.* 486. *ſeq. Edit. Pariſ. an.* 1651. *&* *n.* IX. *pag.* 487. *ſeq.* Quod ut confirmari etiam, atque etiam poſſit, transferenda huc eſſe duxi, quæ Raymundus idem Martinius perſequutus *ibid.* eſt *cap.* IX. *num.* 2. *pag.* 492. *ſeq.* „ Quod Adam, inquit ille, & filii ejus pro-
„ pter peccatum ipſius detruſi fuerunt in carcerem inferni uſque
„ ad Redemptoris adventum, & quod per nullum alium poterant
„ reparari, habetur in *Midraſch Koheleth* ſuper illud *Eccleſiaſtæ* 7. 14.
„ *R. Azaria dixit, in hora, qua Deus creavit primum Adam, tu-*
„ *lit ipſum, & duxit, atque reduxit per omnes Paradiſi Arbores, &*
„ *dixit ei, vide opera mea, quam pulcra, & quam laudabilia ſunt:*
„ *propter te creavi quidquid creavi. Præbe igitur mentem tuam, ut*
„ *non corrumpas ... & diruas ſeculum meum. Si enim tu deſtruxeris,*
„ *non erit poſt te, qui reparet, ſed etiam illi juſto eris cauſſa mortis,*
„ *ſicut dictum eſt Eſaiæ* LVII. *v.* 1. *Ipſe juſtus moritur, vel perit, &*
„ *non eſt aliquis ponens ſuper cor. Sic quoque dicit Eccleſiaſtes* VII.
„ *v.* 16. *Eſt juſtus, qui perit in juſtitia ſua. Cui ſimilis fuit Moſes Ma-*
„ *giſter noſter? Similis fuit filio mulieris prægnantis, quæ tenebatur*
„ *captiva in domo captivorum, quæ peperit ibi, & nutrivit ipſum*
„ *ibi, & ibi mortua eſt. Ad dies rex tranſivit per oſtium carceris,*
„ *coepit filius mulieris illius clamare, & dicere, Domine mi Rex,*
„ *hic natus ſum, hic nutritus ſum, & neſcio* PROPTER CUJUS PEC-

„ CATUM

„ CATUM HIC DETENTUS SUM. RESPONDIT EI REX: PROPTER
„ PECCATUM MATRIS TUÆ. Hucuſque traditio. Hinc igitur di-
„ ligens Lector advertat, quam brevi, & congrua ſimilitudine ſit
„ hic Judæis a ſuis Magiſtris evidenter oſtenſum, totum genus hu-
„ manum propter peccatum Adæ, & Evæ fuiſſe olim in carcere
„ Regis totius mundi non injuſte detentum. Nam ſi Moyſes Prophe-
„ tarum omnium apud illos eximior, de quo ſcriptum eſt *Deuteron*.
„ *ult. v.* 10. *Et non ſurrexit Propheta ulterius in Iſrael ſicut Moſes*: ſi
„ Moyſes, *inquam*, talis, ac tantus a detentione carceris Regis
„ Cælorum ob peccatum primæ Matris nequivit eſſe exceptus, ut
„ præmiſſa parabola docet, quanto magis aliquis alius „? Conſule
quæ deinceps Raymundus perſequitur. Transferrem huc etiam, quæ idem Martinius de interpretatione *cap.* XXXVII. *Geneſ. v.* 35. ex Judæorum *Gloſſis*, diſputat *Diſt. ead. cap.* VIII. *n.* VIII. *pag.* 485. *ſeq.*, ſed quoniam modus eſt ſcribendi faciendus mihi, ea Lectorem rogo, ut conſulat. *p.*1053. *not.*2. *l.*4. *uſque ad adventum Meſſiæ*: Adde: Vide Raymundum Martinium *ibid. num.* XV. *pag.* 490. qui quidem Martinius *Part.* III. *Diſt.* III. *cap.* XVIII. *num.* IX. *pag.* 684. rationem affert, quamobrem Synagoga, etſi dilecta dicatur, ante Meſſiam tamen locata ſtatuatur in inferis. Sic autem habet. *In Seder olàm* (cujus operis in Talmude fit mentio) *taliter ſcribitur capite ultimo. Dan.* II. 22. „ Cognoſcit quod in tenebris eſt: *hæc eſt poena*
„ *impiorum in gehenna*. Et lux cum ipſo habitat: *hæc eſt datio mer-*
„ *cedis ad futurum venturum*. Hæc traditio. Quod autem hæc lux,
„ quæ præmium, ſive merces futura eſt juſtis, ſit Meſſias, inde
„ habetur, ubi in Bereſcit minori taliter ſcribitur. *Dan.* II. *v.* 22.
„ *& lux cum illo habitat. Hic eſt Rex Meſſias* „. Adi, ſis rurſum Martinium *Par.* II. *c.* XI. *num.* XXI. *pag.* 333. *& Par.* III. *D.* III. *c.* XII. *num.* XX. *pag.* 664. quo loco citat R. Moſen *Haddarſcham*, cujus Scriptoris Judæi opus aut periit, aut in Judæorum adhuc bibliothecis latet. Sed quidquid in eo ad rem noſtram attinens eſt, afferturque a Martinio, id ſane totum depromtum eſt ex vetuſto libro Peſiktà Rabbati, deſcribiturque a Buxtorfio in Hiſtoria Arcæ fœderis cap. XIV. „ Dixit Synagoga Iſraelis coram Deo benedicto,
„ Domine Mundi propter legem, quam dediſti mihi, quæ vocatur
„ *fons vitæ*, oblectatura me ſum in *luce tua*. Quid eſt in *luce tua*
„ *videbimus lucem*? Hæc eſt lux Meſſiæ. Sicut dicitur *Genes*. I. 4.
„ *& vidit Deus lucem, quod bona eſſet*. Docet enim hoc, quod
„ præviderit Deus ſeculum Meſſiæ, & opera ejus, antequam crea-
„ retur Mundus, ac proinde abſconderit eam pro Meſſia, & ejus
„ generatione ſub ſolio gloriæ ſuæ „. Confer, ſi placet, reliqua.
In libro *Zoar vol.* III. *fol.* 34. Sic habetur: Rabbi Chia incœpit *Pſalm.* XXXVI. *v.* 10. *Quia tecum fons vitarum. Hoc eſt oleum excelſum, quod fluit, & non ceſſat in æternum, quodque moratur intra ſapientiam excelſam totius. Atque huc dictum illud pertinet*: quia tecum moratur ſapientia, & a te non ſeparabitur in æternum in amore

re totius. *Huc item ſpectat* fons vitarum, *quia is fons eſt ſcaturigo vitarum ad producendas vitas per proceriſſimas arbores, & ad accendendas lucernas &c.* In luce tua videbimus lucem. In luce tua. *Hæc eſt lux, quam reſervavit juſtis futuro tempore, quia ſcriptum eſt,* & vidit Deus lucem, quod bonum, *& ab hac luce deſtinati ſunt Iſrael, ut ſint illuminati futuro ſeculo. Ibid. a tergo lin.* 15. *Rabbi Chiskiaù ſedens coram Rabbi Eleazaro, dixit ei, quot luces fuerunt creatæ, antequam crearetur Mundus? Reſpondit ei, ſeptem, & ſunt hæ, lux legis, lux gehennæ, lux horti Eden, lux throni gloriæ, lux domus Sanctuarii, lux poenitentiæ, lux Meſſiæ &c.* En tibi, ut Judaica ferat traditio, *lucem horti Eden* differre *a luce throni gloriæ, lucemque throni gloriæ* videri in *Meſſiæ luce*: qua ex re fit, ut ante Meſſiæ adventum, quod item fert Judæorum traditio, animæ juſtorum manſerint *ſub throno gloriæ. Thronus autem gloriæ,* ut Judæorum doctrina poſtulat, eſt *Cælum*; *ſcabellum autem pedum Dei, terra.* Nituntur vero Iſaiæ *cap.* LXVI. I. qui verſus ſic habet *cæli thronus meus, & terra ſcabellum pedum meorum*: ſequitur ergo, ut quoniam ſub throno Dei manſiſſe juſtorum animæ dicuntur, manſerint ſub terra, hoc eſt ſub ea quæ in throno gloriæ ſcabelli pedum habetur loco.

Cave autem putes, *Midraſch in Cantica* opus eſſe Talmude recentius. Nam, ut Bartholocius *vol.* IV. *pag.* 317. adnotat, *conſtans traditio eſt*, unum e Tannaitis fuiſſe ejus operis auctorem, *qui in terra Iſraelis floruerunt circa annum Domini* 100. Hinc plane intelligis, Midraſch *in Cantica* opus eſſe libro *Miſnæ* antiquius. *p.*1054. *l.* 13. Seu ſempiterna: Adde: Erit fortaſſe, qui deſideraſſe Jacobum redemptionem non ſuam, ſed ſuorum filiorum, dicat. Sed quam redemptionem expectarit, Paraphraſtæ Chaldæi ſententia, ex iis dignoſci poteſt, quæ hactenus ex Talmudiſtarum, aliorumque Judæorum libris attulimus. Quid? Si Jacobus, ut eſt apud eumdem Paraphraſtam Chaldæum, ſalutem expectarit ſempiternam, quam erat allaturus Meſſias? Jam vero ſalus ſempiterna, quam erat allaturus Meſſias, quæ erat, obſecro, niſi ſempiterna felicitas? Quid autem abſurdius, quam eam felicitatem Jacobum expectaſſe, dicere, non ſibi, ſed filiis ſuis; quaſi eam eſſet ipſe ante Meſſiæ adventum conſequuturus; filii autem ejus non item, quantalibet virtute floruiſſent, qui ante adventum Meſſiæ ſupremum obiiſſent diem? *pag.* 1055. *l.* 8. qua id confidentia poteris dicere: Adde: ſi, ut eſt in Targum Hieroſolymitano, *non creatam* ſe liberationem expectare Jacobus dicit? Increatum autem ecquid eſt, niſi Deus, quem Sancti, ut Auguſtinus loquitur, in *ea natura, qua Deus eſt*, intuituri, eaque ratione in libertatem ſummam afferendi erant, quam libertatem *Deus populo ſuo venturam dixerat verbo ſuo?* Jamvero etſi poſt reſurrectionem junctæ ſuis corporibus Sanctorum animæ ſempiterna gaudebunt felicitate; tamen, Targum inducens Jacobum dicentem, non expectare ſe redemptionem

nem temporariam talem, qualis erat Gedeonis, Samſoniſque temporibus futura, ſed expectare æternam illam, quæ inferenda erat populo Dei Meſſiæ temporibus, ſatis oſtendit, non illam ab Jacobo expectatam fuiſſe redemptionem, quæ mundi tempore extremo fiet. Liberatio autem ſempiterna illa &c. *p.*1056. *l.* 1.[1] putant - putant. *ibid. l.* 20. ſiru[2] ſinu[1]. *ibid. l.* 25. Cod. Kidduſin [1] c.IV. in En Iſrael - *Cod. Kidduſin*[2] *cap.* IV. hoc eſt in *En Iſrael*[3]. *p.* 1057. *l.* 5. ii quidem certe mortem - ii quidem certe *pactum circumciſionis*, aut *mortem*. *p.* 1059. *l.* 13. At contra in Talmude ipſo ſtatuitur - At contra a veteri Scriptore, qui *Talmude* Babil. antiquior habetur, in *Veelle Addevarim Rabba* ſtatuitur. *p.*1060. *l.*5. *thorono* - *throno*. *p.* 1061. *l.* 27. ab immunditia legis v. 9. ut poſſit accedere - ab immunditia legis, verbi gratia, ut poſſit accedere ad tabernaculum. *ibid. l.* 5. not.1. *Ebeu, & additamenta in c.Ebeu* - *&c. & Additamenta in cap. omnes Scripturæ*. *p.* 1062. *l.* 4. LUCEM SOLIS - LUCEM SOLII. *ibid. l.* 17. labafactet - labefactet. *p.* 1075. *l.* 17. ſententio - ſententia. *p.* 1077. *l.* 19. numerarur - numeratur. *p.* 1078. *l.* 11. §. IV. - §. V. *p.* 1079. *l.*30. neceſſaria - neceſſario. *ib. l.*32. *cap.*-*a pag. p.* 1086. *l.* 18. hac de - hac de re. *p.* 1092. *l.* 15. intuentur? - intuentur. *ibid. l.* 19. ſuiſſe - fuiſſe. *pag.* 1093. *l.* 17. temporatariæ - temporariæ. *p.* 1094. *l.* 12. vivenbus - viventibus. *p.* 1095. *l.* 11. §. IV - §. III. *ibid. l.* 15 ſanæ - ſane.

Digitized by Google